7
2-A
4

9
5 E
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

4-2-A-4

77-A-14

D
363

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LEONARDI ARETI-NI HISTORIARUM FLORENTINARUM LIBRI XII.

Quibus acceſſerunt

QUORUNDAM SUO TEMPORE IN Italia geſtorum

&

DE REBUS GRÆCIS COMMEN-TARII,

AB INTERITU VINDICATI, NEC non à mendis innumeris repurgati, & ex ma-nuſcriptis in lucem editi ſtudio & operâ

SIXTI BRUNONIS, DOBE-LENSIS



ARGENTORATI

Sumptibus Lazari Zetzneri Bibliop.

M. DC. X.

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO AUGUSTO SECUNDO, DUCI SAXONIÆ,

Landgravio Thuringiæ, & Marggravio Miſniæ &c.
Domino ſuo Clementiſsimo.

ROMA

QUàm variæ & diſcrepantes ſapientum, Illuſtriſsime Princeps ac Domine, Domine clementiſsime, fuerint de ruinis & everſionib. Rerumpublicarum opiniones, ex illorum ſcriptis, qui ex profeſſo hanc materiam tractarunt, haberi & colligi poteſt. Alii enim ad certos ortus & obitus ſtellarum: alii ad ſingulares Planetarum conjunctiones & oppoſitiones: alii ad varias Ecclipſes & obſcurationes luminum: alii etiam olim ad tacitam numerorum virtutem, & latentes vires: alii ad fortunam incerto caſu res humanas rotantem: alii ad alias cauſas has rationes ſtatuum retulerunt. Verùm nos, illis cauſis ſuo loco relictis, ſcimus & certò credimus, DEUM ſtabilire regna, & rurſum movere & transferre eadem. Fundantur & minuuntur tunc divinâ providentiâ regna, quando pii, juſti & ſapientes Principes rebus præficiuntur, ſub illorum enim imperio τὰ τοῦ θεοῦ *benè ſe habent, juſtitia æquabili temperamento adminiſtratur, & pax intra ſubditorum latera ſe erigit & diffundit. Unde Plato, ſapientiſsimus Philoſophus, illas Reſpublicas beatas & felices prædicat, quæ à ſapientibus viris gubernantur. Convelluntur verò & penitùs atteruntur, quando impii, avari, injuſti & ſtulti ad clavum rerum gerendarum evehuntur, qui, dum omnem reverentiam erga DEUM, & leges exuunt, omnem pietatem & honeſtatem negligunt, in ambitionem, faſtum, luxum, & alia infinita ſcelera ſe demittunt, ſubditorum animos à ſe abalienant, ut poſtmodum nihil ſani aut recti de ſuis Rectoribus ſperantes, omnia confundant & permiſceant: quare neq; regentis autoritas, neq; ſubditorum erga Magiſtratum reverentia locum ſuum habere queunt. Et licet id ſæpè in Imperiis uſu eveniat, luculentiùs tamen in quibusdam Rebuspublicis videre eſt, quæ dum ſuam, quâ fruuntur, libertatem defendere neſciunt, vel propter* τῶν κρατούντων ἀμάθειαν, *vel ob ſubditorum faſtum & inſolentiam tam varias rerum ſuarum viciſsitudines experiuntur, ut nihil aliud, quàm certum exitium illas maneat. Loquuntur hoc ipſum rudera Athenienſis Reipublicæ. Hac præmaturâ morte Spartanorum imperium deletum & extinctum eſt: Carthago ipſa ob ſuperius poſita Dominorum & ſubditorum flagitia has calamitates eſt perpeſſa: Nec ipſa Roma, caput & compendium totius orbis, ſe tueri potuit ab iſtis cladibus & periculis, quemadmodum ex con-*

ſpiratione Marii, Syllæ, Catilinæ, Pompeii, Julii Cæſaris & aliorum videre eſt, quæque non ſine ſuſpiriis cogitari aut ſcribi poſſunt. Ipſa Aſia, quæ quondam ob templum Hieroſolymitanum nil niſi ſchola pietatis, doctrinarum ac honeſtatis fuit, penitùs eſt conſumta hiſce viciis, quæ cùm in ipſis viſceribus regni ἀναισθήτως ſerperent, nullum finem poſuerunt, antequam hanc florentiſſimam mundi partem in cineres ferè converterent. Et ſi unquam inter præclariſſimas urbes aliqua has fatales rerum mutationes perpeſſa eſt, certè nobiliſſima FLORENTIA pertulit. Nam cum ex ipſis Romanarum factionum diſcordiis prima cunabula & ætatem acceperit, his quaſi innutrita malis, nunquam ab illis liberari potuit, donec ad certum gubernationis cor, & ſtabile fundamentum ſiſteretur, in quo rurſum, tanquam in læto agro florere incœpit, atque etiamnum hodie viret. Quàm varias autem, & miſerandas rerum converſiones, ob accerrimas ſuperiorum contentiones, & deteſtandam inferiorum inſolentiam, ſuſtinuerit, hoc præclarum opus LEONARDI ARETINI, quod publici juris jam fecimus, luculenter docet. Si enim quis attentiùs hunc Hiſtoriarum librum evolverit, is veras everſionum Rerumpublicarum cauſas eruet. Nam cum profligatâ omni pietate & honeſtate, nobiliores ob inſignem ambitionem plebeios deſpicerent, ob luxum immoderatum opprimerent, ob Feſcenninam, qua flagrabant, libidinem contaminarent, ob faſtum vix ferendum conſumerent, & ob inexplebilem avaritiam eorum loculos penitùs exhaurirent, ij impatientiâ tandem fracti, omnem reverentiam erga DEUM & Magiſtratum projecerunt, ad illicita arma profugerunt, & tantas turbas dederunt, quæ poſt acerrimas concertationes, & conflictus varios & dubios, ad extremam internecionem Rempublicam pertraxerunt. Præter alia autem hoc conſideratione & admiratione digniſſimum, Rempublicam hanc Florentinam florentiſſimam non ſolùm à Romanis prima diſſenſionum ſemina accepiſſe, ſed ſemper, ut atteſtatur hic noſter Hiſtoricus, extitiſſe etiam ex Romanis, & eorum Legatis quibusdam, qui inter Patricios & plebem, ſummo ſtudio & datâ operâ illa ipſa foverunt & promoverunt. Solet enim eò quorundam libido prorumpere, ut divinis & humanis legibus poſthabitis, ſuæ ambitionis & luxus modum neque invenire, neq; ſtatuere poſſint. Has verò cauſas fatalium perturbationum hic noſter ARETINUS tam concinno ordine, & dicendi ſuavitate exponit, ut hiſce rationibus motus, tam elegans opus, quod varios & multos ludentis fortunæ caſus exprimit & monſtrat, utpote cujus manuſcriptũ inter meos libros hactenus delituit, diutiùs

ſupprimere

ſupprimere noluerim, præſertim cùm ex illuſtri illa Bibliotheca Sereniſſimi ac potentiſſimi ELECTORIS PALATINI &c. Principis ac Domini mei clementiſſimi, alia manuſcripta etiam impetrarim, quæ cum meo conferens, multo ſudore tandem hoc opus quàm maximè politum, & à mendis repurgatum ad editionem perfectiorem maturare, jamq́; in publicum emittere conatus ſum. Tuæ verò Celſitudini, Illuſtriſſime & celſiſſime Princeps ac Domine, Domine clementiſſime; humilimâ ſubjectione hoc quidquid eſt ARETINI commendare volui ac debui. Cum enim pro feliciſſima T. C. inauguratione ad hunc noſtrum Epiſcopatum rectè & ſapienter gubernandum, ſatis luculentum mei voti argumentum dare non potuerim, in ipſo hoc aditu T. C. ad hæc gubernacula laudabiliter capeſſenda ſubmiſſe hoc offero, tenue quidem, ſi ad T. C. conferatur, ſed ſatis difficile, ſi ad caſtigationem corrupti manuſcripti, & hactenus inter Apelliconis tineas cohibiti, componatur: Et quamvis non ſim neſcius, fore quoſdam ſciolos, qui, ut pro more omnia carpunt, & nihil rectè factum exiſtimant, niſi quod ipſimet expediunt, etiam hanc meam opellam perexiguam exagitaturi ſint, Patronum huic meo ſtudio quæſivi, ut ſi fortè hoc, quod in lucem prodit, ſugillare auderent T, tamen C. quæ hujus libri promptum ſuſcepit patrocinium, revererentur, quominus in aliorum labores conviciando excurrerent, & omnẽ nigrum ſalem conſumerent. DEUS ter OPT. MAX. C. T. clementer tueatur, regat & defendat, ut omnia conſilia dirigat ad nominis divini gloriam, & hujus Epiſcopatus & Diœceſeos incrementum & ſalutem. Datæ Naumburgi in præcipua T. C. Epiſcopali urbe. Calend. Januarij. Anno. M. DC. X.

Celſit. Illuſtriſſ.
Subjectiſſ.

Sixtus Bruno Döbelenſis Miſnic.

AD
SIXTUM BRUNONEM JURISCONSULTUM
Ampliſſ. Reipub. Naumburg. Conſulem.

Quod hactenus deerat, quod expetiverant,
Multi, tenebris abditum librariis,
Ac vix videndum in publico, ut metus fuit:
Hoc SIXTE BRUNO, juris aureum jubar,
Jam publicas. quid autem? ARETINI optimum
Opus, quod olim-geſta ab annis plurimis
Domi & foris FLORENTIAE, in ſe continet,
Et hac ſtili elegantioris ambitu
Deſcripta. Tuq; primus es, qui publicas;
Ergo labore maximo: aſt & cum tui
Praſtante laude nominis. Factum benè!
(Acclamo jure quod ſolebat priſca gens)
Factum benè & feliciter! ſic amplius
Lux additur vetuſtiori ſeculo:
Sic eruuntur multa, noſſe qua decet,
Clavum tenentes principem Reipublica.
BRUNO, ut coronam vertici dudum tuo
Themis ſacrata dedicavit auream:
Sic floream nunc porrigit, fax temporis,
Magiſtra veritatis & prudentia
HISTORIA. ſume, flore, & aternum vige!

Faciebam

M. Chriſtianus Becmanus
Bornenſis P. L.

LEONARDI ARETINI HISTORIARUM FLORENTINARUM

LIBER PRIMUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FLorentiam urbem Romani condidêre à L. Sylla Feſulas deducti. Fuerunt autem hi Syllani milites, quibus ob egregiam cùm in cæteris, tùm in civili bello, navatam operam, pars Feſulani agri eſt attributa, & Feſulæ unà cum veteribus incolis ſedes traditæ. Has civium deductiones conſignationesq; agrorum Romani colonias appellabant, quòd videlicet prædia, quæ colerent, quibusque inhabitarent, ſedes tradebantur. Quæ autem occaſio fuerit novos colonos in hæc loca deducẽdi, pro rei notitiâ aperiendũm eſt. Haud multos ante Syllæ dictaturam annos, cuncti fermè Italiæ populi unum ſub tempus à Romanis defecêre, indignatione commoti, quòd ipſi unà cum Romanis per ſingulas expeditiones militantes, laboresq; & pericula pro augendo imperio ſubeuntes, præmiorum expertes * agebantur. Quare ſæpius inter ſe conqueſti, tandem legatis communi de re Romam miſſis, quaſi civitatis membra, honores & magiſtratus concedi ſibi poſtulârunt. Agitata ea res eſt per M. Druſi tribunatum, dubiaque ſpe aliquandiu protracta. Sed cùm tandem eorum poſtulata rejicerentur, apertè, quaſi ab ingratis, rebellârunt, bellumq; geſſerunt: quod, quia à ſociis geſtum eſt, ſociale bellum nuncupatur. In eo demum bello victor populus Romanus, principes rebellandi provincias perſecutus, multis illas cladibus afflixit. Sed præſertim in Picentes Tuſcosque ſævitum. Nam & Aſculum, florentiſſima Picentum urbs, hoſtilem in modum à Romanis vaſtata eſt, & in Tuſcis Cluſium à ſolo everſum: Aretinis & Feſulanis, præter belli damna & cædes, magnæ inſuper calamitates inflictæ, * per quas publicatis multorum bonis, multisque fugatis, civitates ſunt penè habitatoribus inanitæ.

Florentia urbes a Romanis cõdita.
Syllani milites Feſula.
Colonia.
Quæ occaſio fuerit no[v]os colonos in Italiam deducendi.
Omnes fermè Italia populi à Romanis deſecerunt
* augebantur, Manu ſcripta Palatina habebant.
M. Druſus Tribunus.
Sociale bellum. Romanorum.
Aſculum Picentum urbs floren-tiſſima [v]aſtata.
Cluſium à ſolo everſum.
* afflictæ. M S. Pal.

Ea videlicet occaſio fuit, & quaſi invitamentum, ut Sylla poſtea dictator hæc potiſſimùm loca militibus ſuis tribueret. Per hunc igitur modum à L. Sylla militibus Feſulas deductis, agrisq; viritim diviſis, eorum plerique urbem montanam & difficilem aditu, præſertim in illâ ſecuritate Romani imperii, minimè ſibi neceſſariam arbitrati, relicto monte in proximè ſubjectâ planitie, ſecus Arni Munionisque fluviorum ripas conferre ædificia, & habitare cœperunt. Novam urbem, quòd inter fluenta duo poſita erat, Fluentiam primò vocitârunt, ejusque incolæ Fluentini dicti. Et id quidem nomen per aliqua tempora urbi fuiſſe videtur, donec creſcentibus rebus, & civitate majorem in modum adauctâ, ſive corrupto, ut in plerisque vocabulo, ſive quòd miro floreret ſucceſſu, pro Fluentiâ, Florentiam dixére. Meminerunt horum colonorum Tullius & Salluſtius, duo præſtantiſſimi Latinæ linguæ auctores. Tullius optimos fuiſſe cives Romanos, & fortiſſimos viros affirmat: ſed inſperatis ac repentinis divitiis, bello civili, à Sylla locupletatos, modum in ſumtibus ſervare neſciiſſe. Dum ædificant tanq̃ beati, dum magnis familiis, magnisque conviviis & ſumtuoſis apparatibus violentius utuntur, in tantum æs alienum incidiſſe, ut ſi liberare ſe velint, rurſus foret eis Sylla ab inferis excitandus. Equidem permagnifacio, quòd Latini parens eloquii de ædificiis ſcribit, ac ex eo ſpecioſa ab ipſis incunabulis fundamenta hujus urbis fuiſſe conjecto. Et extant ſanè, hodieq; permanent vetuſtorum reliquiæ operum, vel in hac noſtri temporis magnificentia civitatis admirandæ: aquæductus, per quem de ſeptimo lapide accepti fontes in urbem ducebantur: & theatri ingentis ad ludos populares tunc extra mœnia poſiti, nunc intra urbem ipſam privatorũ ædificiis occupati. Templum etiam, in quo nunc baptiſterium eſt, vetuſtũ ſanè ac egregium opus, Marti gentilitas conſecravit.

Arnus, Munio: flu[v]ii
Florentia no[v]a urbs unde dicta. Fluentini.
Florẽntia pro fluentia dicta fuit.
Tullius & Salluſtius duo præſtantiſſimi linguæ latinæ autores.
Reliquiæ operum vetuſtorum.
Aquæductus.
Theatrum.
Templum Marti conſecratum.

Videntur autem hi coloni, ſive levandi deſiderii causâ, ſive amore veteris patriæ, pleraque Romanæ urbis loca ædificiaque æmulari voluiſſe. Nam & Capitolium ſibi fecerunt, & forum juxta poſitum, eo ſitu iisdemque regionibus inter ſe converſa, queis Romanum forum Capitoliumque videmus. Addiderunt thermas publicas, ad populi lavacra; theatrum ad ſpectacula ludorum. Ex eadem æmulatione templum Martis eſt, in quem videlicet Deum Romani genus, fabulosâ licet

Capitolium, Forum.
Thermæ publicæ.

credulitate, referebant. Uſq; adeò vero æmulandi ſtudio provecti ſunt, ut etiam minùs neceſſaria opera majori impenſâ non piguerit imitari. Productis ad ſeptimum uſq; milliarium arcubus, fontes accepti in urbem ducebantur, qui ut Romæ opportuni, ubi omnis aqua gypſo corrupta ſolo profertur: ſic Florentiæ ſuperflui, ubi puriſſimi latices totâ urbe ſcaturiunt. Huic publicæ magnificentiæ privata quoque ædificia conveniſſe crediderim, quamvis in privatis minùs appareat. Nam publicis quidem, ut ſupra diximus, non contemnendæ reliquiæ atteſtantur. In his igitur ædificationibus ac cætero vitæ ſplendore, quem Tullius memorat, occupatos, dum nec futurum proſpiciunt, nec parto parcunt, brevi, ut fit, tempore pecuniæ defecerunt. Et ſimul unica largitionum ſpes L. Sylla non dictaturâ modò, verùm etiam vitâ abierat. Itaque partim indigentiâ, partim conſuetudine præmiorum adducti, novum aliquem motum exoriri optabant. Viri militares & civili bello aſſueti, quietes eſſe nullo pacto ſciebant, ru..us novas dictaturas, & nova belli præmia mente volutabant. Et accedebat æs alienum, acer quidem ſtimulus & qui timidis etiam animos facere ſoleat ad otium perturbandum.

Fontes.

L. Catilinæ conjuratio.
C. Cæſar.

Fortè per id tempus Romæ L. Catilina res novare aggreſſus, magnam adverſus Remp. conjurationem inierat, in qua multi equeſtris, multi ſenatorii ordinis, quidam item patritii generis fuerunt. Tetigitq; ſuſpicio C. Cæſarem, eum, qui poſtea dictator fuit: tunc autem non privatus tantùm, ſed & alieno ære onuſtus, res novas cupere putabatur. Multa igitur priùs Romæ efficere conatus, ubi tentata parum proſperè ſuccedebant, parte conjuratorum intra urbem, ad patranda illa quæ præſcripſerat, relictâ, ipſe cum reliquis exire, ac foris bellum concitare decrevit. Et primò quidem Præneſte nocturno impetu occupare, ibique ſedem belli inſtituere cogitarat; mox verò, ut diligentiùs eam urbem cuſtodiri ſenſit, mutato conſilio pro Præneſte Feſulas delegit. Egreſſus itaq; Româ, & ad hæc ipſa loca profectus, regionem totam bello armiſq; involvit. Hoc primum periculum, & ultimum penè diſcrimen teneræ adhuc urbi & modò conditæ fuit, quod tamen ita evaſit, ut commodius equidem poſuerim accidiſſe. Nam Lentulus & Cethegus, aliiq; conjurationis principes, quos Romæ Catilina reliquerat, dum plures ſecum in ſocietatem facinoris adſciſcere conantur, proditi à legatis Allobrogum, & in ſenatu convicti, ultimo tandem ſupplicio affecti periêre. Catilina verò, ut hæc audivit, quando ſpes jam fractæ, & conatus in irritum caſuri videbantur, in Galliam fugere conatus eſt: ſed ab exercitibus Romanis circumventus, & fortunam pugnæ experiri coactus, unà cum ſuis in Piſtorienſi agro occiditur. Hæc ego, quanquam pervulgata harum rerum hiſtoria ſit: tamen quia in hanc regionem, & primordia hujus urbis inciderunt, paucis commemoranda putavi. Enimverò hic motus rerum, ac belli vicinitas ut non nihil detrimenti novæ urbi incuſſiſſe; ſic veluti quandam ſalutarem diſciplinam hominibus attuliſſe videtur. *Per aliena namq; pericula, ſpe novarũ dictaturarum præmiorumq;, quibus ante vehementiùs inhiabant, depoſitâ; ſuis contentos eſſe rebus oportere, tunc primùm didicerunt, & ſpem in turbatione ponere, vanum ac periculoſum eſſe.* Simul igitur cum animi propoſito mutare mores, terreri alieno ære, ſua diligenter circumſpicere ac perpendere, parſimoniæ & frugalitati operã dare, ſobrietatem colere, diſciplinam rei domeſticæ exercere, luxuriam & prodigalitatem, viam ad perniciem exiſtimare, hæc ipſi facere, hæc liberos edocere. Igitur civitas, emendatis moribus, robuſtiùs coaleſcere; & immigrabant frequentes, dulcedine loci amœnitateq; pellecti: ſurgebant ædificia, ſoboles augebatur: Creſcere tamẽ civitatis potentiam, ac majorem in modum attolli, Romanæ magnitudinis vicinitas prohibebat. *Ut enim ingentes arbores novellis plantis juxtà ſurgentibus officere ſolent, nec, ut altius creſcant, permittere: Sic Romanæ urbis moles ſuâ magnitudine vicinitatem premens, nullam Italiæ civitatem majorem in modum creſcere patiebatur.* Quinimo & quæ antè fuerant magnæ, ob ejus urbis gravem nimium propinquitatem exhauſtæ porro deminutæq; ſunt. Quem ad modum enim tunc creſceret civitatis potentia? Neque ſanè fines augere bello poterat, ſub imperio conſtituta, nec omninò bella exercere. Nec Magiſtratus ſatis magnifici; quippe eorum juriſdictio intra breves limites claudebatur, & hæc ipſa Romanis Magiſtratibus erat obnoxia. Mercaturæ quoque, ſi quis forte eam partem ad incrementum civitatis attinere quicquam exiſtimet, non alibi per id tempus; quam Romæ commodiùs exercebantur. Ibi frequentia hominum & venundandi facultas, eorum portus, eorum inſulæ,

Præneſte.

Feſulæ.

Lentulus & Cethegus ultimo ſupplicio afficiuntur. Saluſt. de Conjur. Catilinæ.

Catilina occiditur. Idem eod. loco circa fin.

Spem in turbatione ponere vanum & periculoſum eſt.

Romana magnitudo prohibet potentiam Florentinorum.

Magnæ urbes ob Romæ propinquitatem deminutæ ſunt.

Juriſdictio Florentinorum intra breves limites claudebatur.

Mercatura Florentiæ exercentur.

eorum portoria: Ibi gratia, ibi publicarum favor; alibi neque gratia, neque potentia par. Itaque ſicubi quiſquam per propinqua loca naſcebatur ingenio validus, is, quia domi has ſibi difficultates obſtare videbat, Romam continuo demigrabat. Ita quidquid egregium per Italiam naſcebatur ad ſe trahens, alias civitates exhauriebat; quod antecedentia ſimul & ſecuta tempora manifeſtiſſimè oſtendunt. Etenim priuſquam Romani rerum potirentur, multas per Italiam civitates genteſq; magnificè floruiſſe, easdem omnes, ſtante Romano imperio, exinanitas conſtat. Rurſus verò poſteris temporib⁹, ut dominatio Romana ceſſavit, confeſtim reliquæ civitates efferre capita, & florere cœperunt, adeò quod incrementum abſtulerat, deminutio reddidit. Quoniam verò de civitatibus Hetruriæ multa dicturi ſumus, potiſſimũ * nobis videtur ab ipſis vetuſtiſſimis incipiẽtes, de tota Hetruſca re; qualis ante Romanum imperiũ, qualiſq; poſtea fuerit, quàm breviſſimè fieri poterit, recenſere, & ſimul illud annectere, poſtquã potẽtia Romana ceſſavit, quæ civitates in eã floruerint, quæ capita extulerint, quã potentiã habuerint: ut ex hac notititia & narratione rerum Hetruſcarum peritiores inſtructioreſq; ad tempora uſq; noſtra deducamur.

Roma alias civitates exhauriebat.

** utiliſſimum MS. Pal.*

Ante Romanum quidem imperium longè maximas totius Italiæ opes, maximamque potentiam, ac præ cæteris vel bello vel pace inclytum nomen Hetruſcorum fuiſſe, inter omnes antiquiſſimos rerum ſcriptores haud ambiguè conſtat. Origo autem vetuſtiſſima ejus gentis ex Mæonia eſt, unde Lydi multitudine ingenti, ac præclarâ bello manu Italiam navibus advecti, in ea parte, quæ nunc Hetruria dicitur, conſederunt, pulſiſq; inde Pelaſgis, cæteriſq; ejus regionis veteribus incolis à Tyrrheno eorum Rege, Tyrrheniam nuncuparunt. Auctâ ſubinde ſubole, & potentiâ ſimul cum multitudine indies creſcente, quantum inter Apenninum montem & inferum mare, Tybrimque & Macram fluvios, terrarum clauditur; id totum propagatis finibus tenuére, mox Hetruſci, à ſacrifico, ut creditur, ritu, vel à ſereni contemplatione cœli, Græcâ linguâ nuncupati, ipſaq; regio Hetruria dicta. Totam verò Hetruſcam gentem in duodecim populos diviſam fuiſſe, veteres tradidére, ſed eos omnes ab initio Rex unus gubernabat. Tandẽ ut regia poteſtas gravior illis viſa, ex ſingulos Lucumones, ſic enim Magiſtratũ vocitabant, q cõmuni ſingulis populis cõſilio totã regeret gentem, creare cœperunt. Eorũ unus certo tẽpore alijs præerat, ita tamẽ, ut autoritate & honore, nõ potentiâ, Princeps eſſet. Sub hoc igitur magiſtratu per longa tempora pari voluntate auctoritateq; XII populorum Hetruria gubernata, *qualis Concordiæ fructus eſſe ſolet*, in tantas opes potentiamque accrevit, ut non ſolùm urbibus paſſim opportunis locis per eam conditis, viriſq; & divitiis intra fines floreret; verùm etiam extra longè lateque dominaretur. Teſtes ejus potentiæ ſunt duo maria, quibus Italia, modo Inſulæ, cingitur; utraq; ſanè non ab alijs populis, quàm ab Hetruſcis nominata. Inferius Tuſcum, idemq; Tyrrhenũ, vetuſto gentis nomine; quæ appellatio, ut quibusdam Græcis placet, ab Sardinia in Siciliam obtinet. Superius Adriaticũ ab Adria, opido quondam maritimis rebus maximè inclito, quod Hetruſci per ea tempora, ijs quoq; locis dominantes, juxta litus ſuperi maris non longè à Padi oſtijs condidêre. Etenim Apenninum transgreſſi omnia primò cis Padum loca, mox & Transpadanam regionem totam uſq; ad Alpes, præter extremum Venetorum angulum, bello & armis ſubacta Hetruſci poſſederunt. Inde per tractum Adriatici maris deſcendentes, magnam ejus litoris tenuerunt partem, pulſis Umbris, gente per eam tempeſtatẽ maximâ ac potentiſſimâ, quorũ ſupra trecẽta opida ab Hetruſcis debellata fuiſſe, veteres tradunt hiſtoriæ. Cis Apenninũ verò per inferiorem Italiæ partem, ad fretum uſque Siculum eorum potentia provecta eſt. Hæc autem per loca frequentibus miſſis coloniis multæ quidem urbes ab eis cõditæ, multæ etiam, veteribus exactis poſſeſſoribus, novo colono repletæ memorantur, quarũ veluti indices eorum potentiæ adhuc extant. Ab inferiori quidem Italiæ parte Capua inter inclitas quondam urbes perpaucas, nominata: A ſuperiori verò Mantua & ipſa quoq; Hetruſcorũ colonia. Nam ex ſingulis Hetruriæ populis, quos duodecim fuiſſe ſuprà docuimus, ſingulas colonias trãs Apẽninũ miſſas cõſtat, quarũ præcipuæ, fuerunt urbes: Adria, ex qua Adriatico nomẽ eſt mari, item Mantua, quæ ex Transpadanis ſola nunc extat. Videtur autem hujus gentis potentia vetuſtiſſimũ quidem initium habuiſſe, ut pote quæ ante Trojani belli tempora, non aucta modò, verùm etiam pollens florenſq; fuerit. Aeneam deniq; Trojâ profugum, cùm à Latinis & Rutulis bello premeretur, ad florentes Hetruſcorum opes contuliſſe ſeſe, ac

Ante Romanum Imperium Hetruſcorum nomen inclytum fuit.

Hetruſcorum Origo eſt ex Mæonia.

Lydi.

Pelaſgi.

Tyrrhenus Rex.

Tyrrhenia.

Hetruſci unde nuncupentur.

Gens Hetruſca in 12 populos diviſa fuit.

Lucumones.

Per Concordiam Hetruria accrevit.

Hetruria potentia.

Duo Maria.

Inferius Tuſcum.

Superius Adriaticum.

Adria oppidũ.

Padus fluvius.

Transpadana regio.

Umbri gens potẽtiſſima.

Umbrorũ trecẽta oppida ab Hetruſcis ſunt debellata.

Capua.

Mantua Hetruſcorum colonia.

Hetruſca gentis initium vetuſtiſſimum.

Aeneas Hetruſcorum auxilium petijt.

Digitized by Google

LEONARDI ARETINI HISTORIARUM FLORENTINARUM LIBRI XII.

Quibus acceſſerunt

QUORUNDAM SUO TEMPORE IN Italia geſtorum

&

DE REBUS GRÆCIS COMMENTARII,

AB INTERITU VINDICATI, NEC non à mendis innumeris repurgati, & ex manuſcriptis in lucem editi ſtudio & operâ

SIXTI BRUNONIS, DOBELENSIS



ARGENTORATI

Sumptibus Lazari Zetzneri Bibliop.

M. DC. X.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO AUGUSTO SECUNDO, DUCI SAXONIÆ,

Landgravio Thuringiæ, & Marggravio Miſniæ &c.
Domino ſuo Clementiſsimo.

QUàm variæ & diſcrepantes ſapientum, Illuſtriſsime Princeps ac Domine, Domine clementiſsime, fuerint de ruinis & everſionib. Rerumpublicarum opiniones, ex illorum ſcriptis, qui ex profeſſo hanc materiam tractarunt, haberi & colligi poteſt. Alii enim ad certos ortus & obitus ſtellarum: alii ad ſingulares Planetarum conjunctiones & oppoſitiones: alii ad varias Ecclipſes & obſcurationes luminum: alii etiam olim ad tacitam numerorum virtutem, & latentes vires: alii ad fortunam incerto caſu res humanas rotantem: alii ad alias cauſas has rationes ſtatuum retulerunt. Verùm nos, illis cauſis ſuo loco relictis, ſcimus & certò credimus, DEUM ſtabilire regna, & rurſum movere & transferre eadem. Fundantur & minuuntur tunc divinâ providentiâ regna, quando pii, juſti & ſapientes Principes rebus præficiuntur, ſub illorum enim imperio τὰ τοῦ θεοῦ *benè ſe habent, juſtitia æquabili temperamento adminiſtratur, & pax intra ſubditorum latera ſe erigit & diffundit. Unde Plato, ſapientiſsimus Philoſophus, illas Reſpublicas beatas & felices prædicat; quæ à ſapientibus viris gubernantur. Convelluntur verò & penitùs atteruntur, quando impii, avari, injuſti & ſtulti ad clavum rerum gerendarum evehuntur, qui, dum omnem reverentiam erga DEUM, & leges exuunt, omnem pietatem & honeſtatem negligunt, in ambitionem, faſtum, luxum, & alia infinita ſcelera ſe demittunt, ſubditorum animos à ſe abalienant, ut poſtmodum nihil ſani aut recti de ſuis Rectoribus ſperantes, omnia confundant & permiſceant: quare neq; regentis autoritas, neq; ſubditorum erga Magiſtratum reverentia locum ſuum habere queunt. Et licet id ſæpè in Imperiis uſu eveniat, luculentiùs tamen in quibuſdam Rebuspublicis videre eſt, quæ dum ſuam, quâ fruuntur, libertatem defendere neſciunt, vel propter* τῶν κρατούντων ἀμάθειαν*; vel ob ſubditorum faſtum & inſolentiam tam varias rerum ſuarum viciſsitudines experiuntur, ut nihil aliud, quàm certum exitium illas maneat. Loquuntur hoc ipſum rudera Athenienſis Reipublicæ. Hæc præmaturâ morte Spartanorum imperium deletum & extinctum eſt: Carthago ipſa ob ſuperius poſita Dominorum & ſubditorum flagitia has calamitates eſt perpeſſa: Nec ipſa Roma, caput & compendium totius orbis, ſe tueri potuit ab iſtis cladibus & periculis, quemadmodum ex con-*

ſpiratione Marii, Syllæ, Catilinæ, Pompeii, Julii Cæſaris & aliorum videre eſt, quæque non ſine ſuſpiriis cogitari aut ſcribi poſſunt. Ipſa Aſia, quæ quondam ob templum Hieroſolymitanum nil niſi ſchola pietatis, doctrinarum ac honeſtatis fuit, penitùs eſt conſumta hiſce viciis, quæ cùm in ipſis viſceribus regni ἀναισθήτως ſerperent, nullum finem poſuerunt, antequam hanc florentiſſimam mundi partem in cineres ferè converterent. Et ſi unquam inter præclariſſimas urbes aliqua has fatales rerum mutationes perpeſſa eſt, certè nobiliſſima FLORENTIA pertulit. Nam cùm ex ipſis Romanarum factionum diſcordiis prima cunabula & ætatem acceperit, his quaſi innutrita malis, nunquam ab illis liberari potuit, donec ad certum gubernationis cor, & ſtabile fundamentum ſiſteretur, in quo rurſum, tanquam in læto agro florere incœpit, atque etiamnum hodie viret. Quàm varias autem, & miſerandas rerum converſiones, ob accerrimas ſuperiorum contentiones, & deteſtandam inferiorum inſolentiam, ſuſtinuerit, hoc præclarum opus LEONARDI ARETINI, quod publici juris jam fecimus, luculenter docet. Si enim quis attentiùs hunc Hiſtoriarum librum evolverit, is veras everſionum Rerumpublicarum cauſas eruet. Nam cum profligatâ omni pietate & honeſtate, nobiliores ob inſignem ambitionem plebeios deſpicerent, ob luxum immoderatum opprimerent, ob Feſcenninam, quâ flagrabant, libidinem contaminarent, ob faſtum vix ferendum conſumerent, & ob inexplebilem avaritiam eorum loculos penitùs exhaurirent, ii impatientiâ tandem fracti, omnem reverentiam erga DEUM & Magiſtratum projecerunt, ad illicita arma profugerunt, & tantas turbas dederunt, quæ poſt acerrimas concertationes, & conflictus varios & dubios, ad extremam internecionem Rempublicam pertraxerunt. Præter alia autem hoc conſideratione & admiratione digniſſimum, Rempublicam hanc Florentinam florentiſſimam non ſolùm à Romanis prima diſſenſionum ſemina accepiſſe, ſed ſemper, ut atteſtatur hic noſter Hiſtoricus, extitiſſe etiam ex Romanis, & eorum Legatis quibusdam, qui inter Patricios & plebem, ſummo ſtudio & datâ operâ illa ipſa foverunt & promoverunt. Solet enim eò quorundam libido prorumpere, ut divinis & humanis legibus poſthabitis, ſuæ ambitionis & luxus modum neque invenire, neq; ſtatuere poſſint. Has verò cauſas fatalium perturbationum hic noſter ARETINUS tam concinno ordine, & dicendi ſuavitate exponit, ut hiſce rationibus motus, tam elegans opus, quod varios & multos ludentis fortunæ caſus exprimit & monſtrat, utpote cujus manuſcriptũ inter meos libros hactenus delituit, diutiùs

ſupprimere noluerim, præſertim cùm ex illuſtri illa Bibliotheca Sereniſſimi ac potentiſſimi ELECTORIS PALATINI &c. Principis ac Domini mei clementiſſimi, alia manuſcripta etiam impetrarim, quæ cum meo conferens, multo ſudore tandem hoc opus quàm maximè politum, & à mendis repurgatum ad editionem perfectiorem maturare, jamq́; in publicum emittere conatus ſum. Tuæ verò Celſitudini, Illuſtriſſime & celſiſſime Princeps ac Domine, Domine clementiſſime; humilimâ ſubjectione hoc quidquid eſt ARETINI commendare volui ac debui. Cum enim pro feliciſſima T. C. inauguratione ad hunc noſtrum Epiſcopatum rectè & ſapienter gubernandum, ſatis luculentum mei voti argumentum dare non potuerim, in ipſo hoc aditu T. C. ad hæc gubernacula laudabiliter capeſſenda ſubmiſſè hoc offero, tenue quidem, ſi ad T. C. conferatur, ſed ſatis difficile, ſi ad caſtigationem corrupti manuſcripti, & hactenus inter Apelliconis tineas cohibiti, componatur: Et quamvis non ſim neſcius, fore quoſdam ſciolos, qui, ut pro more omnia carpunt, & nihil rectè factum exiſtimant, niſi quod ipſimet expediunt, etiam hanc meam opellam perexiguam exagitaturi ſint, Patronum huic meo ſtudio quæſivi, ut ſi fortè hoc, quod in lucem prodit, ſugillare auderent T, tamen C. quæ hujus libri promptum ſuſcepit patrocinium, revererentur, quo minus in aliorum labores conviciando excurrerent, & omnē nigrum ſalem conſumerent. DEUS ter OPT. MAX. C. T. clementer tueatur, regat & defendat, ut omnia conſilia dirigat ad nominis divini gloriam, & hujus Epiſcopatus & Diœceſeos incrementum & ſalutem. Data Naumburgi in præcipua T. C. Epiſcopali urbe. Calend. Januarij. Anno. M. DC. X.

Celſit. Illuſtriſſ.
Subjectiſſ.

Sixtus Bruno Döbelenſis Misnic.

LEONARDI ARETINI
HISTORIARUM FLORENTINARUM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

LIBER PRIMUS.

FLorentiam urbem Romani condidêre à L. Sylla Feſulas deducti. Fuerunt autem hi Syllani milites, quibus ob egregiam cùm in cæteris, tùm in civili bello, navatam operam, pars Feſulani agri eſt attributa, & Feſulæ unà cum veteribus incolis ſedes traditæ. Has civium deductiones conſignationesq; agrorum Romani colonias appellabant, quòd videlicet prædia, quæ colerent, quibusque inhabitarent, ſedes tradebantur. Quæ autem occaſio fuerit novos colonos in hæc loca deducẽdi, pro rei notitiâ aperiendum eſt. Haud multos ante Syllæ dictaturam annos, cuncti fermè Italiæ populi unum ſub tempus à Romanis defecêre, indignatione commoti, quòd ipſi unà cum Romanis per ſingulas expeditiones militantes, laboresq; & pericula pro augendo imperio ſubeuntes, præmiorum expertes * agebantur. Quare ſæpius inter ſe conqueſti, tandem legatis communi de re Romam miſſis, quaſi civitatis membra, honores & magiſtratus concedi ſibi poſtulârunt. Agitata ea res eſt per M. Druſi tribunatum, dubiaque ſpe aliquandiu protracta. Sed cùm tandem eorum poſtulata rejicerentur, apertè, quaſi ab ingratis, rebellârunt, bellumq; geſſerunt: quod, quia à ſociis geſtum eſt, ſociale bellum nuncupatur. In eo demum bello victor populus Romanus, principes rebellandi provincias perſecutus, multis illas cladibus afflixit. Sed præſertim in Picentes Tuſcosque ſævitum. Nam & Aſculum, florentiſſima Picentum urbs, hoſtilem in modum à Romanis vaſtata eſt, & in Tuſcis Cluſium à ſolo everſum: Aretinis & Feſulanis, præter belli damna & cædes, magnæ inſuper calamitates inflictæ, * per quas publicatis multorum bonis, multisque fugatis, civitates ſunt penè habitatoribus inanitæ.

*Florentia urbs a Romanis cõdita. Syllani milites Feſula. Colonia. Quæ occaſio fuerat novos colonos in Italiam deducendi. Omnes fermè Italiæ populi à Romanis defecerunt. * angebantur. Manu ſcripta Palatina habebant. M. Druſus Tribunus. Sociale bellum Romanorum. Aſculum Picentum urbs florentiſſima vaſtata. Cluſium à ſolo everſum. * afflictæ. M.S. Pal.*

Ea videlicet occaſio fuit, & quaſi invitamentum, ut Sylla poſtea dictator hæc potiſſimùm loca militibus ſuis tribueret. Per hunc igitur modum à L. Sylla militibus Feſulas deductis, agrisq; viritim diviſis, eorum plerique urbem montanam & difficilem aditu, præſertim in illâ ſecuritate Romani imperii, minimè ſibi neceſſariam arbitrati, relicto monte in proximè ſubjectâ planitie, ſecus Arni Munionisque fluviorum ripas conferte ædificia, & habitare cœperunt. Novam urbem, quòd inter fluenta duo poſita erat, Fluentiam primò vocitârunt, ejusque incolæ Fluentini dicti. Et id quidem nomen per aliqua tempora urbi fuiſſe videtur, donec creſcentibus rebus, & civitate majorem in modum adauctâ, ſive corrupto, ut in plerisque vocabulo, ſive quòd miro floreret ſucceſſu, pro Fluentiâ, Florentiam dixêre. Meminerunt horum colonorum Tullius & Salluſtius, duo præſtantiſſimi Latinæ linguæ auctores. Tullius optimos fuiſſe cives Romanos, & fortiſſimos viros affirmat: ſed inſperatis ac repentinis divitiis, bello civili, à Sylla locupletatos, modum in ſumtibus ſervare neſciiſſe. Dum ædificant tanq̃ beati, dum magnis familiis, magnisque conviviis & ſumtuoſis apparatibus violentius utuntur, in tantum æs alienum incidiſſe, ut ſi liberare ſe velint, rurſus foret eis Sylla ab inferis excitandus. Equidem permagnifacio, quòd Latini parens eloquii de ædificiis ſcribit, ac ex eo ſpecioſa ab ipſis incunabulis fundamenta hujus urbis fuiſſe conjecto. Et extant ſanè, hodieq; permanent vetuſtorum reliquiæ operum, vel in hac noſtri temporis magnificentia civitatis admirandæ: aquæductus, per quem de ſeptimo lapide accepti fontes in urbem ducebantur: & theatri ingentis ad ludos populares tunc extra mœnia poſiti, nunc intra urbem ipſam privatorũ ædificiis occupati. Templum etiam, in quo nunc baptiſterium eſt, vetuſtũ ſanè ac egregium opus, Marti gentilitas conſecravit.

Arnus. Munio flumen. Florentia urbs a urbs unde dicta. Fluentini. Florẽtia pro fluentia dicta fuit. Tullius & Salluſtius duo præſtantiſſimi linguæ latinæ autores. Reliquiæ operum vetuſtorum. Aquæductus. Theatrum. Templum Marti conſecratum.

Videntur autem hi coloni, ſive levandi deſiderii cauſâ, ſive amore veteris patriæ, pleraque Romanæ urbis loca ædificiaque æmulati voluiſſe. Nam & Capitolium ſibi fecerunt, & forum juxta poſitum, eo ſitu iisdemque regionibus inter ſe converſa, queis Romanum forum Capitoliumque videmus. Addiderunt thermas publicas, ad populi lavacra; theatrum ad ſpectacula ludorum. Ex eadem æmulatione templum Martis eſt, in quem videlicet Deum Romani genus, fabuloſâ licet

Capitolium, Forum. Thermæ publicæ.

credulitate, referebant. Uſq; adeò vero æmulandi ſtudio provecti ſunt, ut etiam minùs neceſſaria opera majori impenſâ non piguerit imitari. Productis ad ſeptimum uſq; milliarium arcubus, fontes accepti in urbem ducebantur, qui ut Romæ opportuni, ubi omnis aqua gypſo corrupta ſolo proſertur: ſic Florentiæ ſuperflui, ubi puriſſimi latices totâ urbe ſcaturiunt. Huic publicæ magnificentiæ privata quoque ædificia conveniſſe crediderim, quamvis in privatis minùs appareat. Nam publicis quidem, ut ſupra diximus, non contemnendæ reliquiæ atteſtantur. In his igitur ædificationibus ac cætero vitæ ſplendore, quem Tullius memorat, occupatos, dum nec futurum proſpiciunt, nec parto parcunt, brevi, ut fit, tempore pecuniæ defecerunt. Et ſimul unica largitionum ſpes L. Sylla non dictaturâ modò, verùm etiam vitâ abierat. Itaque partim indigentiâ, partim conſuetudine præmiorum adducti, novum aliquem motum exoriri optabant. Viri militares & civili bello aſſueti, quietes eſſe nullo pacto ſciebant, ru..us novas dictaturas, & nova belli præmia mente volutabant. Et accedebat æs alienum, acer quidem ſtimulus & qui timidis etiam animos facere ſoleat ad otium perturbandum.

Fontes.

L. Catilina conjuratio.
C. Cæſar.

Fortè per id tempus Romæ L. Catilina res novare aggreſſus, magnam adverſus Remp. conjurationem inierat, in qua multi equeſtris, multi ſenatorii ordinis, quidam item patritii generis fuerunt. Tetigitq; ſuſpicio C. Cæſarem, eum, qui poſtea dictator fuit: tunc autem non privatus tantùm, ſed & alieno ære onuſtus, res novas cupere putabatur. Multa igitur priùs Romæ efficere conatus, ubi tentata parum proſperè ſuccedebant, parte conjuratorum intra urbem, ad patranda illa quæ præſcripſerat, relictâ, ipſe cum reliquis exire, ac foris bellum concitare decrevit. Et primò quidem Præneſte nocturno impetu occupare, ibique ſedem belli inſtituere cogitarat; mox verò, ut diligentiùs eam urbem cuſtodiri ſenſit, mutato conſilio pro Præneſte Feſulas delegit. Egreſſus itaq; Româ, & ad hæc ipſa loca profectus, regionem totam bello armiſq; involvit. Hoc primum periculum, & ultimum penè diſcrimen teneræ adhuc urbi & modò conditæ fuit, quod tamen ita evaſit, ut commodius equidem poſuerim accidiſſe. Nam Lentulus & Cethegus, aliiq; conjurationis principes, quos Romæ Catilina reliquerat, dum plures ſecum in ſocietatem facinoris adſciſcere conantur, proditi à legatis Allobrogum, & in ſenatu convicti, ultimo tandem ſupplicio affecti periêre. Catilina verò, ut hæc audivit, quando ſpes jam fractæ, & conatus in irritum caſuri videbantur, in Galliam fugere conatus eſt: ſed ab exercitibus Romanis circumventus, & fortunam pugnæ experiri coactus, unà cum ſuis in Piſtorienſi agro occiditur. Hæc ego, quanquam pervulgata harum rerum hiſtoria ſit: tamen quia in hanc regionem, & primordia hujus urbis inciderunt, paucis commemoranda putavi. Enimverò hic motus rerum, ac belli vicinitas ut non nihil detrimenti novæ urbi incuſſiſſe; ſic veluti quandam ſalutarem diſciplinam hominibus attuliſſe videtur. *Per aliena namq; pericula, ſpe novarũ dictaturarum præmiorumq;, quibus ante vehementiùs inhiabant, depoſitâ; ſuis contentos eſſe rebus oportere, tunc primùm didicerunt, & ſpem in turbatione ponere, vanum ac perculoſum eſſe.* Simul igitur cum animi propoſito mutare mores, terreri alieno ære, ſua diligenter circumſpicere ac perpendere, parſimoniæ & frugalitati operã dare, ſobrietatem colere, diſciplinam rei domeſticæ exercere, luxuriam & prodigalitatem, viam ad perniciem exiſtimare, hæc ipſi facere, hæc liberos edocere. Igitur civitas, emendatis moribus, robuſtiùs coaleſcere; & immigrabant frequentes, dulcedine loci amœnitateq; pellecti: ſurgebant ædificia, ſoboles augebatur. Creſcere tamẽ civitatis potentiam, ac majorem in modum attolli, Romanæ magnitudinis viciniſtas prohibebat. *Ut enim ingentes arbores novellis plantis juxtà ſurgentibus officere ſolent, nec, ut altius creſcant, permittere: Sic Romanæ urbis moles ſuâ magnitudine vicinitatem premens, nullam Italiæ civitatem majorem in modum creſcere patiebatur.* Quinimo & quæ antè fuerant magnæ, ob ejus urbis gravem nimium propinquitatem exhauſtæ porro deminutæq; ſunt. Quem ad modum enim tunc creſceret civitatis potentia? Neque ſanè fines augere bello poterat, ſub imperio conſtituta, nec omninò bella exercere. Nec Magiſtratus ſatis magnifici; quippe eorum juriſdictio intra breves limites claudebatur, & hæc ipſa Romanis Magiſtratibus erat obnoxia. Mercaturæ quoque, ſi quis forte eam partem ad incrementum civitatis attinere quicquam exiſtimet, non alibi per id tempus; quam Romæ commodiùs exercebantur. Ibi frequentia hominum & venundandi facultas, eorum portus, eorum inſulæ, eorum

Præneſte.

Feſulæ.

Lentulus & Cethegus ultimo ſupplicio afficiuntur.
Saluſt. de Conjur. Catilinæ.

Catilina occiditur.
Idem eod. loco circa fin.

Spem in turbatione ponere vanum & periculoſum eſt.

Romana magnitudo prohibet potentiam Florentinorum.
Magnæ urbes ob Romæ propinquitatem deminutæ ſunt.
Juriſdictio Florentinorum intra breves limites claudebatur.
Mercatura Florentiæ exercentur.

eorum portoria: Ibi gratia, ibi publicarum favor; alibi neque gratia, neque potentia par. Itaque ſicubi quiſquam per propinqua loca naſcebatur ingenio validus, is, quia domi has ſibi difficultates obſtare videbat, Romam continuo demigrabat. Ita quidquid egregium per Italiam naſcebatur ad ſe trahens, alias civitates exhauriebat; quod antecedentia ſimul & ſecuta tempora manifeſtiſſimè oſtendunt. Etenim priuſquam Romani rerum potirentur, multas per Italiam civitates genteſq; magnificè floruiſſe, eaſdem omnes, ſtante Romano imperio, exinanitas conſtat. Rurſus verò poſteris temporib', ut dominatio Romana ceſſavit, confeſtim reliquæ civitates efferre capita, & florere cœperunt, adeò quod incrementum abſtulerat, deminutio reddidit. Quoniam verò de civitatibus Hetruriæ multa dicturi ſumus, potiſſimũ * nobis videtur ab ipſis vetuſtiſſimis Incipiẽtes, de tota Hetruſca re; qualis ante Romanum imperiũ, qualiſq; poſtea fuerit, quàm breviſſimè fieri poterit, recenſere, & ſimul illud annectere, poſtquã potẽtia Romana ceſſavit, quæ civitates in ea floruerint, quæ capita extulerint, quã potentiã habuerint: ut ex hac notititia & narratione rerum Hetruſcarum peritiores inſtructioreſq; ad tempora uſq; noſtra deducamus.

Roma alias civitates exhauriebat.

** utiliſſimum MS. Pal.*

Ante Romanum quidem imperium longè maximas totius Italiæ opes, maximamque potentiam, ac præ cæteris vel bello vel pace inclytum nomen Hetruſcorum fuiſſe, inter omnes antiquiſſimos rerum ſcriptores haud ambiguè conſtat. Origo autem vetuſtiſſima ejus gentis ex Mæonia eſt, unde Lydi multitudine ingenti, ac præclarâ bello manu Italiam navibus advecti, in ea parte, quæ nunc Hetruria dicitur, conſederunt, pulſiſq; inde Pelaſgis, cæteriſq; ejus regionis veteribus incolis à Tyrrheno eorum Rege, Tyrrheniam nuncuparunt. Auctâ ſubinde ſubole, & potentiâ ſimul cum multitudine indies creſcente, quantum inter Apenninum montem & inferum mare, Tybrimque & Macram fluvios, terrarum clauditur; id totum propagatis finibus tenuére, mox Hetruſci, à ſacrificio, ut creditur, ritu, vel à ſereni contemplatione cœli, Græcâ linguâ nuncupati, ipſaq; regio Hetruria dicta. Totam verò Hetruſcam gentem in duodecim populos diviſam fuiſſe, veteres tradidére, ſed eos omnes ab initio Rex unus gubernabat. Tandẽ ut regia poteſtas gravior illis viſa, ex ſingulos Lucumones, ſic enim Magiſtratũ vocitabant, q cõmuni ſingulis populis cõſilio totã regeret gentem, creare cœperunt. Eorũ unus certo tẽpore alijs præerat, ita tamẽ, ut autoritate & honore, nõ potentiâ, Princeps eſſet. Sub hoc igitur magiſtratu per longa tempora pari voluntate auctoritateq; XII populorum Hetruria gubernata, *qualis Concordiæ fructus eſſe ſolet*, in tantas opes potentiamque accrevit, ut non ſolum urbibus paſſim opportunis locis per eam conditis, viriſq; & divitiis intra fines floreret; verùm etiam extra longè lateque dominaretur. Teſtes ejus potentiæ ſunt duo maria, quibus Italia, modo Inſulæ, cingitur; utraq; ſanè non ab alijs populis, quàm ab Hetruſcis nominata. Inferius Tuſcum, idemq; Tyrrhenũ, vetuſto gentis nomine; quæ appellatio, ut quibuſdam Græcis placet, ab Sardinia in Siciliam obtinet. Superius Adriaticũ ab Adria, opido quondam maritimis rebus maximè inclito, quod Hetruſci per ea tempora, ijs quoq; locis dominantes, juxta litus ſuperi maris non longè à Padi oſtijs condidére. Etenim Apenninum transgreſſi omnia primò cis Padum loca, mox & Transpadanam regionem totam uſq; ad Alpes, præter extremum Venetorum angulum, bello & armis ſubacta Hetruſci poſſederunt. Inde per tractum Adriatici maris deſcendentes, magnam ejus litoris tenuerunt partem, pulſis Umbris, gente per eam tempeſtatẽ maximâ ac potentiſſimâ, quorũ ſupra trecẽta opida ab Hetruſcis debellata fuiſſe, veteres tradunt hiſtoriæ. Cis Apenninũ verò per inferiorem Italiæ partem, ad fretum uſque Siculum eorum potentia provecta eſt. Hæc autem per loca frequentibus miſſis coloniis multæ quidem urbes ab eis cõditæ, multæ etiam, veteribus exactis poſſeſſoribus, novo colono repletæ memorantur, quarũ veluti indices eorum potentiæ adhuc extant. Ab inferiori quidem Italiæ parte Capua inter inclitas quondam urbes perpaucas, nominata: A ſuperiori verò Mantua & ipſa quoq; Hetruſcorũ colonia. Nam ex ſingulis Hetruriæ populis, quos duodecim fuiſſe ſuprà docuimus, ſingulas colonias trãs Apẽninũ miſſas cõſtat, quarũ præcipuæ, fuerunt urbes: Adria, ex qua Adriatico nomẽ eſt mari, item Mantua, quæ ex Transpadanis ſola nunc extat. Videtur autem hujus gentis potentia vetuſtiſſimũ quidem initium habuiſſe, ut pote quæ ante Trojani belli tempora, non aucta modò, verùm etiam pollens florenſq; fuerit. Aeneam deniq; Trojâ profugum, cùm à Latinis & Rutulis bello premeretur, ad florentes Hetruſcorum opes contuliſſe ſeſe, ac

Ante Romanum imperium Hetruſcorum nomen inclytum fuit.

Hetruſcorum Origo eſt ex Mæonia.

Lydi.

Pelaſgi.

Tyrrhenus Rex.

Tyrrhenia.

Hetruſci unde nuncupentur.

Gens Hetruſca in 12 populos diviſa fuit.

Lucumones.

Per Concordiam Hetruria accrevit.

Hetruria potentia.

Duo Maria.

Inferius Tuſcum.

Superius Adriaticum.

Adria oppidũ.

Padus fluvius.

Transpadana regio.

Umbri gens potentiſſima.

Umbrorũ trecẽta oppida ab Hetruſcis ſunt debellata.

Capua.

Mantua Hetruſcorum colonia.

Hetruſca gentis initium vetuſtiſſimum.

Aeneas Hetruſcorum auxilium petijt.

exinde auxilium petiiſſe, Virgilius facit. Evandrus enim, cum Aeneæ roganti opẽ, conſilium daret, ac ſibi nequaquam tantas eſſe vires, ut Latinis Rutiliſque reſiſtere quiret, docuiſſet, ad Hetruſcos illum deſtinans, ſic inquit:

Virgil. Aeneid. lib. VIII.

Sed tibi ego ingentes populos, opulentaq́; regnis
Jungere caſtra paro.-

Et paulò poſt idipſum explanans:

Haud procul hinc ſaxo colitur fundata vetuſto
Urbis Agyllinæ ſedes. ubi Lydia quondam
Gens bello præclara jugis inſedit Hetruſcis.
Hanc multos florẽtem annos rex deinde ſuperbo
Imperio, & ſævis tenuit Mezentius armis.

Quanquam ut alienior à Poëtarum figmentis: ſic intemeratior ac purior hiſtoria tradit, non Aeneam, ſed Turnum bello ſuperatum, ad Mezentiũ, & florẽtes Hetruſcorũ opes confugiſſe, atq; inde, adverſus advenã Ducẽ exercitumq; auxilia ſupplicem imploraſſe: ſed utravis opinio præſtiterit, Trojanum ante bellum floruiſſe Hetruſcã rem, fateamur neceſſe eſt. Duravit autem incolumis domiq; & foris, uſq; ad tranſitum Gallorũ in Italiam, annos poſt Trojanũ bellũ circiter ſexcentos, poſt cõditam verò urbẽ Romã centũ ferè & ſeptuaginta: quo quidẽ tempore Galli maximis peditum equitumq; copiis, Duce Belloveſo, Alpes tranſgreſſi, aliãq; inde ſuper aliã multitudine per priorũ veſtigia ex Gallis Germaniſq; cõfluente, eam omnem Italiæ partẽ, quæ nunc Gallia Ciſalpina dicitur, Tuſcis ademerunt. Noviſſimi vero omniũ Gallorũ Senones tractũ maritimæ oræ, in quo Sena Gallia urbs eſt, occuparunt. Ab ijs & alijs Gallis opes Hetruſcorum attritæ, & intra jugum Apennini, poſt longa bella, repreſſæ. Romanorum inſuper creſcens potentia alia ex parte fines obtundebat. Ita in medio duarum validiſſimarum gentium conſtituti Hetruſci bifariã vexabantur. Manſit tamen etiam pòſt per aliquot ſecula robur & autoritas gentis, ut foris imminutæ, ſic domi validæ præpotentiſq;. Enimvero longè alia ratione cum Romanis, quàm cum Gallis agebatur. Nam adverſus barbaras illas & efferatas gentes implacabile bellum fuit Hetruſcis. Cum Romanis verò non odio neque acerbitate unquam pugnatum, plus etiam amicitiæ, quàm belli interdum fuit. *Declarant imitationis ſtudia, quæ nemo ab inviſis deſpectiſq; aſſumit.*

Hetruſca res floruit ante bellum Troianum.
Iſta gẽs duravit incolumis 600 circiter annos poſt Troianum bellum.
Poſt cond Vrb. Romam 170. an.
Belloveſus Gallorum dux.
Gallia Ciſalpina Tuſcis adẽta.
Senones.
Hetruſci bifariam vexati
Hetruſcis implacabile fuit bellũ adverſus Gallos.

Conſtat autem, Romanos prætextam, & trabeas, phaleraſq; & annulos, togas quoque pictas, & palmatas tunicas, currus inſuper aureos triumpho decoros, faſces deniq; & lictores, & tubas & ſellã curulẽ, ac cætera omnia regum magiſtratuumq; inſignia ab Hetruſcis ſumſiſſe. Nam quod duodecim lictores apparebant regibus conſulibuſq; Romanis, id quoq; inde ſumtũ traditur, quòd, cùm ex duodecim populis Hetruſci conſtarent, ſingulos ſinguli lictores regi dabant. Inde ab Romanis res accepta, nec numerus quidem imminutus eſt. Hæc omnia, ne quis fortè noſmet nobis blandiri exiſtimet, Græci Romaniq; vetuſtiſſimi ſcriptores tradidêre. Nec imperii tantùm inſignia, cæterumq; auguſtiorem habitũ ſumſerunt ab Hetruſcis: verùm etiam literas diſciplinamq;. Auctores habere ſe Livius ſcribit, ut poſtea Romanos pueros Græcis, ita prius Hetruſcis literis vulgo erudiri ſolitos. Nam ceremonias quidẽ ac religionem, & cultum Deorum, qua in arte Hetruſci præ cæteris gentibus excelluiſſe traduntur, Romani ſic ab illis ſuſceperunt, ut tamen priores partes relictas penes auctores ipſos faterentur. Simulatque gravius quicquam Reipub. immineba, in quo Deûm numina * placanda cenſerent, Vates & Aruſpices ex Hetruria vocabantur. Denique omnis harum rerum cognitio, Hetruſca diſciplina, apud Romanos vocitata eſt. Hæc & hujuſmodi inde ſumpta probare mihi videntur, Romanos Hetruſcam gentem cum obſervantia quadam admiratos, à qua & ornamenta imperii, & Deorum cultum, ac diſciplinam literarum, tria maxima ac præſtantiſſima, ſibi publicè privatimque imitanda receperint. Nec pacis quidem artibus admirati ſunt gentem: bello autem contemſerunt. Probat obſidio urbis Romæ; & obſides Porſenæ traditi: quod poſt tranſitum Gallorum in Italiã fuiſſe, admirabilius eſt. Nec ob ullum magis quàm ob Hetruſcum hoſtem Romæ trepidatum reperies: neq; Dictatores ſæpius dictos. Primus Romanorum Hetruſcos bello attigit Romulus ipſe, Romanæ urbis conditor; mox & alii ferè omnes Romani Reges, præter Numam Pompilium & Tarquinium ſuperbum, id bellum ſuſceperunt.

Quid Romani ab Hetruſcis ſumſerint.
Plinius lib. 9. c. 39.
Hetruſci ſinguli regi ſingulos lictores dederũt.
* Placandum MS. Palat.
Hetruſca diſciplina.
Romani Hetruſcam gentem admirati ſunt.
Receperunt ab ijs tria maxima.
1. Ornamenta Imperij.
2. Deorum cultum.
3. Diſciplinam literarum.
Romulus bello Hetruſcos attigit.
Origo belli inter Romanos & Hetruſcos.

Fuit autem inter Hetruſcos Romanoſq; prima belli origo ex hujuſmodi cauſa.

Fidenæ

Fidenæ Tuſcorum colonia trans Tyberim fuit, inter Cruſtumerinum, Romanumq; agrum. Qui eam incolebant Hetruſci, urbem novam ſibi finitimam immodicè creſcere, ſuis inimicam commodis rati, priùs quàm ad ſummum planè robur, quod jã inde cernebatur, evaderet, prævenire feſtinantes, & ſuis ipſi viribus & propinquis Hetruriæ opib' fiſi, bellũ Romanis, nullâ prius acceptâ injuriâ intulerunt. Populato itaq; Romano agro, ingentiq; abactâ prædâ, cùm fuga agreſtium urbem quoq; metu tumultu compleſſet, Fidenas onuſti rediêre. At Romulus, ut has injurias ultum iret, legionibus raptim eductis, infeſto agmine, Fidenas contendit. Eo cùm perveniſſet, nec moram nec ſpatium Fidenatibus præbet, auxilium ex Hetruria arceſſendi: Sed ipſis adequitando portis, mox & fugam ſimulando, irâ & indignatione ad pugnam excivit, tantusq; fuit ardor militum & præſtantia ducis, ut cùm Fidenates in inſidias præcipitati effuſo curſu urbem repeterent, victi victoresq; uno impliciti agmine Fidenas intrarent. Captis igitur per hunc modum Fidenis, & præſidio militum ab Romano rege impoſito, Vejentes, qui propinquiores ex Hetruriæ populis Fidenatibus erant, cùm indigno conſanguineorum caſu permoti, tùm etiam quod propinquitatem Romanorum infeſtam ſibi inquietamque putabant fore, armatâ juventute emiſsâ, diſcurſionem in agrum Romanũ prædabundi fecêre. Adverſus hos quoq; Romulus, reſiſtẽdi ulciſcẽdiq; gratiâ, legiones eduxit. Hęc prima Romanis Hetruſcisq; origo fuit belli, quod tunc leviter * cœptum, leviter etiam terminatum eſt, mutuis duntaxat populationibus, vaſtatis agris, parvaque admodum pugnâ, tumultuario magis, quàm juſto prælio cõmiſſa: indutiæ in centũ annos ſecutæ.

Fidenæ Tuſcorum colonia fuit.

Romulus Fidenates ad pugnã excivit.

Fidena capta. Vejentes.

** actum M S. Palat.*

Origo belli Hetruſcorum cum Romanis.

Cæterum ex hoc fermè initio, cætera poſt hoc bella inter Tuſcum Romanumque oriuntur, quòd vel exierat indutiarum tempus, vel dictis conventisq; non manebatur. Sub Romulo tamen & Numa Pompilio indutiæ valuerunt, nullo ab alterutris motu exorto. Tullio mox regnante Hoſtilio, rurſus exarſit bellum ob Fidenatum rebellionem. Defecerant enim Fidenates à Romanis, Vejentes conſilii participes impigrè tulerunt opem, & aſciverant in occultam belli ſocietatem Metium Suffetium Albanorum Dictatorem. Hic enim principatum Romani populi, cui poſt Horatiorum pugnam ſe ex fœdere ſubdiderat, indignè ferens, clam cum Hetruſcis convenit, ut commiſſo prælio Romanos, quibus per ſpeciem auxilii legiones Albanas conjunxerat, verſis ſignis adoriretur. Infirmi tamen vir animi, nec hoſtibus, nec ſuis promiſſa ſervavit. Neque enim cum Romanis, quibuscum in arma venerat, Hetruſcos invaſit, nec rurſus, ut promiſerat Hetruſcis, Romanos adortus eſt: ſed inter ſpem & metum fluctuante conſilio ſeorſim eduxit ſuos, quocunq; victoriam inclinare vidiſſet, & ipſe eodem momento inclinaturus. In ancipiti prælio vicit populi Romani fortuna, & bellaciſſimi Tullii regis audacia, fuſis deniq; pugnâ ingenti hoſtibus, Fidenas recepit, ac mox, affecto pænâ Metio, Albam longam evertit. Ancus inde Martius & Priſcus Tarquinius Romani reges bellum deinceps Hetruſcum ambo ſusceperunt. Sed de Martio quidem haud ambiguè conſtat: de Tarquinio autem varia apud ſcriptores traditio eſt. Sunt, qui non cum Vejentibus modò, ſed cum tota penitus Hetruſca gente, bellum per novem annos geſtum à Tarquinio rege, tradant. Sunt &, qui rebus ejus regis enarrandis, quaſi nihil fuerit cum Hetruſcis negotii, totam rem tacitam intactamq; prætereant. Sed, ut de Tarquinio ambigitur: ſic de Servio Tullio certiſſimum eſt, eum majori, quàm quenquã ſuperiorum regum apparatu, cum tota Hetruſca gente bello graviſſimo & longiſſimo contendiſſe. Viginti annos continuatum à Servio id bellum, quidam autores ſunt. Me quoq; propenſiorẽ ad credendum belli diuturnitatẽ facit, quòd per annos quatuor & quadraginta (tot enim regnavit Servius) nullum aliud bellum, quàm Hetruſcum, ab eo rege ſusceptũ memoratur, quod tantâ laude geſſit, ut cùm priùs injuſſu populi regnaſſet, vel ejus belli à ſe geſti fiduciâ de ſe referri ad populum, & in certo multitudinis ſuffragio nomen regium cõmittere non abnuerit. In eo tamen bello nec victi Hetruſci, nec aliquæ eorum urbes captæ traduntur, multis duntaxat ultro citroque inflictis cladibus, illud modo effectum, ut videretur ſuperior Romanus fuiſſe. Hæc, regio dominatu Romæ durante cum Hetruſcis geſta.

Numa Pompilius.

Tullius Hoſtilius.

Defectio Fidenatum à Romanis.

Metius Suffetius Albanorum Dictator.

Metius punitur.

Alba longa evertitur.

Ancus Martius, & Priſcus Tarquinius bellum Hetruſcum ſuscepiunt.

Servius Tullius cum tota Hetruſca gente contendit.

Servius regnavit an. 44.

S. Tullius nullum ſuscepit aliud bellum.

Regium nomen adeptus eſt.

Exactis deinde regibus, Tarquinius regno pulſus ad Hetruſcos, fiduciâ generis, quòd ab iis oriundus erat, ſupplex confugiens, duos Hetruriæ populos, Vejentes Tarquinienſesque in arma concivit, qui Romanum in agrum magnis copiis profecti: cùm Junio Bruto, & M. Valerio, cui poſtea Publicolæ nomen fuit, (hi tum

Tarquinius regno pulſus, ad Hetruſcos confugit.

L. Junius Brutus.

M. Valerius cui Publicolæ nomen fuit.

Prælium atrox.
L. Brutus in prælio interficitur.
Porſenna Cluſinus rex.
Horatius Cocles. Pons ſublicius abrumpitur.
* motam MS. Pal.
Ianiculum occupantur.
* obſeſſo. MS. Pal.
M. Scævola manus foculo imiicitur.
Obſides dantur a Romanis Hetruſcis.
Valeria Publicola Cos. filia.
Fœdus Romanorum cum Porſenna initum.
Aruns Regis filius.
Tuſcus Vicus.

primi anni conſules erant.) pugnaverunt: prælium fuit atrox vehemensque ut nullum antè. Utriuſque aciei dexterum vicit cornu, in maximâ tamen hominum ſtrage utrinque factâ, creditum eſt, uno plures ex Tuſcis, quàm ex Romanis cecidiſſe. Major autem Romanis inflicta clades, quòd L. Brutus, qui autor regis eijciendi, in eo prælio interfectus eſt. Pugnæ certè ea fortuna fuit, ut utravis pars ſe victam putaret. Denique Romanis, morte alterius conſulis, orbatis, plurimaque ſuorum cæde territis, fugam ad primam lucem parantibus, Hetruſci, priusquam illuceſceret, abiêre. Porſenna inde Cluſinus rex, ob reſtituendum Tarquinium, majori apparatu renovavit bellum. Hoc duce Hetruſci Romanos vicerunt, incluſerunt, obſederunt, urbem etiam capturi, niſi Horatius Cocles pontem ſublicium, qui unus per id tempus Tyberi ſupererat, reſcindi juſſiſſet. Oſtendunt periculi magnitudinem honores à populo Romano Coclitihabiti, non ob victam ſubactamque hoſtium provinciam: ſed ob id ſolùm, quòd rumpendi pontis * modum facultatemque dediſſet ſuis. At enim majores, ſi vera loqui vis, faſque ſit, Tyberino debebantur amni: nempe, quam Romana virtus tutari non poterat, Tyberini gurgites urbem ſervarunt. Hetruſci Janiculo & omnibus eis Tyberim locis occupatis, reliquam urbis partem longâ obſidione preſſam tenuere, donec deficiente obſeſſos * cæterâ ſpe, in corpus Regis graſſandi conſilium iniretur, ut cui aperto bello pares non eſſent, eum clàm per inſidias è medio tollere molirentur. Hinc illa Scribæ cædes, & M. Sævolæ manus foculo injecta. Nec tamen his tot artibus priùs Hetruſcus Rex ab obſidione deſtitit urbis, quàm obſides, non mares modò verùm etiam fœminas dandi neceſſitatem expreſſit obſeſſis. Dati nobiliſſimi cujusque nati, fœminæ, etiam virgines: inter quas Valeria, Publicolæ conſulis filia, multæque aliæ patritiarum gentium. Hæc præcipua de populo Romano Hetruſcorum gloria fuit, nec cum alio quoquam communis. Nunquam enim alii cuiquam imperatori, vel genti, populus Romanus obſides dedit, ob pacem impetrandam. Ipſi certè Romani ijs, quos vicerant, nihil ferè aliud, quàm obſides imperabant, in quo non ſolùm cautio pacis; ſed & confeſſio victoriæ contineri putabatur. Fœdus cum Porſenna initum, mutua Hetruſcorum Romanorumque beneficia ſecuta ſtabilius fecerunt. Nam & excepti amicè hoſpitaliterque Hetruſci Romæ, qui ad oppugnandam Aritiam cum Arunte regis filio poſt Romanum fœdus profecti, mox, amiſſo Duce, redierunt. Hiſque vicus in celeberrima parte urbis datus, qui Tuſcus propterea dictus eſt, ac Romanis poſt aliquot annos benignè à Porſenna obſides remiſſi. Tarquinius, qui ad eam diem in Hetruria fuerat, aliunde ſibi quærere auxilia juſſus ad Manilium Tuſculanum generum tranſiit.

Veientes pacem turbant.
* Vei. MS. Pal.
Milites Romani coguntur iurare, ſe niſi victores nunquam redituros.
Cn. Manlius Cos. & Fabius interfecti.
Anceps pugna.
Feſtinatio nimia in caſtris oppugnandis obfuit Hetruſcis.
Fortuna mobilis
Mors Fabiorum. Trecenti ſex ex Fabia gente omnes ad unum caſi.

Firma hinc pax quiesque Romano populo & Hetruriæ fuit, quam ad extremum Vejentes turbarunt. Hæc enim civitas agrum Romanis finitimum habens, ex communione, ut ſæpè fit, diſcordiis hauſtis, poſt varias querelas aliquoties ultro citroque jactatas, tandem aperto certamine cum Romanis contendit. In eo bello, primâ quidem pugnâ Romanos Vejentes * ſuperarunt. Secunda autem pugna atrociſſima ferè omnium, quæ unquam memorantur, fuit, in qua Romani, primo prælio ab Hetruſcis victi, milites jurare coëgerunt, ſe, niſi victores, nunquam redituros. Itaque hac religione obſtrictis animis, obſtinatiùs, quàm ante pugnatum eſt, non ſine utriuſque partis maxima clade. Interfecti ſunt in eo prælio Cn. Manilius conſul & Q. Fabius, alterius, conſulis frater. Capta etiam Romana caſtra atque direpta ab Hetruſcis; ſed mox fortunâ mutatâ pugnæ, à Romanis victoribus recuperata. Nec quicquam magis ad victoriam obfuiſſe videtur Hetruſcis, quàm nimia feſtinatio in caſtris oppugnandis, ad quæ dum properant quaſi victores, eorum acies, plus juſto exhauſta, à Romanis ſuperatur. Raró tamen unquam incertior atque mobilior fortuna, quàm eo die fuit: Victi procul dubio Romani vicerunt. Tanto denique ſanguine victoria conſtitit, ut, cùm poſtea triumphus cõſuli offerretur, *lugendum potiùs eſſe diceret, quàm triumphandũ.* Non minori tamẽ dolore hujus pugnæ caſus Vejentes, quàm prioris Romanos affecerat. Itaque accitis reliquæ Hetruriæ auxiliis (nam primo quidem ipſi per ſe ſoli pugnârant) vindicabundi in hoſtem ruentes, trecentos & ſex Fabios, ex una familia, qui, apud Cremeram præſidium contra Vejos munierant, cum magna clientium manu,

adquinque

ad quinque millia hominum fuiſſe traduntur, ad unum interfecerunt. Inde legiones Romanas, quæ cum L. Menenio conſule non procul à Cremera caſtra habebant, eodem impetu aggreſſi, non ſolum verterunt in fugam exercitum conſulemque; verùm etiam caſtris exuerunt. Mox fugientes palatosq; non abſque magna cæde Romam uſque perſecuti, Janiculum montem, qui cis Tyberim contra Capitolium maximè imminet, occupârunt, tenueruntque aliquot menſes veluti obſeſſam urbem: Tyberi etiam trajecto, & ad portam Collinam & ad alia diverſiſſima à Tyberi loca ſub ipſis Romanis mœnibus pugnas conſeruerunt. Tandemque ut antè Porſenna eundem locum tenente, ad extrema digladiandi remedia ventum eſt.

L. Menenius Conſul. Romanus exercitus in fugam vertitur.

Sic tunc iterum legionibus Hetruſcis Janiculum occupantibus, premente urbem fame, neceſſitas Romanis expreſſa, ut duo conſules, duoque conſulares exercitus cum universa juventute Romana, in ipſo Janiculo monte ancipiti periculoſoque certamine cum Hetruſcis confligerent. Nec ita proſper fuit eventus pugnæ, quin alter ex conſulibus capitis reus ad populum fieret, quòd malè pugnaſſet. Denique, ne ſingula prælia conſectet, hæc una Hetruriæ civitas, nunc ipſa per ſe, nunc & aliarum civitatum viribus adjuta, ſupra trecenteſimū & quinquageſimū Romanæ urbis annum bellum extraxit. * Victa interdum præliis, & ipſa ſæpè victrix. Extremū autem, in quo ſubacta eſt, nullo communis Tuſcæ gentis decreto, ſed privato conſilio, ipſa intulerat bellum. Itaq; mox prementibus Romanis denegata ſibi cæterorū populorum auxilia fuerunt: indignantibus aliis, quòd, citra commune gentis decretum, ſuâ ipſi auctoritate bellum moviſſent, & metu inſuper Gallorū ad ſua quoſque tuenda retinente. Reſponſū deniq;, in communi Tuſcæ gentis conventu, Vejis auxilia flagitantibus datum, ipſi per ſe, quando ita placeret, adverſus Romanā vim reſiſtere curarent, nec in eo bello ſocios periculi quærerent, in quo ſperatæ ab initio prædæ ſocium habere nullum voluiſſent. Hæc Romanis obſidendi Vejos occaſionē facultatemq; dedêre. Suſtinuit tamen, quamvis deſerta, ſuo proprio ac domeſtico robore aliquamdiu bellum, nec, niſi poſt decem æſtates decemq; hyemes cōtinuas circumſeſſa, nec tunc quidem vi, ſed improviſâ cuniculorum fraude expugnata eſt. Prædæ tantum ex ea una urbe Romani cepêre, quantum ex omnibus ſuperioribus bellis ad eam diem nunquā acceperant. Deniq; cùm ſupra exercitum fortunæ ejus urbis putarentur, univerſus populus Rom. publico edicto, quod nunquā aliàs factū eſt, ad prædam vocatus. Fuit enim urbs opulentiſſima atque maxima, eâ ſitus laude eaque opportunitate, ut ſæpè à victoribus cogitatum ſit de relin quēda urbe Roma, & Vejos, tanquam in præſtantiorem urbem, populariter commigrando.

Duo conſules cum Hetruſcis confligunt.

Alter ex conſulib. fit reus capitis.

** extraxit Mn. Fab.*

Occaſio obſidendi Veios.

Veiorum expugnatio.

Univerſus Pop. Rom. ad prædam vocatur.

Vejis captis, veluti clauſtra ſibi Romanus patefecerat ad reliquos Hetruriæ populos ſubigendos. Itaque mox adverſus Faliſcos & Capenates, quos propinquitas Vejetani belli haud intactos reliquerat, exercitus ducti, eorum urbes ſine longo nimiùm certamine, in poteſtatem Romani populi dedere compulerunt: quod tamen diverſis rationibus factum eſt. Nam Capenatibus quidem per vaſtitatem agrorum vis expreſſa dedendi: Faliſcos verò admirandæ virtutis ſpecimen in Furio Camillo præſtantiſſimo Romanorum Duce conſpectum, ut ſe ſponte dederent, ſubegit. *Et quos non ignis, non ferrum, non obſidio, non vaſtitas agrorum flectere potuerat, juſtitia & honeſtatis ſplendor inflexit.* Geſta eſt autem res in hunc maximè modum: Cum populato agro non longè à Faleriis caſtra Romanorum poſita eſſent, magiſter quidam ludi, improbæ fraudis mercedem ſperans, Principum filios ſibi in diſciplinam traditos per diverſam ab hoſte portam, quaſi ſpatiandi gratiâ ſecum eduxit. Mox alio ex alio conſerto ſermone, diverſis ab urbe tramitibus; ſtationi Romanorum, quæ inter caſtra & urbem poſita erat, ſe cum diſcipulis objecit. Captus itaque ſponte ſua, & ad Imperatorem perductus; Falerios, inquit, Imperator, tibi hodie tradidi, quando hos pueros, quorum parentes Principes ſunt civitatis, in manus tuas adduxi: Tu huius tanti beneficii memor gratusque erga me eſto. Quæ ubi Camillus audivit, facinus improbi hominis deſpicatus, Tu, inquit, ſceleſte, ad tui ſimilem te veniſſe putas, cui turpia non ſolùm cordi ſint, verùm etiam præmio digna videantur? Mihi verò, populoque Romano longè diverſa mens eſt. Colimus enim belli, ſicut & pacis, jura, armaq; adverſus armatos hoſtes, non adverſus imbelles pueros gerimus. *Ita deniq. Faliſcorū hoſtes ſumus, ut humanâ tamen ſocietate cum eiſdem nos eſſe conjunctos meminerimus. Ego armis, patientiâ, virtute, quæ Romanæ ſunt artes, non improbando ſcelere,*

Adverſus Faliſcos & Capenates exercitus ducitur.

Furii Camilli Romanorum ducis Virtus admiranda.

Magiſtri ludi ſceleſtum conſilium.

Furii Camilli juſtitia.

Magiſter Ludi nudatus & manib. vinctus à Camillo diſcipulis verberandus traditur. Faliſci ſuperantur.

Falerios vincam. Nudatum inde hominem, & manibus poſt terga vinctum, diſcipulis verberandũ reducendumq; in urbem tradidit. Ex hoc tanta mutatio Faliſcorum animis injecta eſt, ut, qui modò incredibili odio accenſi, exitium potius, quàm pacem Romanam mallent, nihil aliud, quàm fidem & juſtitiam Imperatoris admirantes, ſeſe atq; urbem in poteſtatem populi Ro m ani tradiderint. Per hunc modũ Faliſci ſuperati ſunt. Nec multo poſt Tarquinienſibus & Ceritibus arma illata. Ad Vulſinienſes tandem tranſivit bellum, velut incendium quoddã alia ſubinde loca circum ſumens: Tandem ad intimas Hetruriæ gentes, Cluſinos, Peruſinos, Aretinos (hæ tunc potentiſſimæ civitates erant) penetratum. Hic aliquandiu ſubſtitit vis belli, & curſus victoriæ retardatus eſt. Jam ipſis civitatibus cõmune periculum magis horrentibus, damnantibusq; errorẽ, quod non Vejos, & Falerios, & Capenas, quæ dudũ opida præceperat hoſtis, quando in iis tutandis res quoq; ſua agebatur, ab ipſo initio defendiſſent; ſed negligendo & quieſcendo in conſanguineorum periculis, cùm ſuæ gentis minui vires, tùm hoſtium augeri paſſi eſſent. Et profectò non ambigitur, quin, ſi omnes Hetruriæ populi uno conſilio bellũ geſſiſſent, diuturnius ac magnificentius tota Hetruria defendi potuiſſet. Sed ſive Galli accolæ perpetui hoſtes, ſive diſcordia quædam civitatũ, ſive fata, cuncta jam ad Romanos trahentia, ſive hæc ſimul omnia fecerunt, ut non unâ conſpiratione ad bellum coirent. Hæc certè cauſa Romanum ſuperiorẽ dedit, quòd ille & ſuis & ſociorum viribus potens, non totã ſimul gentem, ſed ſingulas civitates pervadebat. Reliquæ verò, ceu ea res ad ſe non pertineret, nec primis quibusq; abſumtis, ad proximos inde periculum foret venturum, otioſas ſpectatrices alienæ calamitatis ſe præſtabant. Neque enim Vejos, cæteris Hetruriæ populis auxilia ferre paratis, tam lentâ * obſidione cepiſſet Romanus, immo nec obſidere quidẽ auſus eſſet: quippe duobus tantum populis, nec iis quidẽ maximis, Capenatibus & Faliſcis opem ferentibus, obſidionem penè totam Romani diſſolverunt. *Sed dum integra fuit Hetruſca res, nunquã hic animus populis à Diis datus: fractâ verò atq; imminutâ, ſerò tandem ſaniora quidem, ſed parum jam profutura conſilia inierunt.* Victa eſt ergò ad extremum multis atq; ingentibus prælis, quorum maximè inſignia fuerunt, unum apud Sutrium, in quo ſexaginta millia Hetruſcorum cæſa traduntur: alterum ad Vadimonis lacum, in quo fractis opibus & fortunâ vetere amiſsâ, in pace potiùs, quàm in armis reliquam ſpem habere cœperunt.

Cauſa quæ Romanum ſuperiorem dedit.

* Longâ MS. Pal.

Sexaginta millia Hetruſcorum cæſa traduntur.

Hetruria in poteſtatem venit populi Romani.

Venit autem tota in poteſtatẽ populi Rom. circiter CCCCLXX. annum, poſt Romã conditam, cùm ab ipſo conditore Romulo bella initium cepiſſent. His autẽ bellis Romani Duces plurimi claruerunt. Nam & primus Rex, & primus Conſul, ac deinceps ſecuti Reges Conſulesq;, Dictatores præterea quidã, & Tribuni militum ſumma cum induſtria in illis verſati, laudem ampliſſimam meruêre. Sed è Regibus quidem præcipuã ejus belli gloriã alii Priſco Tarquinio, alii Servio Tullio delegant. Ex conſulibus autem M. Valerius Publicola de hac gente primus triumphavit. Inde M. Fabius, P. Servilius, Mamercus Æmilius, A. Cornelius Coſſus, multiq; alii Cõſules, Dictatoresq; magnã ſibi in iis bellis gloriam peperêre. Excellentiſſima tamen omnium gloria fuit M. Furius Camillus, qui Vejos & Falerios ſubegit; & Fabius Maximus, qui extremo ferè tempore multis ac maximis præliis, quantũ nemo alter, Hetruſcorũ opes afflixit. Romani, quãvis armis ſubactos Hetruſcos, tamen poſtquã ſe ſuaq; in poteſtatẽ populi Rom. dedidêre, honeſto vocabulo Socios appellarunt.

M. Furius Camillus Veios & Falerios ſubegit. Fabius Maximus Hetruſcorũ opes afflixit. Romani Hetruſcos Socios appellarunt.

Remiſſo dehinc bellorum metu, ſecura quidem ab armis Hetruria fuit; ſed veluti marceſſente otio oppugnata. *Eſt enim hoc mortalibus naturâ inſitũ, ut viâ ad amplitudinẽ honoresq; expoſitâ, facilius ſe attolãt; præcluſâ verò inertes deſideãt.* Tunc igitur Imperio ad Romanos traducto, cùm neque honores capeſſere, neque majoribus in rebus verſari liceret, Hetruſca virtus omnino conſenuit, longè plus inerti otio, quàm hoſtili ferro depreſſa. Bis tamen, poſtquam in Romanorũ poteſtatẽ conceſſit, rebellionẽ publicè molita eſt. Primùm ſub Hannibalis tempore, Ducibus Aretinis: Secundùm ſociali bello, quo Latini & Marſi & Umbri à Romanis defecêre. Prima rebellio jã parturiẽs per Aretinorum ſubitã oppreſſionem facilè ſopita eſt: Secunda vulneribus & cruore extincta; Cluſiumq; & Feſulæ graviſſimis incommodis à Romanis afflicta. Fuit autẽ poſt hæc ſub Romano imperio firmiter & indubitatè, uſque ad Arcadii & Honorii tẽpora, annos poſtq; ſubacta fuerat, circiter ſeptingentos. Tunc enim primùm Gothi, Radagaſo & Alarico Ducibus, Italiã pervaſêre, jam ante ab

Hetruſca virtus conſenuit.

te ab Imperatoribus penè neglectâ, fatiſcentibus certè opibus, & potentia populi Rom. ad ruinâ vergente. Gothos Hunni ſecuti ſunt, Hunnos Vandali, Vandalos *Poſſeſſores Italiæ.* Heruli, poſt hos iterũ Gothi, mox Longobardi multis ſub Regibus Italiã poſſidêre.

Declinationẽ autem Romani Imperii ab eo ferè tempore ponendam reor, quo *Declinatio Romani Imperii.* amiſsâ libertate Imperatoribus ſervire Roma incepit. Etſi enim nonnihil profuiſſe Auguſtus & Traianus, & ſi qui fuerunt alii laude principes digni, videantur: tamen ſi quis excellentes viros primùm à C. Julio Cæſare bello: deinde ab ipſo Auguſto triumviratu illo nefario crudeliſſimè trucidatos: ſi poſtea Tiberii ſævitiã, Caligulæ furorẽ, Claudii clementiã, Neronis ſcelera & rabiẽ ferro igneq; bacchantẽ, ſi poſtea Vitellios, Caracallas, Heliogabalos, Maximinos & alia hujuſmodi monſtra, & orbis terrarũ portenta, reputare voluerit, negare non poterit, tunc Romanũ Imperium ruere cæpiſſe, cùm primo Cæſareũ nomen, tanquã clades aliqua civitati incubuit. *Cæſareum nomen clades civitatis Romanæ.* Ceſſit enim Imperatorio nomini, & poſt libertatẽ virtus abivit. Prius namq; per virturẽ ad honores via fuit, uſq; ad Conſulatus, Dictaturasq; & cæteros ampliſſimos *Libertas Imperatorio nomini ceſſit.* dignitatis gradus facilimè patebat iter. qui magnitudine animi, virtute, & induſtria *Virtus poſt Libertatem abruit.* cæteros antecibant. Mox verò ut Reſp. in poteſtatẽ unius devenit, virtus & magnitudo animi ſuſpecta dominãtibus eſſe cœpit. Hiq; ſolùm Imperatoribus placebãt, quibus non ea vis ingenii eſſet, quã libertatis cura ſtimulare poſſet. *Ita pro fortibus ignavos. pro induſtriis adulatores Imperatoria ſuſcepit aula & rerũ gubernacula ad pejores delatá, ruinã Imperii paulatim dedere.* Quanquã quid virtutis repulsã quis deploret, ac non potius cõmunem civitatis interitũ? Quot enim Reip. lumina ſub Julio Cæ- *Iulius Cæſar.* ſare extincta ſunt? Quantis principibus civitas orbata? ſub Auguſto inde, ſive id neceſſariũ fuerit, ſive malignũ, quanta proſcriptio? quot abſumti cives? quot deleti? *Auguſtus.* ut meritò, cùm tandẽ à cædibus & cruore ceſſaret, non clementia illa, ſed feſſa crudelitas putaretur. Hic Tiberiũ, abominandæ mentis hominem, ſibi filiũ & ſucceſſo- *Tiberius.* rẽ delegit, qui à ſuppliciis & tormentis civium nec inter menſas quidẽ unquã ceſſavit. Succeſſor Tiberii, Caligula quẽ non occidit? cujus ſanguinẽ in civitate nõ hau- *Caligula.* ſit? Claudii poſt hunc crudelis amentia non ad ſuũ duntaxat, ſed ad uxorũ & libero- *Claudius.* rũ nutum omnem Romanã nobilitatẽ trucidavit. Hunc ſecutus Nero Cæſar cui pe- *Nero.* percit? quin nec fratri, nec uxori, nec matri, nec præceptori, nec urbi quidẽ ipſi pepercit. Quanta ſub illo ſtrages civiũ? quanta cædes patrũ facta eſt? ut veriſſimè à quodam ſit dictũ: *tunc Neronem periiſſe, cum cerdonibus timendũ eſſe cæperat*, Abſumtà videlicet Romanâ nobilitate, plebecula & opifices, in quos ſæviret, reſtabant. Longũ foret ſingulos percurrere; ſed tamen eadem omnibus mens fuit, *ut & timerent tunctos, in quibus excellens aliquid conſpicarentur, & quos timerent odiſſent, & quos odiſſent ferro trucidarent*, donec ſuperante odio metum, ipſi quoq; trucidabantur; ut ſic majus illis cum civibus bellũ, quàm cum hoſtibus eſſet, quod paucis exemplis intelligi licet. Nam Julius quidẽ Cæſar interfectus eſt: Tiberio à Caligula manus in- *Mors Iulii.* jectas putant: ipſe certè Caligula gladiis ſuorũ peremtus: Claudius fungo boleto ab *Cæſaris.* Agrippinâ uxore necatus: Neronẽ non febris, ſed gladius abſumſit: Galba Neronis *Tiberii.* ſucceſſor ab Ottone trucidatus eſt: Ottonẽ Vitellius proſtravit: Vitelliũ Romani *Caligulæ.* peremerũt gladii. Idem Domitianũ exitus habuit, idẽ alios, quos enumerare pro- *Claudii.* lixũ magis, quàm neceſſariũ eſſet. Hæ tantæ cædes revolutionesq; rerũ utcunq; tã- *Neronis.* dẽ eſſent, abſq; deminutione & quaſsatione Imperii eſſe non poterant. Itaq; paula- *Galbæ.* tim evaneſcere vires & prolapſa Majeſtas interire cæpit, ac deficientibus civibus, ad *Ottonis.* externos deferri. Sed primis quidẽ temporibus magnitudo potentiæ incõmoda to- *Vitellii.* lerabat. Roma autẽ, & ſi inteſtinis, quæ modò retulimus, affligeretur incõmodis, ab *Domitiani.* externo tamẽ hoſte tuta perſtabat. Poſtquã verò Cõſtantinus amplificatâ Bizantio ad *Majeſtas imperii interire cæpit.* orientem ſubſedit, Italia & cæteræ occidentales Imperii partes, quaſi pro derelictis *Conſtantinus.* habitæ, negligi cœperũt, ac Tyrãnorũ Barbarorũq; invaſionibus exponi, qui ceu in vacuã poſſeſſionẽ ruentes, variis temporibus, tanquã diluvia quædã, has terras inundarũt, de quibus quoniã illi multa per Hetruriã geſſerunt, & hanc ipsã, de qua ſcribimus, everterunt urbẽ, brevi diſcurſu, quantũ neceſſitas flagitat, referemus.

Primi omniũ Barbarorum, poſt Imperii ſedem Bizantium translatam, Gothi *Primi omnium Barbarorum Gothi Italiam invadunt.* Radagaſo & Alarico Ducibus Italiam pervasére, Gothos antiqui Getas dixerunt, *Radagaſus.* ea gens Scythica eſt. Incoluit autem primùm eam Scythiæ regionem, quæ circa Mæ- *Alaricus Dux.* otida paludem ad occaſum ſpectat. Inde productis ſedibus circa maris Pontici litus *Gothos antiqui Getas dixerunt.* magis conſedit. Eam propterea oram ſcriptores quidam, Geticum litus, appellant. *Gens Scythica. Geticum litus.*

Fama co-

Gothi ab initio formidabiles. Lucullus. Gallus. Voluſianus. Maximianus Parthicum bellum ſuſcepit.

Fama eorum potentiæ antiquiſſima, quippe non vicinas dumtaxat Europæ regiones, ſed Aſiam quoq; populati, jam inde ab Initio formidabiles erant. Lucullus Romanorum primus eos bello victos Mœſiâ pepulit: Inde ab Agrippa aliiſq; Romanis Ducibus ultra Danubium amnem ſubmoti, ſed propter ingentem multitudinem varia incolentem loca nunquàm penitus ſubacti. Quoties Romana ceſſabant præſidia, populabundi Mœſiam Thraciamq;, & cæteras vicinas provincias conſueverunt irrumpere. Sub Gallo tandē & Voluſiano, Principibus, cum Gothis fœdus eſt ictum, quo mox poſt eorundem Principum mortem intermiſſo atq; neglecto, uſq; ad Diocletiani & Maximiani tempora hoſtes magis, quàm fœderati habebantur. Sub his rurſus Principibus renovato fœdere, magna Romanis ad Parthicum bellum, quod Maximianus ſuſceperat, miſerunt auxilia. Conſtantino etiam adverſus Liciniū gerenti bellum, aliiſq; interdum Principibus opitulati ſunt.

Hunnorum gens. Oſtrogothi. Inferiores Gothi. Valens. Maximus. Gothi intolerabiliter premuntur.

Hac igitur cum Romanis amicitiâ conſtitutâ, per multoſq; ſervatâ annos, domeſticis cladibus laborare cœperunt. Hunnorum namq; gens, & ipſa Scythica prævalens armis & hominum feritate, Gothos ſuperiora Scythiæ loca Incolentes, quos Oſtrogothas vocant, aggreſſa, multis præliis ſuperatos parêre ſibi coëgit. Hoc itaq; metu perculſi inferiores Gothi, cùm Hunnis reſiſtere poſſe nequaquā confiderent, ad Romanorum gratiā converſi, Valentem Imperatorem per legatos rogant, ut eos dudum amicos, ſæpè opitulatos, Danubiū tranſire, ac in Romani ſolo Imperii, quo Hunnorum furorem ſervitutemq; evadant, recipere dignaretur. Suam cladē, non ſine periculo Romanorū futuram, docent, ſe, ſi eos recipiant, in poteſtate Principis manſuros, legibuſq;, quas eis dederit, parituros. Valens igitur, & ſi periculoſam rē in tanta Barbarorū multitudine ſuſpicabatur; tamen, ut adverſus Hunnorū potentiam ex ea parte Imperiū cōmuniret, Gothos cum conjugibus & liberis tranſire amnem benignè permiſſos intra Mœſiā recepit. His autem locis Maximū quendā cum aliquot cohortibus præfecit, eiq; mandavit, ut quæ ad uſum victumq; neceſſaria forent, importanda curaret. Per doctos etiam homines religione Chriſtianâ, qua ipſe Princeps imbutus erat, Gothos curavit imbuendos. Sed multitudinem ingentē, & advenā, confeſtim rerū inopia ſubſecuta, intolerabiliter premere cœpit, quam avaritia Maximi quæſtū in cōmerciis procurantis duriùs acerbabat. Hanc itaq; paſſi aliquàndiu Gothi, tandem vulgo conqueri, ac fortunas ſuas misereri cœperunt, & modò improbitatē Maximi, quòd importari non permitteret, modò avaritiam, quòd cariùs venderet, accuſare: Jam ſibi mancipiis, ſupellectiliq; exhauſtis, liberos dumtaxat conjugeſq; ſupereſſe, eos jam ipſos à venditoribus expoſci, ſtatim videlicet atq; illi defuerint, ſeſe tanq; pecora abductum iri: Præſtitiſſe autem vel Hunnis ſervire, vel pugnando cecidiſſe, quàm vel fame tabeſcere, vel hanc tantam avariſſimorū hominum contumeliam perferre. His & hujuſmodi vocibus vulgo miſerebantur.

*Phritigernus & Alatheus Gothorum Reguli. Gothi Romanos invadunt. *Profecto Ms. Palat. Gothi dominantur.*

Reguli erant Gothorū Phritigernus & Alatheus, viri bellaces, otioq; infenſi. Hos cùm ſuopte ingenio feroces, tùm populariū querelis incenſos novarū rerum ſtimulabat cupiditas. Eorū operâ tandem Gothi Romanos invadunt, milites cum Præfecto,* quot aſſequi poſſunt, trucidant. Superatis inde in congreſſione cohortibus, per Mœſiā, Thraciamq;, & ripenſem Daciā fuſi, omnia populantur. Fit provincialium magna cædes, multi in ſervitutem trahuntur. Deniq; Gothi beneficiorum Principis obliti, non jam precariò, ſed veluti propriis Regionibus dominātur.

Valens cum exercitu in Thraciam properat. Equites Valentis à Gothis ſuperati caeduntur. Valens Imperator crematur. cum Villula ca[s]a, ad quam deportatus, erat. Gothi Victores. Theodoſius in conſortium Regni à Gratiano aſſumitur.

Per id tempus Valens apud Antiochiā erat, qui ubi hæc audivit, confeſtim, ut tantis reſiſteret cladibus, in Thraciā cum exercitu properavit. Cōmiſſo prælio mala malis aggerātur. Equites enim Valentis à Gothis ſuperati, cùm peditē deſtituiſſent, circūventæ legiones à Barbaris uſq; ad internecionē cæduntur. Valens autem ipſe cùm ſagittâ ſaucius fugeret, & ob dolorem nimium ſæpè equo laberetur, ad cujuſdā villulæ caſam deportatus eſt, quæ mox à Barbaris perſequentibus incenſa, unà cum Imperatore, crematur.

Gothi victores totam vaſtantes Thraciam à Conſtantinopoleos expugnatione ægerrimè repelluntur. Quæ ubi Gratiano Valentis nepoti, qui in occidente regebat Imperium, nunciata ſunt, luctu ſimul ac periculo anxius, cùm de reparando Reip. ſtatu conſultaret, placuit tandem, ut quemadmodum Nerva quondam Trajanum, ſic ipſe tunc Theodoſium virum præſtantiſſimum ex Hiſpania in conſortium Regni aſſumeret. Igitur Theodoſius, unica Reip. ſpes, adverſus Gothicum tumultum Imperator creatus, purpuraque apud Firmium* à Gratiano indutus, ubi in

* Sirinium Ms. Pal.

Digitized by Google

ubi in Thraciam cum exercitu pervenit, ſummâ induſtriâ atque felicitate Gothos ſuperavit, multiſque ac ingentibus prœliis victos, Thraciâ pepulit. Sed cùm ulterius Barbaros inſequeretur, morbo correptus, ægrotare cœpit. Eaque cauſa fuit Gratiano, ut deſperatâ Theodoſii ſalute, cum Gothis pacem firmaret, quam mox & Theodoſius ipſe morbo liberatus, ob collegæ honorem, ſine controverſia ſecutus eſt, Gothoſque ut primo inimicos armis pepulerat: ſic poſtea amicos gratiâ, & benevolentiâ in fide retinuit, eorumque operâ in Reip. neceſſitatibus ſæpè utiliter uſus eſt.

Theodoſius ſuperat Gothos.

Gratianus cum Gothis pacem firmat.

Gratiano deinde apud Lugdunium Galliæ urbem, ac poſt aliquot annos Valentiniano ejus fratre apud Viennam, interfectis, Theodoſioque ſubinde apud Mediolanum vitâ functo, ad Arcadium & Honorium, Theodoſii filios, devenit Imperium. Sub his tandem Principibus, Gothorum magna pars novarum ſedium avida, Alarico viro impigro ſibi Duce conſtituto, per Pannonias ac Firmium intravit Italiam. Alia item ejuſdem gentis multitudo ſub Radagaſo Duce eadem loca penetravit. Hi duo Gothorum Duces, duoque exercitus uno atq; eodem anno, qui fuit Stilicone & Aureliano conſulibus, Italiam ingreſſi memoriæ produntur. Sed exercituum & Ducum fortuna diverſa admodum fuit. Radagaſum enim ingenti multitudine Apennini juga transgreſſum, cùm per Hetruriam barbarico furore debaccharetur, & jam Roma propinquo trepidaret metu, Stilico Honorii dux, vir per eam tempeſtatem egregius, bellando ſuperavit, tandemque in Feſulani montibus, qui Florentiæ imminent, redactos hoſtes, & omnium rerũ inopiâ maceratos, ita delevit, ut ex ducentis Gothorum millibus (non enim pauciora in Radagaſi exercitu fuiſſe traduntur) nemo incolumis evaderet. Magna pars cæſa, reliqui capti ac venundati. Ipſe quoquè Radagaſus, cùm ſuos fractis jam rebus turpi fugâ deſereret, captus à noſtris & in vincula conjectus, poſtquam victorum ſpectacula ſatiavit, occiditur. Hanc Gothorum ſtragem, tantamque de hoſtibus victoriam partam fuiſſe, octavo Idus Octob. quidam putant, atque ex eo feſtum diem Florentiæ inſtitutum, temploque idem nomen inditum, quòd videlicet eâ die victoriâ egregiè partâ, maximo Barbarorum metu civitas liberata eſſet. Nos verò diligentiùs perquirentes, hanc victoriam de Gothis habitam, ſub Arcadii & Honorii temporibus, Stilicone iterum & Antemio conſulibus, decimo poſt Theodoſii mortem, octavo ſupra quadringenteſimum Chriſtianæ ſalutis, anno comperimus. De die autem nihil certi potuimus reperire. Quare illa, quæ de inſtitutione feſti, & templi vocabulo dicta ſunt, in medio relinquantur. Radagaſus ergo, & Gothi qui ſub illo erant, hunc in Hetruria finem habuêre.

Lugdunium Galliæ urbs.

Valentinianus frater Gratiani.

Arcadius, Honorius Theodoſii filii.

Alaricus Dux Gothorum.

Radagaſus Dux.

Stilico & Aurelianus. Conſſ.

Radagaſus à Stilicone Honorii Duce ſuperatur.

Ex ducentis Gothorum millibus nemo incolumis evaſit.

Radagaſus occiditur.

Gothorum ſtrages.

Feſtus dies Florentiæ inſtitutus.

Victoria de Gothis habita.

ANNO Salutis Chriſtianæ 408.

Gothorum finis in Hetruria.

Alaricus verò aliam Gothorum manum per Italiam rapiens, ab ipſo ferè ingreſſu, caſtris non procul Ravennam poſitis, per Legatos ad Honorium miſſos, ſedes ad inhabitandum ſibi ſuiſque popoſcit, impetravitq; volente Honorio, ut ad eas Galliæ partes, quibus Vandali Alanique imminebant, per favorem, & amicitiam eorum, qui Romano parebant Imperio, proficiſceretur. Hoc itaque fœdere cum Barbaris icto, cùm illi in Galliam contenderent, & jam apud Pollentiam urbem, ſub ipſis Alpibus exercitum deduxiſſent, nihilq; hoſtile metuerent, quidã ex Honorii Ducibus Gothos improviſo impetu, contra fidem aggreſſi, magnam eorum ſtragem primò ediderunt. Erat profectò militum firmiſſima ſpes, omnes Barbarorum copias eâ die tolli poſſe, quando illi ſive contemtu diſciplinæ militaris, ſive nimiâ pacis fiduciâ, non delecto caſtrorum loco, neq; aggere & foſſâ munito, paſſim inter jumenta impedimentaq; per agrum jacebant. Itaq; magna prius ab aggreſſoribus edita cædes, & quacunque pervaſerint, plurimus Barbarorum manabat cruor. Sed major erat multitudo, quàm ut uno impetu trucidari poſſet. Et jam circa Regem trepida quidem, ſed magna convenerat manus. Quo in loco, cùm inter ſeſe, quid agendum foret, quaſi attoniti ſciſcitarentur, tenuiſſe dicitur aliquandiu ſuſpenſos Gothos diei religio. Nam ne quid ſceleri deeſſet, ſacrum Paſchæ diem, quominus caveret hoſtis, ad tantam cædem Honoriani delegerant. Quare Gothi, nefas eo die pugnare credentes, ſe primò continuerunt à pugna, & ſponte ſuâ, ceſſerunt hoſti. Tandem verò, ut aggreſſores nihilo ſegniùs inſtare, & ſuos ferociter inſequi cõſpiciunt, irâ ſimul & indignatione furentes, veluti cæcâ rabie in hoſtes feruntur. Illi autẽ, qui in improvis à duntaxat cæde ſpẽ victoriæ poſuerãt, ut juſta ſupervenit acies, facilè ſuperantur. Gothi modò victi mutatâ pugnæ fortunâ,

Alaricus.

Polentia urbs.

Gothi Paſchæ die pugnare, nefas credunt.

Gothi victi

repentè

repentè victores fiunt, variè diſſiparos Honorianos incredibili cæde proſternunt, cadaveribus & cruore omnia complent. Hinc tumentes irâ, victoriâque elati, juſtam penè rabiem contra noſtros exercent, Omiſſo namque in Galliam itinere, ac pactas ſedes valere ſinentes, infeſto agmine per Italiam ruunt, omnia, quacunque incedunt, latè ferro igneque vaſtantes.

Stilico Gothorum furorem reprimit.

Adverſus hunc Barbarorum furorem Stilico novo exercitu opponitur: is eorum furentes impetus primus repreſſit. Quin etiam bellandi peritia fretus, ſæpe Barbaros incluſit, ſæpè circumvenit, ſæpè contrivit, plenam habiturus victoriam, ſi mens ſana fuiſſet. Sed jam pridem Imperio inhians, has per Italiam clades nutrire cupiebat. Quare Gothos nec vinci, nec vincere patiebatur; ſed occultè quidem illos fovens, apertè autem belli & pacis copiam denegans, cùm abire cuperent, in Italiâ ſuſtentabat. Quæ ubi Honorio pateſacta ſunt, Stiliconem cum Eucherio filio, cui ſceleſtè parabatur Imperium, interfici juſſit. Juſtam certè Principis iram, & dignam tanti ſceleris vindictam, acerbiora mox incommoda ſubſecuta ſunt. Gothi enim, ſublato Stilicone, maximo Duce, Romanisque ob ejus mortem turbatis animis, liberiùs jam per Italiam ruentes, urbem denique illam victricem orbis, quod & ſcripſiſſe pudet, hoſtiliter ingreſſi, præter ſacra loca, quæ Barbari, licet venerabantur, cædibus omnia & cruore fœdarunt. Direpta inde, & quibuſdam locis incensâ urbe, non multos, poſtquam intraverant, dies, cum inæſtimabili prædâ, & magnâ captivorum multitudine egrediuntur. Fuit inter captivos Placidia Galla, Theodoſii filia, Arcadii & Honorii ſoror, quam ex Auguſtalis palatii deliciis per horrida Gothorum caſtra abductam (*adeo ſors cuncta etiam incredibiliter interdum miſcet*) barbarum ſequi Dominum omnipotens fortuna compulit. Egreſſi Româ Gothi per Campaniam, Lucaniâ, Brutios ſimili clade bacchantur. Emenſos Italiæ longitudinem in Siciliam trajicere conantes, æſtus & naufragium ſalutare Siculis rejecit. Conſultantibus inde turſúſne refectis navibus trajicerent, an retrò iter verterent, inter hujuſmodi moras conſultationesque Alaricus apud Conſentiam moritur. Gothi Regis corpus, ne quis vel in mortuum vindictam exercere poſſet, maximo captivorum & militum opere, derivato Baſento amne, in medio alveo cum ditiſſimis hoſtium ſpoliis, & omni regia gaza deponunt, flumenque mox in ſolitum reſtituunt curſum. Captivos poſt hæc Italici generis, vel pro magnificentiâ regii funeris, vel ne quis efferre, docerévе locum poſſit, ad unum omnes trucidant. Inde * Athaulfo, Alarici propinquo, ſibi Rege ſubrogato, Romam iterum petunt, & quod reliquum prædæ fuerat, abradunt. Populatâ de hinc Hetruriâ, ac cæteris propinquis regionibus afflictis, in Galliam tandem, veluti procella quædam malam ſecum tempeſtatem ferèns, abiêre Capta eſt autem Roma à Gothis anno, poſtquam condita fuerat, milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto: poſtquam verò à Gallis capta fuerat, octingenteſimo. Placidia autem Galla, quàm ſupra à Gothis captam abductamque oſtendimus, ab Athaulfo Rege in matrimonium accepta eſt. Hæc etiam poſt mortem Athaulfi Regis, qui Barchinoniæ ſuorum dolo interſectus eſt, Conſtantio, viro præſtantiſſimo conjugata, Valentinianum peperit, qui poſt Honorii mortem imperavit.

Eucherius Honorii filius.
Stilico cum filio Eucherio interficitur.
Gothi Roma egrediuntur cum præda.
Placidia Galla, Theodoſii filia.
Alarici Gothorum regis mors.
** Alias Adulpho.*
Roma à Gothis capta.
Ab urb. cond. 1164.
Anno Chriſti 414.
Placidia Galla ab Athaulfo in matrimonium accipitur.
Athaulfus à ſuis interficitur.
Conſtantius.
Valentinianus.

Attila poſthæc, Hunnorum Rex, quanto nullus antè terrore Italiam ingreditur. Hunnorum gentem Scythicam fuiſſe ſupra oſtendimus. Incoluit autem primò ſupra Mæotida paludem, inde, mutatis ſedibus, intra Pannoniam conſedit. Poſt amplificatam potentiam, Imperiumque ſuper multas gentes longè latèque extenſum, ad Attilam & Bledam fratres, Regnum devenit. Sed Attila, per dolum Bledâ necato, ſolus regnavit. Potentiſſimus quidem omnium Regum, qui ante ipſum fuerant. Parebant enim ſibi immaniſſimæ fortiſſimæque nationes; ipſe quoque truci pavendus ingenio, ad terrorem orbis terrarum natus videbatur. Hic igitur Macedoniâ, Mæſiâ, Traciâ Illyrioque vaſtatis, tandem pervagatâ Germaniâ in Galliam tranſiit. Addidit viribus dolum. Quod enim Romanos Gothosque perſequebatur, ne in unum eorum potentiæ convenirent, Romanis per literas oſtendit, ſe Gothos, gentis ſuæ antiquos hoſtes, & veluti fugitivos ſervos, toto orbe perquirere atque ulciſci velle, Romanos rogare, vel arma ſecum jungant ad inimicorum vindictam, vel otioſos ſpectatores ſe præſtent. Gothis verò, ſe adverſus Romanos duntaxat hoſtilia ferre arma, confirmavit, proinde quieſcerent, aut ſe ipſi conjungerent. Hæc à Romanis Gothisque deprachenſâ, amicitiæ jungendæ cauſa fuere

Attila Hunnorum Rex.
Attila & Bleda fratres.
Attila potentiſſimus regum antecedentium.
Attila addidit viribus dolum.

ſa fuere. Quare in unum convenientes, Theodoricus Gothorum rex, ac * Etius Patritius, à Valentiniano juniore in Galliam miſſus, Romanorum Gothorumque exercitus adverſus Attilam, conjunxerunt. Quæ ubi Attilæ nunciata ſunt, truculentior jam inde factus, omnia vaſtat, urbes, quot expugnare per Galliam poteſt, ad ſolum uſque ſubvertit, templa incendit, Igne & ferro cuncta abſumit. Committitur tandẽ prælium maximum atque atrociſſimum, in quo ſupra C L X. millia cecidiſſe traduntur. In eo prælio Theodoricus Gothorum rex ab Hunnis occiditur: Attila ipſe, uſque ad caſtra cùm ingenti ſuorum cæde, fugatur. Ab oppugnatione caſtrorum mors ſui regis Gothos avertit, itaque quaſi æquo Marte diſceſſum eſt, cùm alteri Regem amiſiſſent, alteri caſtris incluſi ſe inferiores prælio faterentur. Attila igitur, haud multo pòſt tempore, in Pannoniam reverſus, cum exercitum reparaſſet, non jam Galliam, ſed Italiam ipſam invadere decrevit. Quare profectus cum Hunnorum & aliarum gentium maximis copiis, Aquilegiam urbem in ipſo Italiæ limine obſedit. Diutius obſidio ejus urbis Attilam remorata eſt: triennio toto circa illam conſumto, expugnatur. Ferunt cùm jam Barbaros tædium deſperatioque capiendæ urbis cepiſſet, & infectâ re abeundum putarent; Attilam, ſpeculandi gratiâ, circa urbem obequitantem, animadvertiſſe, ciconias ex altis turribus pullos efferre. Quod ſimul atq; vidit, conſtitit lætus, ſuisq; oſtendens, aſpicite, inquit, commilitones, præſciæ futurorum aves filios deportant, & quam perituram ſciunt, deſerunt urbem. Agite jam nunc mecum, deſtinata noſtræ victoriæ mænia invadite, hæc dies finem laborum, & prædam abundè vobis tradet. His adhortationibus incenſi Barbari arma corripiunt, & acriùs ſolito mænia circumſtant. Nec defuit augurio fides. Urbs diu obſeſſa, brevi expugnatur. Attila captam Aquilegiam, trucidatis civibus, ſolum adusq; ſubvertit. Mox inde movens exercitum, Vicentiam, Veronã, Mediolanum, Ticinum pari terrore pervadit, ac poſt multã opidanorum diripit cædem. Exanimatâ itaq; metu reliquâ Italiâ, victoremq; terribilem horrendo pavore expectante, Leo pontifex maximus (*nondum enim hac intolerabilis, quam nunc videmus, ſuperbia Pontificatum irrepſerat, ſed in humilitate & ſanctimoniâ præſidebant*) pro ſalute cunctorum, legatione ad Attilam ſusceptâ, cùm apud Mincium amnẽ caſtra habentem Attilam reperiſſet, facundus Præſul feritatem victoris orando mollivit, ac ut, omiſsâ Italiâ, ad propria regna reverteretur, obtinuit. Cogitantẽ poſthæc rurſus Imperiũ Romanum concutere, variosq; jactantẽ minas, mors opportuna è medio ſuſtulit. Nam poſt convivium laxiùs hilatiuſque celebratum, reſupinus cum dormitaret, ſanguis è naribus fluens, vitalibus oppletis meatibus repentò necavit.

Theodoricus Gothorum Rex. * *alias Aetius.* *Etius Patritius.* *Theodoricus ab Hunnis occiditur.* *Attila fugatur.* *Attila Italiam invadit.* *Aquilegia urbs Toto triennio conſumto expugnatur ab Attila.* *Augurium.* *Attila Aquilegiã ſubvertit.* *Leo Pontifex.* *Pontificatum ſuperbia irrepſit.* *Mincius amnis.* *Leo Attilæ feritatem mollivit.* *Attila moritur.*

Poſt Hunnorum feritatem, Vandalorum furor exarſit. Hæc gens ab extremis Oceani Arctoi finibus excita, per multas vagata terras, tandem permiſſu Romanorum Principum, in Pannoniis conſedit. E Pannoniis rurſus, Stilicone ſolicitante, Rhenum tranſiiſſe dicitur, biennio ferè antè quàm Roma à Gothis caperetur. Inde aliquot annis in Gallia commorata, in Hiſpaniam primò, mox in Africã transgreſſa, circa Hipponem conſedit: Nec multò pòſt, Carthaginem & pleraſq; urbes Africæ occupatas, multos annos detinuit. Cùm hac autem gente Valentinianus Imperator, qui Honorio ſucceſſerat, fœdus icerat; ſed eo mox Romæ à ſuis interfecto, cùm Maximus quidã, imperio occupato, Eudoxiã Valentiniani uxorem per violentas nuptias, ſibi conjunxiſſet, Vandali ab Eudoxia ſolicitati, Genſerico Rege eos ducente, Italiã navib⁹ advecti Romã intrarunt, tertio & quadrageſimo anno poſtquã à Gothis capta fuerat. Nihil eorũ ingreſſus ab hoſtili defuit: capti cives, urbs ſpoliata, tẽpla quoq;, quæ priùs Gothi intacta reliquerãt, à Vandalis direpta. Satiatos deniq; prædâ Vãdalos cum Eudoxiâ ſive captâ ſive receptâ, Genſericus in Africam reduxit.

Vandalorum furor. *Valentiniani fœdus cum Vandalis.* *Valentiniani interitus.* *Maximus.* *Eudoxia Valentiniani uxor.* *Genſericus Rex.* *Vandali Romã intrant.*

Ab has Gothorum, Hunnorumq; & Vandalorũ calamitates Odoacer quartus acceſſit. Hic Toralingorũ * & Herulorum magnis copiis in Italiam ductis, cum Oreſtem Patritium ſibi cum exercitu occurrentem, apud Ticinum ſuperaſſet; & Auguſtulum mox Romæ ab Imperio, quod poſt Majorianum & Antemium occupaverat, dejeciſſet, non ſolùm Italiam, ſed Romam quoq; ipſam poſſedit. Adverſus hunc tertio decimo jã anno Italiam occupantẽ, Zeno Imperator, qui apud Conſtantinopolim orientem regebat, Theodoricum Gothorũ Regem, jam antè apud ſe magno in honore habitum, ad liberandam Italiam miſit. Erat autem Theodoricus ex his Gothis qui olim in ſuis ſedibus remanentes, Hunnis Attilæq; ſervierant; qui cũ valido exercitu Italiam ingreſſus, Odoacrẽ primò non longè ab Aquilegia juxta Sontiũ

Odoacer. * *Alias Torcilingorum.* *Odoacer ſuperat Oreſtem.* *Auguſtulum ab Imperio dejecit.* *Zeno imperator.* *Theodoricus Gothorum Rex ad liberandam Italiam mittitur.*

Odoacer occiditur.
Theodoricus Romam & Italiam recipit.
Amalthea M S. Pal.
* VVitigis M S. P.
* Ildobatus.
Eraricus.
Totila.
Iuſtinianus Imperator.
Amalaſunta Theoderici Regis filia.
Theodaſus Rex creatur.
Amalaſunta Regina occiditur.
Beliſarius in Italiam mittitur.
Neapolis urbs expugnatur.

amnem, deinde apud Veronam gravi prælio ſuperatum, tandemque Ravennæ obſeſſum, & ad deditionem coactum, occidit, Romamq; & Italiam recepit cum ſumma alacritate omnium populorum. Verùm læta hujus principia triſtiſſimos exitus habuêre. Nam poſt victoriam, multitudine Gothorum undiq; diffuſâ, quas receperat urbes, veluti captivas poſſedit, ut nõ liberati ab eo Italiæ populi, ſed ſæviorẽ etiã dominum accepiſſe viderentur. Huic tandem, poſt multas Italiæ clades apud Ravẽnam, defuncto, Attalaricus nepos ex filia puer adhuc cum Amalaſunta * matre in regno ſucceſſit. Attalarico inde mortuo Theodaſus, poſt hunc Vitigis, * poſt Vitigẽ * Hildebatus, mox Eraricus, pòſt Totila omnium crudeliſſimus, Regnũ obtinuit. Hi omnes Gothorum Reges Italiam tenuêre. Sed adverſus Theodaſum, quem in ordine tertium Regem fuiſſe dicimus, Juſtinianus Imperator (ad hunc enim poſt Zenonis, & Anaſtaſii, & Juſtini mortem, imperium devenerat) Beliſarium cum exercitu in Italiam miſit, ex hujuſmodi cauſa permotus: Amalaſunta, Theodorici Regis filia, quam unà cũ Attalarico ejus nato, in regno ſucceſſiſſe oſtendimus, mortuo filio, Theodaſum conſobrinum ſuum in conſortiũ Regni adſcitum, Regẽ creavit. Qui beneficii immemor, haud multò pòſt, ut ſolus regnaret, in Vulſinii lacus inſula, ubi domus & theſauri Regii fuerunt, Reginam occidit. Id quidem factũ animos Gothorum ſic alienarat ab Rege, ut parum à ſeditione abeſſent. His igitur cognitis Imperator, tempus liberandæ Italiæ veniſſe ratus, Beliſarium cũ exercitu miſit, qui poſtquam in Italiam copias trajecit, Neapolim urbem, partes Gothorum pertinaciſſimè retinentem, obſedit expugnavitq; non abſq; ingenti cæde Neapolitanorum Gothorumq;, qui ab initio obſidionis ſe urbi incluſerant.

Vitiges Rex creatur.
Theodaſus occiditur.
Vitiges Amalthea filiam uxorem adſumit.
Beliſarius.
Roma obſidetur à Vitige.
Vitiges cum Regina à Beliſario captus abducitur.

Inter hæc Gothorum copiæ adverſus Beliſarium à Theodaſo miſſæ, cùm in Campania eſſent, ob eas quas ſuprà memoravimus, cauſas infenſæ Regi, ſeditione militari Vitigem egregiæ nobilitatis hominem, & Regiâ ſtirpe antiquâ natum, ſibi Regem creaverunt. Vitiges ergo Rex per hunc modũ ab exercitu factus, ut Regnũ ſibi ſtabiliret, properè in Hetruriam & Flaminiam copiis reductis, Theodaſum occidit. Moxq; Ravennam ingreſſus, Amaltheæ filiã, Theodorici neptem, Sociã Regni, uxorẽq; adſumſit. Dum hæc apud Gothos geruntur, Beliſarius felicitatẽ diſcordiarũ fretus, Romæ exercitu admoto, volente populo Romano, intra urbẽ recipitur. Varia poſt hoc fortuna belli fuit. Vitiges enim compoſitis rebus nonnunq̃ ita prævaluit, ut Beliſariũ intra urbem Romam diu obſideret; tantâ fame populum Rom. exercitumq; intra mœnia premente, ut ægrè ſit urbis ſuſtentata defenſio. Sed tolerantia Beliſarii cunctas difficultates ſuperavit, adauctiſq; tandem copiis obviam Gothis egreſſus, mira felicitate per Hetruriam & Flaminiam, cum hoſte conflixit. Ad extremum verò omnibus Gothorum copiis profligatis, Vitigem apud Ravennam captum ſimul cum Regina uxore Conſtantinopolim abduxit.

Hildebadus & Eraricus Gothorum Reges interfecti.
Totila rex creatur Gothorum.
Totila Romam hoſtiliter ingreditur.
Anno urb. cond. 1296.
Anno chriſti. 546.
Narſes Eunuch
Totila à Narſe victus & interfectus eſt
Totila Dei flagellum.

Liberata penitus videbatur Italia, & profectò erat; modò vel parũ tẽporis ad ſolidandã victoriã Beliſarius impendiſſet. Sed dũ eadem magnitudine animi, quâ hoſtiũ copias vicerat, reliquias contẽſit, ſemina majoris incẽdii: & duriorũ calamitatum ab eo relicta; vaſtitatẽ & ruinam Italiæ brevi tempore pepererunt. Gothi enim, qui per Italiam, præcipuè autẽ per Transpadanas partes, quæ longiùs abfuerant, à bello remanſerãt, ut Beliſariũ abeſſe cognoverunt, in unũ convenientes, ac ſe ipſos cohortantes, Hildebadum primò quendam, moxq; Eraricum, ac illis ſubinde infra bienniũ ſeditione ſuorum interfectis, Totilam regem creaverunt. Hic reparatis Gothorũ viribus, magnoq; conflato exercitu adverſus Hetruriæ civitates, quæ poſt Beliſarii victoriã à Gothis defecerant, plus quàm barbaricâ feritate deſævit, urbes multas evertit, multas incendit, quaſdam omnino cum omni ſubole delevit. Denique ſimùl potentiâ atq; ingenio ferox, Italiam totam, quæ paulò antè à Beliſario liberata gaudio exultabat, duriori ſervitute rurſus oppreſſit, urbem quoque Romam diu obſeſſam, hoſtiliter ingreſſus, totam diripuit, everſâque murorum parte, civibus aut interfectis, aut in captivitatem abductis, ita vaſtavit, ut quadraginta ampliùs dies, ſine ullo penitus habitatore fuiſſe, quidam autores ſint. Supra decem hæc peſtis annos Italiã tenuit, donec per Narſem Eunuchum, à Juſtiniano cum exercitu miſſum, bello victus & interfectus eſt, ac omnes Gothi ad internecionẽ deleti. Hic fuit Totila, quem ob ſævitiam inflictarum cladium, Dei flagellum, quidam appellant, genere quidem Gothus, ſed in Italia natus educatusque, de quo monuiſſe iſta voluimus, quòd plerique vulgo ſecuti famam longè aliter opinantur.

Liberatam

Liberatam Gothorum dominatu Italiam, paucis pòſt annis, Longobardorum furor oppreſſit. Ea gens ab extremis Germaniæ finibus, Oceaniq; proximus litore originem traxit. Egreſſi autẽ patrio ſolo novarũ ſedium quærendarum gratiâ, Ibore & Ajone Ducibus Vandalos, Herulos & Gepidas, aliasq; vicinas gentes, ſæpè bello ſuperârunt. Mutatisq; frequẽtur ſedibus, tandẽ intra Pannonias conſtiterunt. Inde rurſus excitos, Italiam veniſſe, conſtat à Narſe ſolicitatos arceſſitosq;. Nam mortuo Juſtiniano, cùm Juſtinus ejus ſucceſſor Narsẽ ab adminiſtratione Italiæ parum gratæ revocaret, cõmotus injuriâ Narſes, creditur barbarorũ concitatione, vel ſui deſiderium, vel certâ vindictam ingratitudinis procuraſſe. Sophiæ deniq; Auguſtæ Juſtini uxori Narſem, quòd erat eunuchus, ad pẽſa per cõtumeliã revocanti, talẽ ſe illi telam ordiri, reſpondit, quã donec vivat nõ ſit expeditura. Hinc odio ſimul atq; metu anxius Albuinũ Longobardorum regẽ ſolicitare nõ deſtitit, identidẽ monens, ut inopibus Pannoniæ ruribus omiſſis, ad Italiæ opulentiam ſe ſuosq; conferret. Albuinus igitur his adhortationibus inductus, Longobardos cũ conjugibus & liberis ad iter parat, quo certiùs Italiam retinere in poteſtate poſſit, viginti Saxonum millia, item alias barbaras gentes, eâdem ſpe opimarum ſedium pellectas, ſibi conjungit. Profectus inde magno agmine virorum, mulierum, puerorum, jumentorum, ſecus Adriatici ſinum maris, quâ planiſſimus in Italiam aditus eſt, cum omni ſuorum multitudine ingreditur. Inde latè diffuſus omnia populatur: Venetias atque Galliæ urbes, præterquam, quòd Gothorum cladibus admodum afflictæ erant, peſtis inſuper recens exinanierat. Itaq; nullo ferè negotio ſibi metu aut vi cunctas parere Albuinus compellit. Veronam, Vicentiam, Mediolanum, & alias ſubinde vicinas urbes capit: Papia verò tres annos obſidionem perpeſſa, tandem Longobardis deditur. Deniquè ante Albuini Regis mortem, quem ſexto ſupra triennium menſe, poſtquam Italiam ingreſſus erat, periiſſe conſtat, omnis ferè Italia uſque Ravennam & Hetruriam, præter admodum paucas munitiſſimas arces, in Longobardorum poteſtatem devenit. Nec ambigitur, quin idem Rex totam penitus ſubegiſſet, ſi vel paucis fuiſſet annis vita ſuperſtes. Perijt autem in medio victoriarum curſu, apud Veronam, dolo uxoris interfectus. Cauſa ejus mortis in hunc modum traditur: Ante adventum Longobardorum in Italiam, inter Albuinum & Cunemundum Gepidarum Regem grave exarſit bellum. Productis in aciem utrinque copijs, Rex Gepidarum ab Albuino comminus pugnante, occiditur. Profligatis inde Gepidis, eorumque rebus everſis, Roſemundam Regis filiam, præcipuæ pulchritudinis virginem, inter captivos Albuinus abduxit, captusque ſplendore formæ, paulò pòſt eam ſuſcepit uxorem. Erat Albuino, ut Germanorum mos fuit, pro oſtentanda virtute, ex Regis à ſe cæſi calvaria poculum argento auroque addito fabrefactum, eo ſolennibus cõvivijs ferè, quoties Regina abeſſet, utebatur. Hilariori igitur cænâ apud Veronam urbẽ per id tempus inſtituta, poculum poſcit; dumque Reginã præſentem graviter ferre animadvertit, vino ſimul & curſu victoriarum ſuperbus, Reginæ propinari, illamq; unà cum patre bibere jubet. Regina dolorem alto premens corde, benigno affatu, quando ita jubeat, Regi paret. Moxq;, velut paternis exagitata furiis; duobus militibus, quorum alterum Regi inſenſum, alterum amore ſui devinctum pereuntemq; ſciebat, in conſilium facinoris aſſumptis, per illos in cubiculum clàm receptos, dormientem interficit Regem. Ipſa verò navim ingreſſa, per Atheſin fluvium Ravennam aufugit. Longobardi Albuini corpore Regio funere ſepulto, Dephonem * præcipuæ nobilitatis hominem, ſibi Regem præfecerunt. Hic fuit & virtute longè inferior Albuino, & naturâ crudelior. Itaque mox eo intra biennium defuncto, per decem ferè annos abſq; Rege Longobardi fuêre; Ducibus gentis, qui jam variè per urbes Italiæ ſparſi erant, ita impigrè bellum gerentibus, ut nunquam ſit regia deſiderata poteſtas. Per hos Duces Longobardorum gens alia poſt alia appetendo loca, Brunduſium uſque Tarentumque ſubegit, præter urbem Romam, quam conſtat in hujus gentis poteſtatem nullo unquàm tempore deveniſſe.

Poſt Gothos Longobardi Italiam opprimunt.
Ibor & Aio Duces Longobardorum.
Juſtinus ſucceſſor Juſtiniani.
Sophia uxor Juſtini.
Albuinus Longobardorum Rex.
Saxones.
Albuinus omnia populatur.
Verona Vicentia Mediolanũ & aliæ urbes ab Albuino capiuntur.
Papia Longobardis deditur.
Omnis ferè Italia in Longobardorum poteſtatẽ devenit.
Albuinus dolo uxoris interficitur.
Cauſa ſuæ mortis.
Cunemundus Rex Gepidarum ab Albuino occiditur.
Roſemunda Regis filia.
Poculum ex Regis Calvaria fabrefactum.
Atheſis fluvius.
* Ab alijs hiſtoricis Clephes nominatur.
Dephon Rex præficitur.
Longobardorũ interregnum.

Poſt decennium rurſus placuit Regem creari, quòd mox per omne tempus, uſque ad Deſiderium, qui ultimus eorum Rex in Italia fuit obſervatum eſt. Cumq; Gothi primò apud Ravennam ſedẽ Regni ſtatuiſſent, Longobardi apud Ticinum Regiâ conſtitutâ, Hetruriam, Flaminiam, Umbriam, Samnium, reliquasque Italiæ regiones per ſuarum gentium Duces gubernabant. Quatuor ſupra ducentos annos in Italia dominatam Longobardorum gentem conſtat, ac multorum Regum

Deſiderius ultimus Longobardorum Rex in Italia.
Regnum Longobardicum annos 204. duravit in Italia.

Carolus Magnus Francorum Rex.

ſucceſſionem per hoc tempus habuiſſe. Tandem cùm graviores injurias populo Rom. Pontificibusque inferret, Carolus Francorum Rex, cui poſtea ex rebus geſtis Magno fuit cognomen, in Italiam precibus Adriani Pontificis maximi, evocatus, Deſiderium Longobardorum Regem poſt aliquot proſpera prælia, apud Papiam obſeſſum, ad deditionē coëgit, ipſoque cum uxore ac liberis in Galliam deportato, atque reliquis Longobardorum Ducibus variè profligatis, gravem ejus gentis dominatum à cervicibus Italorum dimovit. Ob quæ & alia ſubinde merita, ab Adriano evocatore, multis ac maximis privilegiis ornatus, mox à Leone ejus ſucceſſore Auguſtus appellatus, Imperatorium nomen dignitatemque ſuſcepit. Hinc nata eſt, quæ hodie quoque perdurat, Imperii Romani diviſio, aliis in Græcia, alijs in Gallia Germaniaque, nomen Romani Principis uſurpantibus. De quo non abs re fuerit, pro cognitione rei, pauca repetere.

Carolus à Leone Auguſtus appellatus, Imperatorium nomen ſuſcepit. Imperii Romani diviſio. Romanum Imperium à quo conſtitutum.

Romanum Imperium à populo Rom. inſtitutum atque perfectum eſt. Nam Reges quidem non ita latè poſſederunt, ut Imperium metuerit appellari. Sub Conſulibus, ac Dictatoribus, Tribuniſq; militaribus, qui fuerunt libero populo magiſtratus, & nomen & res emerſit Imperii, Africâ penè totâ magnâq; Aſiæ parte ultra Armeniam & Caucaſum montē armis ſubactâ: Europæ verò Hiſpaniis, Galliis, Græciâ, Macedoniâ, Thraciâ, aliisq; ſubinde partibus bello domitis, Rheno & Danubio Imperium terminarunt. Maria inſuper inſulæq; & litora à Boſphoro in Britanniam cuncta paruerunt. Hæc omnia per quadringentos ſexaginta quinq; annos ab unius urbis libero populo perfecta. Externis invictum bellis, inteſtinæ civileſq; diſcordiæ oppreſſēre. Imperatores hinc creari cœpti, quod ante armorum caſtrorumq; nomē fuit, id tanquā in teſtino vigente bello, intra mænia inductum, verbo quidem legitima poteſtas: re autem vera dominatio erat; ſtipati armorum catervâ, metu ſervire compellebant cives. Ab his Imperatoribus, Germaniâ & quibusdam provinciis ad Imperium adjunctis, foris quidem potentia non nihil extenſa eſt: domi autem vires Imperii aſſiduis penè cædibus imminutæ. Sed ab initio quidē ſinguli imperabant. Nerva autem, qui duodecimus ab Auguſto ſucceſſit, primus ſibi conſortem delegit Imperii, quo poſteà exemplo duo interdum Principes eodem tempore extiterunt. In partitione tamen rerum uſq; ad Conſtantini tempora præcipua Romæ ſervabatur autoritas: Poſt Conſtantinum verò ſedemq; Imperii Bizantium translatam, maximè factitatum eſt, ut duobus Imperatoribus inſtitutis, alter Romam atq; Italiam, alter Orientem ſuſciperet gubernandum. Sed ferè apud Conſtantinopolin ſumma rerum habebatur, qui illic imperabant, ſæpè alii ſibi adjuncto, Romam Italiamque ſolebant committere. Jamque ex conſuetudine ſequeſtratum, illud Orientale: hoc Occidētale Imperiū vocabatur. Occupātib᷒ deinde Italiā Barbaris occidētale ceſſavit Imperiū, nec, poſt Auguſtulum illum, quē ab Odoacre dejectū oſtēdimus, quiſquàm, ne tyrannicè quidem, per Italiam & occidentem, id nomen ſuſcepit, uſq; ad Carolum Magnum, quem à Leone pontifice Imperatorem diximus appellatum.

Imperatores creantur.

Nerva primus ſibi conſortem Imperij delegit. Principes interdum duo extiterunt eodem tempore. Duo Imperatores inſtituti.

Imperium orientale. Imperium occidentale. Imperium occidentale quando ceſſavit.

Inter Auguſtulum verò & Carolum per trecentos ferè annos Imperium ceſſavit, quod hinc intelligi licet. Odoacer Toralingorum Rex dejecto Auguſtulo, tredecim annos Romam Italiamq; poſſedit. Gothi, qui cum Theodorico Rege Odoacrem oppreſſēre, ſexaginta ferè annos in his locis dominati ſunt. Nonnihil temporis Narſes intercepit. Mox Longobardi ducentos & quatuor annos tenuerunt Italiam. Poſt Longobardos à ſe oppreſſos fugatosque vigeſimo quinto ferè anno Carolus Imperator Romæ creatus obliteratum nomē Imperii dignitatemq; reſumſit. Enim verò priùs etſi bini Imperatores Remp. gubernabant, tamen alter ab altero dependebat, conſorteſq; ambo erāt Imperij: Poſt Carolum verò neque conſortium ullum, nec ulla penitus remanſit cōmunio, diviſi animi, diviſa item ſigna. Nam ante Carolum, Imperatores vexillo rubro, quod Populi Rom. antiquum fuit inſigne, aquilam auream addiderant: qui poſtea ſucceſſerunt Carolo, fuſcam aquilā fulvo geſtarunt vexillo, quo quidem inſigni nullo unquam tempore uſus fuerat Populus Romanus. Fuit prętereà diſceptatio * varia, cùm alii veterem Imperatorum ſeriē, & antiquum ſuccedendi morem ſervādum cenſerent: alii, etſi alienum à jure, tamen quia expediret, novum electionis exemplum à Pontifice introductum, probarent. Nobis autem plurimum videtur referre, Populusne Romanus hortatu Pontificis: an Pontifex ipſe injuſſu populi Imperatorem crearit, Conſtat enim nullius magis, quàm Populi Romani id munus eſſe, Nam Pontificatus per illa tempora magis ab Imperato-

Carolus Imperij nomen reſumſit.

Signa Imperatorum ante Carolum.

** diſcrepatio M. S. Pal.*

Populi Romani munus fuit Imperatorem creare.

ria

ri autoritate pendebat, nec quiſquam præſidebat, niſi quem poſt ſenatus, cleri & Populi Rom. electionem, Imperatoria cõprobaſſet autoritas. rerum hæc cenſuræ illorum, qui juris Pontificii peritiores habentur, ſubjicimus.

Pontificatus ab Imperatoria autoritate pendebat.

Carolo certè ipſi, utcunq; tandem electo, divina porrò humanaq; faverunt, & fuit profectò vir dignus Imperatorio nomine,* & q nõ ſolùm rerum geſtarũ magnitudine, verùm etiã plurimarum virtutum excellentiâ Magnus meruerit appellari. Idẽ fortiſſimus atq; mitiſſimus, ſummâ juſtitiâ, nec minori ſobrietate ad gloriã rei bellicæ, quæ in illo maxima fuit, liberalium artium ſtudia, & doctrinam literarum adjunxerat. Ter in Italiam cum exercitu venit, primo adventu Deſiderium Longobardorũ Regem apud Ticinum ſubegit. Secundo, adverſus Araisũ * Beneventanum Ducẽ Capuam uſq; profectus eſt: Tertio Leonem Pontificem, à Romanis per injuriam ejectum, in urbem reſtituit: quo tandem in tempore Imperatorium nomen dignitatemq; promeruit. Bella præterea multa & maxima contra Hunnos, Saxones, Aquitanos, & alias quaſdã nationes, per ſe & Filios ac Præfectos, feliciſſimè geſſit. Hujus ſucceſſores quidã eã Italiæ partem, in qua Longobardorũ Regia fuit, poſſidentes, ſe Reges Italiæ nuncuparunt: quorum è numero fuerunt Pipinus Caroli filius, item Bernhardus & Lotharius nepotes, ac Ludovicus Lotharii filius: quorum Lotharius & Ludovicus non ſolùm Italiæ Reges, ſed etiam Imperatores Romanorum fuêre. Sed & alii Caroli ſucceſſores in Gallia primò, mox & in Germania Romanum, velut per manus traditum gubernârunt Imperium, uſq; ad Arnulfum * Germaniæ Regẽ qui ſeptimus à Carolo ſucceſſor, & ultimus ejus ſanguinis Imperator fuit.

Carolus dignus Imperatorio nomine.
** culmine MS. Pal.*
Carolus cur Magnus appellatur.
** MS Pal. Arciſũ. Araiſum Beneventanum Ducem.*
Reges Italiæ. Pipinus Caroli filius. alij Pipinum.
Bernhardus, Lotharius Nepotes.
** Arnolphum alii.*
Arnulphus ultimus Gallorum Imperator eius ſanguinis.

Poſtquam igitur in Germaniam Imperium abiit, ac pauci ex iis in Italia, ſtatione continuâ, plurimi verò adventitiis, cùm erat opus, exercitibus ad tempus morabantur; civitates Italiæ paulatim ad libertatem reſpicere, ac Imperiũ verbo magis, q̃ facto cõfiteri cœperunt, Romamq; ipsã, & Romanum nomen veneratione potiùs antiquæ potentiæ, quàm præſenti metu recognoſcere: Deniq; quotcunq; ex variis Barbarorum diluviis ſuperfuerant urbes per Italiam, creſcere atq; florere, & in priſtinã autoritatẽ ſeſe in dies attollere. Sed in Hetruria quidem, à primis illis Romanorũ bellis uſq; ad hæc tẽpora, civitates multæ, opidaq; magna, quorũ priùs fuerat autoritas, interierant. Nã & Ceræ, & Tarquiniæ, & Populonia, & Luna, quæ urbes quondã magnæ juxta litus inferi maris poſitæ fuerant; & per mediterraneã regionem Veii, quam urbem decennio ſuprà obſeſſã à Romanis, oſtendimus: Itẽ Ruſellæ, Capenæ, Faleriæ omnino defecerant. Cluſiũ & Feſulæ parum ab interitu diſtabant; Florẽtiã verò quidam ab Attila Hunnorum rege, alii à Totila everſam, inde longũ poſt tempus à Carolo Magno reſtitutam, prodidêre. Nobis autẽ ſatis ſuperq; exploratum eſt, Attilam Hunnorum Regem nunquam Hetruriam intraſſe: ſed ne circa * Mincium amnem, qui ex Benaco in Padum influit, unq̃ progreſſum. Totilam verò Gothorum Regem contra Hetruriæ civitates, quæ poſt victoriam Beliſarii à Gothis defecerant, deſæviſſe oſtendimus. Eo adducor, ut confuſo nomine, pro Totila Attilã, à quibusdã acceptum per errorem credam. Incendiſſe autem Totilæ animum ad delendã hanc urbem, præter novam defectionem, vetus quoq; dolor exiſtimatur: quod videlicet dudum apud eam tot Gothorum millia cum Radagaſo Duce occubuiſſent, itaq; refricante memoriam animo Florentiam tolli voluiſſe, quâ ſtante, velut trophæum de ſua gente in Hetruria poſitum, extabat. Hæc ſi ita ſunt, ſupra ducentos annos, qui inter Totilam & Carolum fuêre, everſam jacuiſſe hanc urbem neceſſarium eſt. Quâ in re illud non immeritò quem movebit, ſi per tam longum tempus vacua populo relicta ſit urbs, quibus interea locis cives fuerint aſſervati? Nam novos quidem ex Romanis habitatores, à Carolo ductos, credere vaniſſimum eſt, præſertim tot calamitatibus involutâ, atq; ita jam pridem multis cladibus urbe Româ afflictâ, ut ſupplemẽto habitatorum ipſa potiùs indigeret, quàm aliis dare poſſet. Deniq; ad Oſtiam urbẽ adeo Romanis neceſſariam, per hæc ipſa ferè tempora, cùm deficerent incolæ, propter vacuitatem Romanæ urbis, colonos è Sardinia põlitos memoriæ proditum eſt. Ego igitur magnas quidem inflictas à Totila clades, plurimam cædem factam civiũ & everſâ mœnia exiſtimo: ſed neq; urbem funditùs deletam, neq; per medium illud tempus ſine habitatoribus omnino fuiſſe. Video namq; dives illud ac præcipuum Martis templum, & alia quædam ædificia, ſupra ætatem Totilæ vetuſta, extare; quæ cùm incolumia relicta conſpiciam, totam urbem deletam credere non libet, neque hæc ipſa abſq; habitatoribus tãdiu ſtetiſſe. Quare mœnia potiùs à Carolo reſtituta,

Imperator eius ſanguinis.
Ceræ. Tarquinia. Populonia. Luna. Veii. Ruſella. Capena. Faleriæ. Cluſium. Feſula. Florentia everſa.
** citra MS. Pal. Mincium amnem.*
Oſtia urbs.
Martis Tem. Fl.

& nobilitatem, quæ diffiſa munitionibus urbis, frequentia in prædiis ſuis caſtella munierat, intra urbem revocatam. Urbem denique ipſam variè disjectam in formã urbis redactam; ſed reparatam magis, quàm rurſus conditam exiſtimo. Urbes igitur, quæ per Herruriam perierant, ſuprà oſtendimus.

Florentia. Peruſia. Sena. Piſani dominabantur mari. Florentini terra prævalebant. Peruſini magnam potentiã habebant. Senæ ſplendore urbanarum rerum & familiis nobilitabant. Ruſellæ & Populonia evertuntur. Cortona. Lucenſes. Volaterrani. Piſtorienſes. Sutrini. Nepeſini. Peruſinorum antiquiſſima potentia. Capita Hetruriæ. Peruſia. Cluſium. Aretium. Piſanorum robur. Piſanorum origo. Senenſium nova eſt civitas. Aretii Cluſii & Volaterrarum origo. Tyrrheni. Cortona. Viterbienſium origo.

Ex his verò, quæ per tot adverſas tempeſtates emerſæ, ad extremum evaſerant, Piſæ, Florentia, Peruſia, Senæ, plurimum eminebant. Sed Piſani claſſe potentes latè mari dominabantur, eò facilius, quòd maritima ex Tuſcis urbibus hæc ſola remanſerat, Tarquiniis, Lunâ, & Populoniâ jam pridem abſumtis. Florẽtini autẽ induſtriâ & ſolertiâ, terrâ prævalebant: Peruſini ubertate ſoli & opportunitate loci creſcẽtes, magnam potentiam habuêre: Senas ſplendor urbanarum rerum, & familiarum excellentia longè nobilitârunt, & attulerunt potentiæ materiam: Ruſellæ & Populonia finitimæ quondam urbes everſæ. Proximi erant Aretini, bonitate agrorum & amplitudine territorii omnibus ferè præſtantes: ſed inter Florentinos & Peruſinos cõſtitutis, duarum validiſſimarum civitatum officiebant potentiæ. Nam Cortona quidem in Aretinorum poteſtate diu permanſit, nomine etiam civitatis amiſſo, donec haud multò ſupra noſtrã ætatem priſtinum locum recuperare promeruit. Hos proximè ſequebantur Lucẽſes, Volaterrani, Piſtorienſes, Urbevetani, Viterbienſes. Nam Sutrinos, & Nepeſinos, atq; omnẽ illam Hetruriæ partẽ, quæ Romanæ urbi adjacet, ut ſecũda primò Romanorũ fortuna, ſic poſtremò adverſa magis afflixerat. Hę igitur civitates memoratu dignæ, poſt lõgas tẽpeſtates & multiplicia pericula ſuperſtites erãt. Sed ex omnib⁹ quos ſupra memoravimus, Peruſinorũ antiquiſſima potẽtia eſt. Hæc enim civitas, & ante Romanũ Imperiũ inter capita Hetruriæ una e trib⁹ nominata, & ad extremũ, ſecundũ vel tertiũ potentiæ ſemper obtinuit locum: quod neq; Cluſio, neq; Aretio, quæ olim capita quoq; ipſa fuerunt, ad extremũ contigit. Nã Piſanorum quidem non antiqua ſanè fuit potentia, nec ullam ferè apud veteres hæc civitas habuit autoritatẽ. Omne ejus robur circa Caroli tempora floruit, mari autem quàm terrâ lõgè nobilius. Nec ejus priſtina origo à noſtris eſt, ſed à Græcis: eò factum reor, ut florente quondam mari terrâque Hetruriâ, nullam ipſam partem autoritatis teneret: everſis autem noſtris maritimis urbibus, dominandi ſuſceperit facultatem. Senenſium autem novam eſſe civitatem, Florentini & Aretini veteres agri, ipſis penè Senarum mœnibus conterminì oſtendunt. Crevit tamen poſtea, & plurimùm floruit, ſplendore ac magnificentiâ nulli maximarum non æmula. Aretii verò & Cluſii & Volaterrarum vetuſtiſſima origo eſt. Tyrrhenorum ea opida conſtat fuiſſe, quos Trojanum ante bellum in Italia floruiſſe ſuprà oſtendimus. Cortonam, ante etiam Tyrrhenorum adventum, à Pelasgis conditam quidam autores ſunt: ſed eam, Pelasgis pulſis, mox Tyrrheni habuêre. Viterbienſes ab Aretinis ortos vetuſta apud utrumque populum fama obtinuit.

** Volaterrano diviſo agro. M S. Pal. Concordia inter civitates. * extremo. M S. Pal. * agere. M S. Pal. Intermicitia inter Pontifices & Imperatores cauſa bellorum fuerunt.*

Fuerunt præterea inter civitates per ſuperiora illa tempora cõjunctiones quædã: Florentini, Peruſini & Lucenſes ſeſe mutuo dilexerunt. Credo, ꝙ hinc Piſtorienſis, illinc Aretinus interjectus ager fines cõmunionesq; promiſcuas, ex quibus diſcordiarum materia plerunq; oriri ſolet, utrinq; ſequeſtrabant. Inter Senenſes, itẽ & Piſanos & Volaterranos diviſos agro * cõcordia viguit. Sed hæc vel ſtudia partiũ, vel factionũ reſpectus ſæpe numero variabant. *Etenim quod cujusq; rationibus aptiſſimũ eſt, id promtiſſimè Populi amplectuntur.* Atq; ego puto, per prima illa tẽpora poſt Barbarorũ ceſſationẽ inter civitates noſtras cõcordiã viguiſſe. Mox verò ut creſcere cœperunt, vacuas ab externo * metu, invidia, & contentione, tranſverſas egere. *

Attulerunt autem his bellorum & diſcordiarum abundantiſſimũ fomitẽ, crebræ inimicitiæ inter Põtifices Romanos Imperatoresq; coortæ. Nã Imperiũ illud, quod in Carolo Magno maximè propter tutelam Romanæ eccleſiæ fundatũ ab initio fuit in Germaniã, ut ſuprà oſtendimus, delatum, tales plerunq; habuit ſucceſſores, ut ad nullã rẽ magis, quàm ad perſequẽdos evertendosq; Pontifices creati viderẽtur. *Adeò unde ſalus petita erat, ſcelus emerſit.* Cauſa ferè inimicitiarum illa ſuberat, ꝙ eccleſiaſtica quædã jura hi ut ſua retinere, illi antiquatâ licentiâ uſurpare nitebantur. In eos itaq; Pontifices ſententiis & cẽſuris, quæ ſola eorum tunc erant arma, ut ſeverè poterant, animadvertebant, civitates, & Principes adverſus illorum veſaniã concitabant, & ne quis eorum pareret edictis, ſub graviſſimarũ denunciatione pœnarum, deterrebãt. Illi contrà armis terribiles aderant, in re ambigua variæ inclinationes animorum his vel illis faventium, reperiebantur.

Sententia & Cenſura Pontificum fuerunt arma.

Hæc itaque magnis ſæpè ſtudiis per Italiã agitata, eò demum cõtẽtionis proceſsẽ-

Digitized by Google

ſe, ut non ſolùm civitates ſingulæ, verùm etiam populi intra una mœnia conſtituti, vario favore dividerentur. Ita per Hetturiã natæ ſũt factiones duæ: Una fautrix Pontificum, Imperatoribus adverſa: altera Imperatorio nomini omnino addicta. Sed ea, quam Imperatoribus adverſam ſuprà oſtendimus, ex his ferè hominibus conflata erat, qui libertatem Populorum magis complectebantur, Germanos autem barbaros homines, ſub prætextu Romani nominis, dominari Italis perindignum cenſebant. Alia verò factio ex iis erat, qui Imperatorio nomini addicti, libertatis & gloriæ majorũ immemores, obſequi externis, quàm ſuos dominari malebant. Hinc ſtudia partiũ coorta, magnarũ calamitatũ initia fuêre. Nam & publicæ res contentione & cupiditate magis; quàm bono & honeſto tractabantur. Et privatim odia inimicitiæq; indies creſcebant. Ita privatim & publicè ſimul invaſerat morbus, qui primò enutritus contentionibus, tandem exacerbatus odio ac lethifer factus, ad arma & cædes ac vaſtitatẽ urbiũ, ad extremũ prorupit. Maximè verò huius morbi vis per Federici Secundi tẽpora in Hetruria exarſit. Licet enim ejus avus, qui item Federicus appellatus eſt, pulſis urbe Pontificibus, contra eorũ fautores pluribus locis intulerit arma, ac Mediolanũ diu obſeſſum ad ſolum everterit, Parmamq; & Placentiã longo afflixerit bello, & quatuor falſos Pontifices contra veros perfoverit, ac poſteà Henricus pater non minori acerbitate animi deſævierit: Tamen quantum ad res Hetruſcas attinet, Secundus Federicus principiũ & cauſam attulit civiliũ externarumq; calamitatũ. Hic paternâ quidem origine à Suevis ortus, maternâ autẽ à Siculis Regibus, antequã ad Imperiũ vocaretur, Siciliæ Regnum cum matre Conſtantia poſſidebat, maximè Pontificum Romanorũ tutelâ in eo defenſus. Sed poſtquã, Ottone amoto, ad Imperium aſſumtus eſt, confeſtim avi ac patris veſtigia ingreſſus, per tres & triginta (tot enim regnavit) annos, maximis calamitatibus ſedẽ Romanã affecit, tres per id tempus Pontifices perſecutus, Honoriũ, Gregorium, Innocentiũ. Privatus autem ad extremum Lugdunenſi concilio ac Imperiali & Regiâ poteſtate depoſitus, non quemadmodum avus ejus, tandem poſt multa errata ſe ipſum humilians, ad gremiũ rediit: Sed & concilia & decreta contemnens, non ſolùm ea, quæ tenebat, reſtituere, ſed inſuper alia occupare perrexit. Siciliã igitur & Apuliam, ac proximas Italiæ partes ex materna, ut diximus, hereditate poſſidens, ac ex propinquo magis adhærens, civitates Hetruriæ curioſiùs obſervavit, illas deniq; nudare adverſariis, ac ſuarũ partium facere inſtituit. Hoc ille non ſolùm in præſentia, verùm etiam in futurum exiſtimavit conducere. Nam quòd filiis abundabat, *ut eſt mens hominum ſibi ipſi nimis aſſentatrix, & credula*; longam illis in Italia ſucceſſionem parare conſtituerat. Id ita demum contingere exiſtimavit poſſe, ſi diverſæ factionis hominibus per Hetruriã depulſis, amici & fautores ejus haud ambiguè civitatibus præſiderent. Hac itaque mente Hetruriã cum exercitu ingreſſus, per ſingulas urbes auxilia ſubminiſtrando, ac ipſe per ſe & filios adeundo, movendo deniq; & irritando, ut hi, qui Imperatorias fovebant * partes, adverſarios pellerent, effecit. Nec id quidem perſuadere difficilè fuit, tumentibus jam pridem animis & multifariam inimicitiis inter cives vigentibus. Quo quidẽ tempore multa inteſtina prælia, multæ cædes civium, & domorũ incendia, atq; alia, *quæ civilis ira ferre ſolet*, per ſingulas ferè urbes perpetrata traduntur. Nec tamen hi, qui pulſi erant, quieverunt; ſed caſtella quædã ſuarum civitatũ invadentes, ex illisq; cientes bella, cædibus & rapinis omnia infeſtabant. Adverſus hoc Federicus ipſe tantorum malorũ auctor, & rogatu civitatum, & ſuâ ipſe ſponte, quaſi contra Imperii turbatores, & læſæ majeſtatis reos inſurgens, pleraque rebellantia obſedit loca. Et ſi quibus ex opidis adverſa factio pelli non potuit, ea tota opida pro hoſtibus habuit, ferroq; & igne populatus eſt. Ita partium ſtudia, quæ prius civili motu, * & urbanis contentionibus ad id tempus per Hetruriam agitata fuerant, per hujus Federici rabiẽ, ad cædem & ſanguinem, ac expulſionem civium & vaſtitatem urbium compulſa fuêre. Ipſe certè tantâ immanitate in his rebus verſatus eſt, ut quoſdam diverſæ factionis homines captos à ſe, & in Apuliam ſub cuſtodiâ miſſos, ſive ut propriam ſatiaret iram, ſive ut partium ſuarum hominibus gratificaretur, effoſſis prius oculis, membrisque mutilatis, per varia tormentorum genera occiderit. Cujus rei vindicta nequaquàm diu dilata eſt, cùm & ipſe & filii malè perierint, & illa ipſa, quam perſecutus fuerat, adverſa Hetruriæ factio, armata ad everſionem ſui generis potenter affuerit, ſcelerati ſanguinis pœnâ gloriosè exactâ.

Factiones duæ per Hetruriam.
1. Fautrix Pontificum.
2. Imperatorio nomini addicta.
Studia partium magnarum calamitatum initia fuerunt.
Federicus Secundus.
Federici ſecundi origo.
Federicus. 33. an. regnavit. Honorium. Gregorium. Innocentium Pontifices
Federicus. ex filiis ſuis longam ſucceſſionem parare conſtituit.
Federici Secundi geſta.
* favebant. MS. Pal.
Federicus rebellantia obſedit loca.
* modo. MS. Pal.
Federici interitus.

HISTORIARUM FLOREN-TINARUM,

LIBER SECUNDUS.

PErvagatiorē nobis hiſtoriā ſuperioris libri neceſſitas fecit. Nā neq; tantū opus aggreſſos originē urbis indictā illibatāq; prætertre fas putavimus, neq; poſt illā enarratā ſtatim, ſine aliquo nexu rerū, ad propria fuit tēpora ſiccis, ut ita dixerim, pedibus transeundū. Itaq; brevi diſcurſu longa pervagati tēpora, quæcūq; ad notitiā dicendorū neceſſaria fuerūt, quaſi argumentū pertexentes, uno in libro collegimus, ut neq; civitatū Hetruſcarū initia atq; progreſſus; neq; imperii Romani declinatio, atq; diviſio; neq; hæc ipſa, quæ mox omnia quaſſārunt, ſtudia partiū factionesq;, unde ortum augmentumque habuerint ignota eſſent: Jam verò non curſu, ſed inceſſu erit utendum.

Florentinus populus gubernacula rerum capeſſere perrexit.

Poſt Federici obitū cujus de nefando ſcelere ſuprà diximus, Florētinus Populus jā pridē illorū, qui Remp. occuparant, ſuperbiā ſævitiāq; exoſus, capeſſere gubernacula rerū, ac tueri libertatē, perrexit, civitatēq; totā, omnēq; ejus ſtatū populari arbitrio continere. Eā de cauſā robuſtè inſurgens, domiq; & foris multa duxerat providendū. Domi quidē, reductā nobilitatis eā parte, quæ dudū ſub Federico exulatat, & beneficio ſibi illā cōjunxit, & partē huic adverſā, ꝑ hujus reductionē, reddidit imbecillā. Reip. verò gubernandæ duodecim viros, ſuffragio populi creatos, præfecit, quos ab honoris* antecellēriā, vulgari quidem nomine, Antianos dixere. Urbe autē totā in ſex regiones diviſa, earū ex ſingulis magiſtratus ſumebantur, ac cætera omnia Reip. munera. Multitudinē verò urbanā, ꝑ eaſdē regiones, ſub vexillis deſcripſit, ut eſſet ſimul domi præſidiū, ſi quid contrà nobilitas moliretur, ſimiliq; militiæ, cùm bellū poſceret, deſignatus exercitus. Ab his initiis profectū, mirabile dictu eſt, quantum adoleverit Populi robur. Homines enim, qui dudū aut Principibus, aut eorū fautoribus,* ut verè dixerim, inſervierāt, guſtatā libertatis dulcedine, cùm Populus jā ipſe Dominus Auctorq; honoris eſſet, totis ſe viribus attollebant, quo dignitatem inter ſuos mererētur. Igitur domi cōſiliū & induſtria: foris autē arma fortitudoq; valebāt.

** ad honoris antecellentiâ MS. Pal.*
Antiani.
Florentia in ſex regiones diviſa fuit.
Populi Florentini robur adolevit.
** Fautoribus MS. Pal.*

Prima Populi Florentini expeditio adverſus Piſtorienſes.
Piſtorienſium eadem conditio qua Florentinorum.
Corradus Federici filius.
Exercitus cur ductus ſit in Piſtorienſes.

Prima hujus Populi, poſt libertatem receptam, expeditio ſuſcepta eſt adverſus Piſtorienſes: nec ea quidē ambitione, vel dominādi cupiditate; ſed providā curā libertatis retinēdæ. Piſtorienſiū enim, per ſuperiora jā inde tēpora, eadē quæ Florentinorū conditio fuerat. Imperatorii nēpe fautores nominis, adverſarios pepulerāt: ipſi dominabātur, neq; per mortē Federici ſtatū mutaverāt. Vulgabat verò tunc fama, Corradū Federici Filiū, ſuſcepto Imperatoris nomine, magnas in Germania copias paraviſſe; Italiā regnūq; paternū haud dubiè petiturū. Ad hujus igitur rei famā excitus Florētinus populus, civitatē tā propinquā durare in partib⁹ ſibi periculoſū arbitratus, reducere Piſtorienſiū exules, ꝑ factionē dudū pulſos, populūq; ac libertatē in ea quoq; urbe aſſerere cōſtituit. Hac de cauſa in Piſtorienſes exercitus ductus eſt, multū admodū reclamāte eā civiū parte, quæ fautrix Imperii habebatur. Quin etiā cùm perſtaret in ꝓpoſito Populus, armaq; expediret, ſigna publica efferret, pleriq; Principes ejus factionis ſeq recuſarūt. Sed nihilo magis ob eā rē profectio retardata eſt. Ingreſſi Piſtorienſiū fines, cùm obviā fuiſſet hoſtis, pugnā cōſeruerūt, in qua uſq; adeò ſuperior virtute & audaciā Florētinus fuit, ut ꝓfligatos Piſtorienſes magnā cū ſtrage urbem ad uſq; præcipites ageret. Mœnia, finē inſequēdi fecēre. Ab hac victoria elat⁹ Populus cū in urbē rediſſet, cives, qui ſequi publica ſigna recuſarāt, verbis minisq; exagitatos, abire in exiliū cōpulit. Hi ad Senenſes Piſanosq; ob partiū ſtudia cōfugientes, illorū ſublevatis opib⁹, bellū Florētiæ intulerūt. Ex hoc jā Florētinus Populus adverſā Imperio factionē palā adſciſcere viſus eſt, & ad favorē ejus planè reſpicere.

Victoria Florentinorum.

Bellum Florentia illatum ab Exulibus.

Per idem ferè tempus Aretinis, qui dudum ſub Federico pulſi exulabant, præbita auxilia ſunt, quò in urbem regrederentur. Cōvenerāt enim illi magnā multitudine apud Rondinem caſtellum Aretini agri, bellūq; Aretio tumultuoſius inferebant, * itaq; eādem ratione fovendos civitas duxit, quā exules Piſtorienſes. Quatuor prætere a populi eodem anno in ſocietatem aſſumpti. Lucenſes & Miniatenſes odio Piſanorū, Urbevetani & Alcinates, q Senēſib⁹ adverſabātur. Cū enim Piſani & Senēſes exulibus faverent: auxiliaq; ſubmitterent, pari verſurā illorū inimicos fovere viſū eſt.

** inſerto MS. Pal.*
Lucenſes.
Miniatenſes.
Urbevetani.
Alcinates in ſocietatē aſſumūtur
Montarea caſtellum.
Hoſtes fugati in Mugellano agro.

Poſt hæc eodē anno bis exercitus eductus, primùm in Mugellanū agrū, cùm exulū fautores Acclanicū magnis copiis obſeſſuri adventaſſent: ſecundò ad Montareā, quo ex caſtello nuper occupato exules bellum tumultuoſius ciebant. Utroq; in loco proſperè geſta res, diſpari tamen facilitate. Nam in Mugellano quidē confeſtim fuſæ fugatæq; ſunt hoſtiū copiæ: Mantarea verò per mediā hiemē durā atq; aſperā obſidio-

Digitized by Google

ne domita, fruſtra conantibus reliquis exulũ obſeſſis auxiliũ ferre. Captũ denique id caſtellum ad ſolum diruitur.

Montarea capitur & diruitur.

Eadem anno ſocietas inita eſt cum Genuenſibus adverſum Piſanos, ac magno elatoq; animo bellũ undiquaq; ſuſceptũ. Hæc ferè priori anno digna memoratu geſta.

Proximâ dehinc æſtate in Piſtorienſes, exercitus reductus, cùm hoſtes ſuperiori prælio fracti ſeſe mœnibus continerent, vaſtato circa urbem agro ad Titianum conſedit. Id caſtellũ quia munitiſſimum erat, aliquot dies obſidionẽ pertulit, nec priùs, quàm vi machinarum domitum, in poteſtatem pervenit: Florentino ad Titianum ſedente, Piſani cum exercitu adverſum Lucenſes congreſſi, prælium non procul Toporio commiſerunt. In eo prælio fracti Lucenſes, fugatiq; ſunt, magnaque eorum multitudo à victoribus capta trahebatur. Quod poſtq; in Florentino exercitu auditum eſt, ſociorum dolentes caſum, movere illico ſigna, ac ſuccurrere perditis rebus ſtatuerunt. Profecti igitur, rapto agmine, victrices Piſanorum copias ad Heram fluvium conſequuntur. Ibi ſiſtere hoſtem ac pugnare invitum compellunt. Raro unquã atrocius, quàm eâ die pugnatum tradunt, cùm & Piſanus recenti victoriâ ſuperbus fortiter dimicaret: & Florentinus odio doloreq; incenſus obſtinatiſſimè niteretur. Poſt longum certamen ſuperati ad extremum Piſani terga verterunt, quos profligatos palanteſq; ſecuti victores magnã cædem edidêre: Captivorum ad tria millia cum pleriſq; ſignis militaribus relata ſunt: Fuitque ingentis ſolatii loco, quòd Lucenſes captivi, qui modò trahebantur exemti vinculis, multos Piſanorum ipſi ceperunt, ac verſâ fortunâ vinctos traxerunt.

Florent. exercitus in Piſtorienſes reducitur.
Titianum caſtellum.
Lucenſes fracti & fugati ſunt à Piſanis.
Hera fluvius.
Pugna inter Piſanos & Florentinos.
Piſani à Florentinis ſuperantur.

Per hæc ipſa fermè tempora exules Florentini duce Guidone comite, cui Novello cognomentum fuit, Fighinum ingreſſi bellum inde tumultuoſius inferebant. Quare paulò poſt reductas ex agro Piſano copias, alia rurſus expeditio ſubitanea indicitur: Profectiq; equites pediteſq; urbani ad Fighinum caſtra poſuêre. In eo obſidendo, cùm apparatus majores fierent (erat enim id opidum per ea tempora inprimis nobile) orta pacis mentio eſt, demumq; recepta his fermè conditionibus: ut exulibus reditus in urbem eſſet, utq; Novello abducere militem ſine fraude liceret. Ea fide ſervata ſunt: receptum tamen opidum à Florentinis illicò everſum: opidaniq; ipſi magna ex parte Florentiam traducti, hiſq; locus in urbe ad inhabitandum datus, nec multò pòſt in partem Reip. æquâ cum aliis civibus conditione recepti.

Dux Guido Comes, cognomento Novellus.
Fighinenſe bellũ.
Fighinum opidũ nobile.

Confecto Fighinenſi bello, antequam reducerentur copiæ, Alcinatibus opẽ ferre placuit. Hi enim ſocii jam pridem à Senenſibus obſidione preſſi, extremo in diſcrimine verſabantur. Itaq; Fighino profecti per Aretinum agrum ad hoſtem duxêre. Pugna ingens commiſſa eſt non longè ab opido, ſuperatiq; in ea pugna Senenſes, magnâ ſuorum clade terga dare, ac obſidionẽ ſolvere coacti ſunt. Ita liberatis periculo ſociis, exercitus præclaris rebus unâ æſtate locis pluribus geſtis, in urbẽ rediit.

Florentini opem ferunt Alcinatibus.
Pugna ingens inter Florentinos & Senenſes.
Senenſes ſuperantur.

Hoc igitur victoriarũ ſucceſſu elatus Populus, ut primũ ver advenit, magnis rurſum copiis egreſſus Piſtoriũ circum ſedit. Piſtorienſes verò, cùm neq; in ſe quicquam ſpei, nec in amicis ſupereſſet, ne ad extremã dimicationẽ perducerentur, cedere tãdẽ Florentinorũ voluntati ſtatuerunt. Ejus rei cauſa legatus cum poteſtate publicâ miſſus eſt, Ildebrandinus Ottoboni filius, vir per ea tẽpora magnæ in Rep. autoritatis, cumq; eo Juriſperiti duo ad formulã concipiendã. Hi pacem Piſtorienſibus his conditionibus permiſere; ut fœdus & amicitia poſt hàc Florentino Piſtorienſiq; perpetua foret, exules omnes Piſtorienſes in urbem reciperent, bona reſtituerent, bellum inferrent omnibus, qui Florentini nominis hoſtes eſſent, præterquam adverſum Piſanos & Senenſes, captivi omnes utrinque dimitterentur.

Florentini Piſtorium circumſident.
Ildebrandinus Ottoboni filius.
Pax cum Piſtorienſibus.

Poſt hæc rurſus Alcinũ copiæ reductæ, & commeatus eò delatus, quò ſocii bello preſſi aſſiduo ſuſtentarentur. Hæ commeatu expoſito cùm expeditæ redirent, aliquot hoſtium caſtellis in via expugnatis, ditatæ prædâ, in urbem rediêre. Et jam fervebant animi majora in dies capeſſere. Itaque ſecuta mox æſtate, quanto nunquàm prius apparatu in Senenſes proficiſcuntur. Cùm omnia latè vaſtarent, caſtellaq; urbi finitima expugnate adorirentur, conteriti Senenſes, pacem quæſiverunt, quæ haud cunctanter illis data eſt. In ea ita cõvenit, ut Senenſes poſthæc Alcinatib' bellũ ne inferrent, neve hoſtibus Florẽtini populi ſociorũvè faverent. Inde Bonitiũ copiæ traductæ. Id opidum ſine ulla mora Florentinis deditur. Poſt hæc in Volaterranos tranſitum eſt, quæ civitas non ſatis pacata Florentino nomini credebatur. Et favìſſe quondam Piſanis cæteriſq; hoſtibus, ac diverſarum partium homines in ea tunc urbe prævalere conſtabat. Eò igitur cùm perventũ eſſet, quãq; montis altitudo opidiq; conſpecta omnem expugnationis adimebat ſpem, aſcendere tamen placuit, & quàm proximè urbi ſigna oſtendere. Id cùm factũ eſſet, ac diffuſus miles popula-

Alcinum.
Bonitium Florentinis deditur.
Volaterra [illegible]tur.

Volaterrani Florentinos invadunt.

retur, Volaterrani magnâ multitudine ab opido irruentes, repentino impetu Florẽtinos invaſere. Adjuvabat terrorum natura ipſa loci. Declivis enim præcepsq; ab opido deſcenſus eſt, facilisq; telorũ de ſuperiori parte conjectus, ut primo ſtatim impetu coacti ſint Florentini pedẽ referre. *Sed conſcia virtutis mens, inſignisq; victoriarũ memoria, adverſiſſimis etiã locis ſuperare hoſtẽ in animũ induxit.* Itaq; ſeſe invicẽ cohortati, facto globo, ſurſũ verſus ſigna intulerunt. Volaterrani, utpote qui neq; Duce certo, neq; ordine ullo, ſed ut quenq; tulerat caſus, in hoſtẽ deſcenderant, ubi contrà, quàm rati fuerant, dirigi in ſe aciẽ ac ſigna inferri viderunt, parumper tolerantes præliũ, referre primò pedẽ, mox effuſo protinus curſu ad opidũ refugere. Quos inſecuti victores, uſq; ad portas, ceciderunt terga. In ipſis verò portarũ anguſtiis maximè tumultuatũ eſt, conantibus aliis ſuper alios quàm primùm irrumpere. Tantaq; fuit trepidatio, ut deſertã omni præſidio portã mixti, ſimul victi victoresq; intrarent. Anteſignani ad portam ſubſiſtentes, grave agmẽ expectarunt, quod poſtquã advenit, ſigna illata ſunt, & intra urbẽ penetratum. Nulla poſt hæc fuit dimicatio, Volaterrani enim, ubi captã viderunt urbẽ, abjectis ſupplices armis ad placandã victoris irâ cõvertuntur. Matres familiàs paſſis crinibus, ſacerdotes veneranda manibus ſacra præferentes, miſericordiã implorabant: Haberent, quando ſuperi ita voluiſſent, urbis dominatũ, civibus & innocenti parcerent turbæ; culpâ factũ eſſe paucorum, quod alienas ab utilitate ſua partes Volaterrani ſuſcepiſſẽt, in auctores modò culpæ recidere pœnã oportere. Ea dicentibus haud difficile fuit veniã impetrare. Neq; ſceleris enim, neq; acerbitatis quicq; Volaterrani admiſerant, partiũ modò ſtudia agebantur, eaq; mens civitatis ab initio fuerat, ut reductos mallet, quàm perditos Volaterranos. Itaq; nemo poſt ingreſſum violatus eſt, nemini bona ablata, pauci modò Principes factionis in exilium acti, formaq; Reip. conſtituta. Ad ea conficienda aliquot dies abſumti.

Volaterrani ſuperantur.

Bellum cum Piſanis.

Piſani pacem poſcunt.

Poſt hæc in Piſanos copiæ traductæ ſunt. Piſani tanto Florentinorum ſucceſſu, pugnæ fortunã minimè experiundã rati, ſeſe mœnibus continebant, miſſisq; in caſtra oratoribus, pacem & ipſi popoſcerunt. Dictæ conditiones duræ quidẽ, multaq; per eam pacem Piſanis ademta, obſidesque ob ea implenda ſuſcepti.

Annus Victoriarum.

Hæc permulta quidem, & egregia, mirabili felicitate unâ æſtate à Florentino populo geſta ſunt, adeoq; proſper fuit omnium cæptorum curſus, ut is fuerit annus victoriarum nuncupatus. Ex Piſano demum agro læta plaudentiaq; agmina triumphantium more, domum redierunt.

Ædes publicæ Florentiæ ædificantur.

Roſtra & iudicia conſtituũtur.

Eodẽ anno creſcente Populi autoritate, ædes publicas, ubi nunc prætoriũ eſt, ædificare placuit. Cujus rei cauſâ, cum à locorum Dominis factâ redemptione, ſolum publicũ effeciſſent, ædes præſtanti magnificentiâ fundaverunt, ac roſtra & judicia in his conſtituerunt, cùm ante id tempus Præſides domibus ferè privatis uti conſueviſſent: conſilia verò populi per templa agitarentur. Ita & foris & domi eo anno Populi majeſtas exaltata eſt.

Equites quingenti mittuntur Urbevetanis.

Guido cognomẽto Guerra.

Altero abhinc anno, cùm deeſſet belli materia domi, Urbevetanis poſtulantibus miſſi equites quingenti. Hi cùm forte Aretiũ perveniſſent, Aretini Guelfarũ partiũ (jã enim ꝑ favorẽ Florẽtini Populi in urbẽ redierãt) equitatus præſentiâ ſublevati, raptis confeſtim armis diverſæ factionis homines, qui per Federici tẽpora rẽp. gubernabãt, urbe pepulerunt. Creditũ eſt, Guidonẽ cognomẽto Guerra, (is enim præfectus equites ductabat) autorẽ adhortatoremque pellendi fuiſſe. Et ſubmiſſa ab eo invadentibus auxilia, & formidinem illatam adverſariis, palàm conſtabat. Eâ re Florentiæ cognitâ, etſi non ingratum erat, illarum partiũ homines pulſos eſſe: tamen verebantur, ne id civitatis conſilio contra fidem machinatum crederetur. Erat verò periculũ, quoniã & Piſtorii & Volaterris eadem quoq; factio Florentinorũ præſidiis ſuſtentabatur, ne in ſuſpicionẽ verſa cuncta, turbaret. Quo circa rem corrigendã rati, indicto exercitu in Aretinos egrediuntur. Cùm ad urbem perveniſſent, partim terrendo, partim cohortando effecerunt, ut pulſi Aretio cives ab illis ipſis, qui pepulerant, reciperentur. Ita pacatis rebus fœdus cum Aretinis renovatũ eſt, & ſocietas in quinquenniũ inita, idq; in fœdere aſſcriptũ, ut Aretini magiſtratũ, qui peregrinus eligi conſueverat, de Florentinis in triennium ſuſciperent: quod ea de cauſa tunc proviſum eſt, quò concordia civium ſervaretur, & quæ redierat factio, ſub tutela magiſtratus, ſecura perſtaret. Suſceptus eſt autem primus Florentinorum ab Aretinis Teglarius Aldobrandini filius Adimar eques Florentinus.

Fœdus cum Aretinis renovatur in quinquenniũ.

Teglarius Aldobrandini filius Adimar eques Florentinus.

Fœdus cum Senenſibus renovatur.

Eodẽ anno fœdus cum Senenſibus renovatum eſt, legati verò admiſſi Otto Alto-

Digitized by Google

vita, & Jacobus Ceretanus. In eo fœdere multa ultro citroque conventa fuêre, & illud inprimis, ne Florentinus Senenſiũ, neve Senenſis Florentinorum exules reciperent, néve faverent, &, ſi poſtulatum fuit ab alterutrâ civitate, expellerentur. Subſidia invicem exhiberent ad ea, quæ quoquo modo poſſeſſa forent, retinenda. Ictum eſt hoc fœdus apud Donatianum, opidum, legatiq; Senenſiũ icerunt, Provincianus Ildobrandi filius, Salvanus, & Berengarius Senenſis. Ita quietis pacatisq; rebus optimâ inde ſpe diſceſſum eſt.

Ottoo Altovita. Iacobus Ceretanus Legati.
Provincianus Ildobrandi filius. Salvanus. Berengarius.

Per hæc ipſa tempora, cum viderentur omnia pacata, maximaque Florentino populo ex rebus geſtis autoritas acceſſiſſet, nova rurſus turbationũ fomenta in Apulia oriuntur. Federico enim ſuperſtites filii duo fuerant, Corradus legitimis ex nuptiis, & Manfredus ex concubina, matre cæterũ admodũ nobili. Hunc, quia ingenio acri, & formâ cõſpicuus erat, ac liberalibus ſtudiis ingenuè eruditus, favor hominũ plurimus ſequebatur, vivensq; Federicus in honore habuit, & moriens Tarẽtinorũ Principẽ illũ reliquit. Ad Corradũ verò Regni & potentiæ omnis pertinebat ſucceſſio. Is igitur nõ multò poſt obitũ Federici ex Germania movens, cùm ſuperatis Alpibus in Venetos deſcendiſſet, per Adriaticũ mare in Apuliã tranſiit. Ibi cùm Regnũ aliquod tẽpus adminiſtraſſet, in ægritudinẽ incidit adversã, quã dũ curatur, veneno extinctus creditur, medico ejus à Manfredo fratre corrupto. Succeſſorẽ ſibi Corrad⁹ Corradinũ filiũ, tunc admodùm puerũ ſub tutela matris in Germania degentẽ, teſtamento reliquit. Et quia ſuſpectũ habebat Manfredi animũ, curã tuendi adminiſtrandiq; Regni propinquis uxoris, quos ſecũ è Germania duxerat, quoad filius adoleſceret, demãdavit. Horũ in manibus arces, armaq; ac poteſtatẽ ſummã in Regno reliquit. Quæ cùm intueretur Manfredus, quoniã hæc omnia contra ſe proviſa intelligebat, cõfeſtim ad ingenium verſus, Innocentio Pontifici Romano, qui quondã Federici, poſtea Corradi perſecutione exagitatus fuerat, reconciliatus eſt, partesq; Romanæ ſedis præ ſe ferens, adeo gratã operã Pontifici exhibuit, ut nõ ſolũ in Principatu à patre ſuſcepto cõfirmaretur, verùm etiã aliis titulis dignitatibusq; augeretur. Pontifex deniq; ipſe Manfredi favore ſublevatus, fines Regni intrare auſus eſt, breviq; dejectis Corradini tutoribus, cuncta in ſuum nutum poteſtatemque recepit.

Nova turbationũ fomenta oriuntur.
Federici filii duo, Corradus & Manfredus.
Manfredus Tarentinorum Princeps.
Corradus Regni ſucceſſor.
Corradus veneno extinguitur.
Corradinus ſucceſſor & filius Corradi.
Innocentius Pontif. Romanus.
Manfredus à Pontifice in Principatu à patre ſuſcepto confirmatur.
Pontifex Corradini Tutores dejecit.

Cæterùm haud multò pòſt Mãfredus obortis adverſũ Pontificẽ diſcordiis, ac manifeſtè diſſentiens Luceriæ copias parare, ac bellũ movere, cõſtituit. Nec Pontifex ipſe ſegnis militẽ contrahere, & conatũ omnẽ adhibere pergebat. Inter hunc apparatũ belli Innocentius Neapoli moritur. Quam veluti oblatã ſibi fortunæ beneficio facultatem arripiens Manfredus, ita per vacationẽ Romanæ ſedis vires extendit, ut creatus mox Alexander Pontifex, diffiſus Regni negotiis, excederet finibus, ac ſe in Ananiam cum omni Curialium turbâ reciperet. Miſſus autem adverſus Manfredũ legatus, Octavianus, Romanæ eccleſiæ Cardinalis, quanquam prævalidis copiis, inſigniq; omniũ rerum apparatu; uſq; adeo tamen inferior bello fuit, ut magnã de ſe apud multos ſuſpicionẽ relinqueret, ne ſtudio partiũ quo ex genere inficiebatur (erat enim Ubaldinæ gentis) Manfredo faveret. Deniq; ſub hoc legato, ſive ſponte ſuâ cedente, ſive per vim pulſo, pleraſq; Regni partes Mãfredus occupavit, potenſq; inde factus, ſuo jam nomine regnare incepit. Hujus igitur ſucceſſũ dejectionemq; Pontificis, Piſani Senenſeſq;, ac cæteri ejus per Hetruriã factionis, adeò lætis percipiebant animis, ut præ gaudio exultare triumphareq; viderentur, impetumque ſuſciperent rerum novandarum.

Luceria.
Innocentius Pap. moritur.
Alexander Pontifex creatur.
Octavianus Cardinalis.
Manfredus pleraſq; Regni partes occupat.

Quare ſequentis anni initio Piſani, ſpreto fœdere cum Florẽtinis, ſociiſq; nuper icto, in agrũ Lucenſẽ intulerunt arma, lateq; circa Auſerim fluvium omnia popularũt, caſtella etiã quædã expugnare adorti ſunt. Ad hujus rei nunciũ, Florẽtini Lucẽſeſq; in armis fuerunt, cõjunctiſq; unà copiis ad hoſtẽ profecti, ſignis collatis dimicãtunt. Prælium atrox fuit: ſed tandẽ impares viribus Piſani in fugã vertuntur. Capti ex his ad tria millia, cæſi autẽ permulti, multi etiã dum fugerent, vorticibus amnis abſorpti periêre. Victores, trajecto Auſeri, Piſis copias admoverunt, omniaq; circa urbẽ ferro igneq; vaſtantes ad iniquiſſimã Piſanos * cõpulerunt pacẽ. Supra illa, quæ in priore fœdere cõvenerãt, Matronæ opidũ, cũ libero maris litore, aliaq; cõplura caſtella, multumq; agri, dimittere coacti ſunt, & immunitatẽ Florentinis permittere. Illud præterea victis expreſſum, ut ponderibus & menſuris, Florentino more, Piſani uterẽtur. Per hũc modũ immaturus Piſanorũ impetus tunc repreſſus eſt. Fama tamen Man-

Piſani, fœdus cũ Florentinis ictũ, ſpernunt.
Anſeris fluvius.
Piſani à Florentinis & Lucenſib. in fugam vertũtur.
Piſani ad iniquiſſimam pacẽ compelluntur.
** Commoverunt Pal. MS.*
Matrona opidũ, Piſanorũ impetus reprimitur.

men Manfredi indies creſcebat, multaque Senenſes moliri machinarique ferebantur. Qui rumor cùm increbreſceret, timentes Florentini, ne Bonitium ab ſe deficeret, præſertim cùm incolæ ejus opidi partes omnino diverſas præ ſe ferrent, ſubitaneo profecti milite, nullo tale aliquid ſuſpicante, Bonitium occupârunt, & parte murorum dejectâ, in poteſtatem continuerunt.

Bonitium occupârunt Florentini.

Per hæc ipſa ferè tempora Aretini ob eaſdē ſuſpiciones commodi, arma corripuerunt, egreſſiq; omnibus copiis Cortonā urbem finitimam, quæ per ſucceſſum Manfredi minimè quietura credebatur, expugnare adoriuntur. Urbs erat arduo ſitū & defenſorum plena: ſed tantus fuit impetus, tamq; audax Aretinorū cæptum, ut pluribus ſimul locis intra mænia penitraretur. Inde pugna per urbem commiſsâ, facilè Cortonenſes ſuperati ſunt, abjectisq; tandem armis, ſeſe victoribus permiſere. Aretini arcē in ſummâ urbis parte munitā præſidiis confirmarunt: mænia verò ab inferiori parte urbis quibuſdam locis diruerunt, quò rebellandi Cortonenſibus adimerent poteſtatem.

Cortona urbs.

Cortonenſes ab Aretinis ſuperantur.

Dum hæc à Florentinis ſociiſque adverſus ſuſpiciones Manfredi providentur, inteſtina intra urbem oritur ſeditio. Ea ſiquidem pars nobilitatis, quæ dudum ſub Federico plurimum potuerat, ſucceſſu Manfredi elata, ſeſe in ſpem attollere cœpit, jam pridem inſenſa populo, cùm ob partium ſtudia, tùm quod reductis adverſariis ſe ab Rep. excluſam dolebat. Igitur indignatione ſaucia, & in ſpem elata compellare invicem, cohortari, & liberius commonere, ne ea contumelia diutius perferatur, adſciſcere homines ejus factionis, captare rumores, ac ſe indies magis erigere. Hæc cùm ſuſpicionem populi augerent, magiſtratus ex eo numero Principes quoſdam ad ſe vocat, qui præcepta contemnentes, ſe ſuis ædibus continebant, nec magiſtratui parebant vocati. Præcipui inter hos erant Uberti, genus per ea tēpora longè potentiſſimum. Id cùm maximè contumax appareret, populares, quorū in manibus Reſp. erat, adjunctâ ſibi nobilitatis eâ parte, quæ ſuo dudum beneficio in urbem redierant, corripiunt arma, ac facto agmine, ad expugnandas Ubertorū ædes ire pergunt. Illi jam pridem hæc prævidentes, ſeſe ad prælium comparaverāt, non ſolum armatorum globo, verùm etiam ſaxis è ſuperioribus ædium locis impetum populi arcentes. Sed adverſus tantam multitudinem fruſtra conati, demum franguntur: cæſi alii, alii pulſi, nonnulli etiam capti, de quibus eſt poſtea ſupplicium ſumtum. Ex hoc cæterarum quoque familiarum homines illius factionis, populares etiam permulti, ſtudio diverſarum partium infecti, omnes denique hi, qui aut ipſi, aut ſui, multum ſub Federico potuerant urbe tunc ejecti, Senas, quòd per id tempus ea civitas partium illarum fautrix habebatur, populariter confugerunt. Non erat dubium, quin Senenſibus ex fœdere, quod triennio ante cum Florentinis ictum fuerat, recipere exules non liceret. Itaque civitas illa expectatione aliquandiu ſuſpenſa, ubi Senas conveniſſe audivit, oratores mittere ſtatuit, qui injuriam quererentur. Miſſi ſunt autem Florentini populi nomine oratores duo, Albicius Trinciavelliæ, Jacobus Gerardi, & quidem ambo peritiam juris habentes, ut, ſi de fœdere diſceptandum foret, jus civitatis tutarentur. Hi Senas profecti, cùm magiſtratum populumque adiiſſent, & fœdus recitârunt, & poſtulârunt, ut exules ſecundum conventa pellerentur. Senenſes verò cùm gratiâ exulum, qui ambiendo rogandoq; multos flectebant, tùm Manfredi fiduciâ reperire exceptiones ac demorari exules, trahere deniq; rem in longū pergebant. Quod poſtquā à Florentinis ſatis animadverſū eſt, bellū illis apertè indicitur. At exules, quādo totā belli molē ſuā causâ imminere cernebant, ad Manfredū cōverſi, reſpicere Regē, atq; opem illius expoſcere. Quod etſi * ante per literas crebrò fecerant: tamē quia parū momenti in literis ſuſpicabantur fore, legatos mittere placuit. Princeps ejus legationis fuiſſe traditur, eques Florentinus apprimè nobilis, ex familia Ubertorū, Farinatæ illi nomē erat: item alii ex ſingulis familiis, pro ut quiſq; vel auctoritate, vel rerū gerendarū experientia præſtabat, ad id munus delecti, hiſque communi omniū exulum cōſenſu permiſſum, ut, quæ in rem putarent fore, ea dicendā apud Regem, agendaq; curarent. Profecti ergo magnis itineribus, ad ea loca, in quibus Rex erat, perveniunt: ibi poſtquàm dicendi tempus illis datum, in hunc modum locutos accepi: Si nulla tecum, præſtantiſſime Rex, neque voluntatis, neque obſequii nobis anteiret conjunctio, ſed nunc primùm novi & inauditi homines auxiliū peteremus, dicendū, ut videtur, nobis foret, quid utilitatis eſſet ad te, poſtulata ſi annueres, perventurū. Nos &

Seditio Florentiæ oritur inteſtina.

Ubertorum genus potentiſſimum.

Ubertorum ædes franguntur.

Exules à Senenſibus recipiuntur.

Albicius Trinciavellia. Iacobus Gerardi.

A Florentinis bellum Senenſib. indicitur, ob receptionem exulum.

* apertè MS. Pal.

Farinata eques Florentinus.

Legatorum oratio ad Regem.

Nos & paternâ conjunctione tecum aſtricti, ac toto animo domui tuæ dediti, Regium limen advenimus, jam pridē noti, fidiſſimi, nunc etiam, quando fortuna ita vult, ejecti & ſupplices. Ratio tamē amicitiæ minus valeat, niſi utilitatē manifeſtiſſimam oſtendamus. Duas eſſe per Italiam factiones, alteram paterno nomini, totique generi tuo infenſam, inimicamque: alteram amicam, & totâ mente addictam, quis ignorat? Nec illud ſanè obſcurum, qualis per hoc tempus ſit earum partium conditio. Profectò ſi diſſimulare non oportet, nec noſmet ipſos blandiendo decipere, poſt Divi Federici, quam nunquam ſine lacrimis recordabimur, mortem, & Pontificis in Italiam reditum, inimicorum animi ſupra modum crevēre. Non eſſe jam contentos rediiſſe in urbes, ſed ad vindictam erigi, & nova moliri, ejectio noſtra documento eſſe poteſt. Pontificem Romanum habent fautorem: Hujus illi præſidio ſuperbiunt, ad hunc, tanquam ad aliquod columen, omnia eorum conſilia factaque referuntur. Tu, quali in te animo Pontifex ſit, paulò ante expertus cognoſcis: Tuum Regnum ſuum eſſe contendit: *Ubi autem de Regno contentio eſt, ibi fida pax eſſe nunquam poteſt.* Ipſi certè adverſarii (quod exploratum certumque habemus) te ac domum tuam capitali odio perſequuntur, quid à Proavo, quid ab Avo, quid à Patre denique tuo perpeſſi ſint, meminerunt. Ardet nunc in filium ulciſcendi libido, * nec ſe conſiſtere poſſe arbitrantur, donec progenies veſtra ſin *noſtra MS. Pal.* propinquo conſiſtet. Hos tu ſi creſcere ac dominari, & ſimul te in Italia tutò conſiſtere poſſe, præſertim adverſâ Pontificis voluntate, credis, vehementer erras. In te illi atque in Regnum tuum nunc creſcunt, ubicunque creſcunt, & ubicunque illis reſiſtitur, illic res agitur tua. Noſtris autem (nam id quoque conſiderare dignum) per ſingulas urbes vires non deſunt: ſed perculſi dudum tepent animi, & quodammodo deliteſcunt, nullius, ut ita loquamur, capitis favore calentes. Etenim caput præter te nullum eſt, ad quod reſpicere debeant. Tu dudum in purgando tutandoque Regno tuo occupatus, hoc illis, quod eorum fides & genus tuum polliceri videbatur, præſtare ſuperſediſti. Nunc verò ſummâ tuâ virtute ac felicitate ſuperatis adverſariis, ſtabilitisque Regni negotiis, quoniam domeſticum inteſtinumque incendium extinxiſti, jam impigrè ad vicinum extinguendum concurre, ne forſan neglectum à te, vires aſſumat, ac rurſus in tecta tuâ deferatur. *Levis eſt prudentia, ô Rex, quæ præſentibus tantùm medetur: futura proſpicere, atque jam inde contemplari, ſapientem decet. Nullus enim morbus, poſtquam advenit, ſine corporis detrimento repellitur: At ne adveniat, tutior & ſalubrior proviſio eſt.* Quòd ſi ullo in loco opportuna ſit hæc tua providentia, eam profectò Hetruria Florentiaque expoſtulant: regio & civitas nullo modo abs te negligendæ. Non ſine optima ratione pater tuus, vir ſapientiſſimus, cùm de longa poſſeſſione hujus Regni ad poſteros ſuos tranſmittenda cogitaret, ut in poteſtate haberet Hetruriam, maximo ſemper ſtudio diligentiâque curavit. Videbat enim in hac Pontificum Romanorum cupiditate, totam ferè hujus Regni defenſionem ex Hetruriæ ſtatu pendere: hæc ſiquidem Italiæ pars, urbem Romanam attingens, velut à tergo illi imminet, ut, ſi tecum ſentiat, nullus inde contra te movere ſe poſſit. Florentia autem quaſi Domina quædam Regionis eſt, & quacumque inclinat, magnam ejus partem ſuo velut pondere ſecum rapit: nec Regionem unquam tecum habere videberis, nec illa ipſa, quæ adhuc in partibus durant, conſiſtent, niſi Florentiam habeas: habebis verò, ſi nos tuo beneficio Patriæ reſtituti, in tuo obſequio civitatem tenebimus. Denique nos vetuſti fidique amici, qui nuper in Patria florentes, patri atque domui tuæ per omnia bella obſecuti ſumus, nunc à communibus inimicis ejecti, opem rogamus, ea petentes, quæ tu ratione utilitatis, etiam non petentibus, nobis ultrò afferre deberes.

Hæc cùm dixiſſent, ad pedes Regios ſupplices advolvuntur. Rex aſſurgere juſſos, paucis illos verbis conſolatur, & ſeſe propediem ex conſilio ſuorum ad ea quæ poſtulent, reſponſurum pollicetur. Expectantibus inde legatis, incertum quâ de cauſa, non ſatis ampla ſpe rem in longū protrahebat. Sunt qui putent, Manfredū ſe ac ſua reputan tem, nimiā erga Federicum ac domum ejus affectionē quam in illis cernebat, ſuſpectā habuiſſe. *Manfredus ex concubina genitus.* Nam ipſe ex concubina genitus contra ſuorū voluntatem Regium nomen invaſerat. Nec erat ambiguum, quin inter ipſum & nepotem, cùm ille adoleviſſet, bellum ea de cauſa eſſet futurum, itaq; de vendicanda ſibi adverſa factione ſæpius cogitaſſe: alii longo intra regnum bello fatigatum, cùm

jam quietem amaret, *haud libenti animo res novas capeſſere voluiſſe, qui plerunq; ab incepto longius protrahunt.* Quacunq; tandem ratione id ageret, certè neganti propiorē fuiſſe conſtat. Nec quicquam ad apertam detrectationem magis, quàm verecundia obſtare videbatur.

Manfredi Reſponſio.

Tandē inſtantibus legatis per Præfectum reſpondet: ſe, etſi multis ſimul rebus impediatur, tamen ob veterē amicitiam, alam Germanorum equitum illis ſub vexillo daturum. Quod poſtq̄; legati accepêre, ſeorſim, ut fit, conſultandi gratia in unum coactis, eorum pleriq; auxilii parvitatē, ceu ridiculū, exiſtimātes, abeundum è veſtigio, nec quicquàm ab ingrato Rege ſuſcipiendū cenſebant. At Farinata, quē inter legatos fuiſſe diximus, vir prudens & alti animi, nullū id conſilium eſſe ait, *nuſquā enim indignationi concedendū, ubi utilitas perquiratur.* Det modò, inquit, ſuorū aliquos, & vexillū mittat: Nos profectò in eum locū deducemus, ut Regi, ſi modò ulla regiæ dignitatis tuendæ cura ſit, majora mittere auxilia neceſſitas exprimatur. Traductis celeriter omnibus in hanc ſententiā, læto vultu ſibi, quæ Rex offerret, placere, gratoq; illa animo accipere reſpondent, Regiq; mox ampliſſimis verbis gratias agunt, profectiq; inde cum Germanis equitibus Senas rediêre.

Dum hæc ab exulibus geruntur, Florentini jam parato exercitu fines Senenſium ingreſſi, cuncta populantur, caſtella etiam quædam parum munita ex pugnant. Tandem peragratâ regione, cùm obviam nuſq; prodiret hoſtis, ad ipſa propè Senarū mœnia copiis admotis, caſtra non longè ab urbe poſuerunt.

Florentini Senas obſederunt.

Senenſes, quod neq; conducto milite per id tempus abundabant, neq; ſanè in ipſo populo univerſā pugnæ fortunā experiri ſatis videbatur tutum, ſe mœnibus continebant. Levia duntaxat prælia promtiſſimis utrinq; peditū equitumq; prodeuntibus, inter caſtra & portā, crebrò cōmittebantur. In hunc modū cùm aliquot dies perſtitiſſent, tempus veniſſe rati exules, à quo Regis auxilia periculis objectarent, *invitatos benignè Germanos hilariori convivio largâq; vini copiā, cujus gens appetentiſſima eſt, longè perfundūt.*

Germani appetentiſſimi vini.

Hinc deditâ operâ repentè ad arma decurritur. Exules ipſi in primis armantur, ac magnū aliquid præclarumq; facinus eâ die in hoſtē edi poſſe, pro ſe quisq; jactat. Cōvenerunt omnes ad portam caſtris oppoſitam, quâ mox repentè patefactâ Germani jam, olim calentes, ſuo ipſi agmine, ne expectatis quidem ullis, acerrimè ruunt, delatiq; ferociter in hoſtem, non ſolùm primam ſtationem turbârunt; verùm etiam munimenta caſtrorū transgreſſi, majorem, quàm pro numero, procellā fugamque primo impetu edidêre.

Germanorum improviſa irruptio, & audacia.

Nam & improviſa fuit irruptio, & tantā audaciam non ſine majori conſilio ſuſpicabantur eſſe. Itaq; totis caſtris trepidatum eſt, & fœda quibuſdā locis fuga fieri cœpta. Tandem verò ubi paucitas in medio multorū conſpicua fuit, nec alii eâdem alacritate ſequebantur, converſi in Germanos alii undiq; circumveniunt, alii Senenſibus exulibusq; oppoſiti, quot ſubſequebantur, facilè ad portas repellunt. Sed ex Germanis nemo evaſit: omnes, cùm aliquandiu reſtitiſſent, ad unū oppreſſi ſunt.

Germani omnes ad unum Senis opprimuntur. Vexillum Regis à Florentinis capitur.

Vexillū Regis, quod illi ſecū attulerant, à Florentinis captum pro antiquo gentis odio, & præſentis exultatione victoriæ, omni dedecore afficitur, tractū per contumeliā totis caſtris, & perverſe ſuſpenſum. Morati poſt hæc eodē loco aliquot dies, cùm jam nemo amplius obviā prodiret, Florentiam copias reduxêre.

Exulum & Senenſium altera Legatio ad Manfredum Regem. Iordanus Dux in Hetruriam mittitur.

Eodem anno (nam æſtatis magna pars adhuc ſupererat) exules & Senenſes ad Manfredum legatione iterum miſsâ, caſum Germanorum & contumeliā hoſtium enarrando, animumq; Regis quàm maximè incendendo, majori jam fiduciâ poſtularunt auxilia. Rex, quòd nonnihil dedecoris ſibi inflictum exiſtimabat, & quod ſpes vindictæ celerrima oſtendebatur, Jordanum quendā ex ſuis Ducibus cum magnis equitum copiis in Hetruriam miſit. Horum adventu ſublati Senenſium & exulum animi, quàm maximas item poſſunt, copias parant, Piſanos & alias ſuarū partium civitates auxilia rogant: multi etiam nobiles potentesq; evocantur.

Germani equites convenerunt ad mille quingentos.

Conveniunt omnes copiæ Senis, equites Germani, bellaces viri, ad mille quingentos, peditum ingentes copiæ: præterea Senenſium & exulum Florentinorum, evocatorumque magnus equitum numerus. Hoc apparatu quàm celeriter in diſcrimen pugnæ rem adducere cupiebant, veriti, ne, ſi longius protraheretur bellum, auxilia Regis, quibus tres dumtaxat menſes, nec ultra, commorari in Hetruria præſcriptum erat, re infectâ diſcederent. Itaquè quo maturiùs agant hæc machinantur.

Alcinum opidū à Senenſib. obſidetur.

Opidum eſt Alcinum trans urbem Senas diverſiſſima regione à Florentino agro: id, quod amicum fœderatumque Florentini populi erat, obſidere atq; oppugnare Senenſes parant, publiceq; ad id opidum expeditio indicitur. Hæc eo conſilio fiebant, ut Floren-

ut Florentini procul domo exire, ac in ſociorum periculis auxilium ferre cogerentur. Florentini verò jam inde ab initio hunc apparatum hoſtium intuentes, & ipſi ſe compararant, & ſociis amicisq;, ut præſto forent, edixerant. Quid tamen agendum eſſet, varia inter cives diſceptatio erat: alii exeundum totis copiis, & opem ſociis impigrè ferendum: alii, quoniam paulò ante ad ipſa propè Senarum mœnia exercitũ admoviſſent, ac ſatis eo anno Reip. dignitati factum eſſet, ſubſiſtendum in præſentiâ cenſebant. Ferre autem tàm procul domo auxilium, & ad nutum hoſtis circumagi, periculoſiſſimum arbitrabantur. Ea rurſus ſententia, quemadmodum tutior, ita minus ſpecioſa videbatur: peritis tamen rei militaris magis placebat. At contrà magiſtratus ad exeundum pronior erat. Inclinabat autem ad id conſilium cùm gloriæ cupido, tùm falſa proditionis ſpes. Nam viri quidam fictè compoſiti in ipſa diſceptione rerum ab exulibus ſubmiſſi, quàm occultiſſimè Florentiam profecti, cùm ſe recentes à Senis grandia quædã afferre dixiſſent, cæterùm taciturnitate opus eſſe; tandẽ jurejurando, ne in plures efferant, interpoſito, magiſtratibus pandunt: eſſe complures Senenſes cives, eosq; apptimè nobiles, quibus diſpliceat bellũ, ac diſcordia civitatum. Cæterùm omnem ejus rei culpam penes unum Provincianũ ſalvam exiſtere: eum jam non pro cive ſed pro Domino ſeſe gerere, ac proprio privatoque nutu cuncta móderari, favere exulibus ac bellum nutrire, ut, per eam occaſionem, externis ſeptus auxiliis, dominari civibus poſſit. Ejus intolerabilem arrogantiam cives amplius pati nolle, itaque conjuraſſe contra illum egregios quoſdam, quorum ſigilla ac literas pro fide attuliſſent. Eaque de cauſa miſſos ſe ut edicerent, ſi appropinquent Florentini, & opem ferre velint, ſe arma confeſtim rapturos, ac Provincianum ipſum, exulesque opprimere haud cunctaturos. Fore autem peropportunum patrandæ rei tempus, quòd per ſpeciem opis ferendæ ſociis, quibus obſidio pareretur, citra ullam ſuſpicionem adventare cum exercitu poſſint. Ad hæc cùm pleraque de ſecretiori mente hoſtium, falſa veris miſcentes, protuliſſent, ac ſigilla quædam oſtentaſſent, *homines plebeios, ac bellicarum artium ignaros, quales plerunque in magiſtratu eſſe ſolent*, tantâ ſpe extollunt, ut nec ſaniora quidem conſilia audire vellent, ſed advocatâ protinus concione, exeundum totis copiis, & opitulandum ſociis pronunciarent. Hæc populus multitudoque gratis excipiebat animis: at illuſtres viri, & rei militaris periti, quorum magna tùm copia in civitate erat, ut periculoſam, & inutilem profectionem improbabant. Itaque variè primùm inter ſe de conſilii temeritate conqueſti, tandem una cunctorum ſententia placuit Magiſtratum adire, & quando periculum grandius vertebatur, apertè quid ipſi de tota re ſentirent, expromere. Pro cunctis omnium conſenſu verba fecit Teglarius Aldobrandi filius Adimar, vir diſertus, & magnæ per id tempus auctoritatis: qui cum cœtu nobilium, ubi ad Magiſtratum pervenit, in hunc modum locutus eſt. Ne excuſare quidem libet, nec aut verecundiâ aut ignaviâ deterreri, ſi Patriæ charitate adducti & invocati conſilium exhibemus. Cùm enim vel mortem pro illa ſubeundam leges imperent, quis levitatem pudoris, ſi prodeſſe viderit, extimiſcat? Vobis quoq;, fortiſſimi Præſides, non ingratum eſſe debet, quicquid ſincerâ voluntate affertur. Quippe communis utilitas in medio jacet. *Nemo autem uſq; adeò gnarus rerũ unquã fuit, quin eidẽ longè plura ignota quàm cognita eſſent. Itaq; ſi ædificandũ quid eſt, fabros & architectos: ſi navigandum, gubernatores in conſilium adhibemus: In bello autem tantò diligentius id agendum, quantò periculum in illo vertitur majus. Nempe aliarum rerum omnium leviſſima, ut ita dixerim, jactura eſt; quoniam malefacta tolli emendariq; poſſunt: Belli verò errata, præter æternum dedecus, mortes & vulnera, ac everſiones rerum ſubſequuntur.* Ea malorum extrema nec tolli nec emendari unquam poſſunt. Quò maturius à nobis conſulendum eſt, ac eos, qui hujuſce rei experimentũ quoddam habent, diligentiùs audiendum. Quid ergo! dicet quiſpiam, tu rei militaris peritiam & bellorum artem profiteris? Nihil loquor ipſe de me, quanquam dura temporum conditio, & ejectio quondam familiæ noſtræ, me quoque diutiùs, quàm vellem, arma tractare, ac multa variis in locis experiri coëgerunt. Sed ſunt in hoc cœtu, quem videtis, præſtantiſſimi viri, ab ipſa adoleſcentia in armis verſati. Hos & uſu doctos, & longâ experientiâ callentes, Patriæ charitas impellit, ne in gravi periculo conticeſcant: &, quoniam ſingulos prolixum nimis eſſet, me unum pro univerſis verba facere juſſerunt. Convenêre Senis hoſtiũ copiæ, & Alcinum opidũ obſidere parant: Vos exire totis viribus, & auxiliũ ferre cogitatis. Altus nempè animus &

Plebis Conſilium

Illuſtrium virorum conſilium.

Teglarii Aldobrandini filii Adimaris oratio ad Magiſtratum.

cœptum audax! Nam quid aliud dici poteſt, tam prævalido hoſte circum ſtrepente? ſed videndum eſt. Dicam equidem audacter, quod Patriæ charitas dicendum ſuadet, ne plus audaciæ, quàm prudentiæ id conſilium habeat. Nam ſi abſque profectione illuc veſtra, ſociorum ſalus tuta eſſe non poteſt, nihil novi afferimus. Cedant enim dignitati & fidei pericula noſtra, & pro ſociorum ſalute devoti in prælium ruamus. Sin autem, & opidum illud citra profectionem noſtram ſervari poſſe conſtat, & has urbanas copias abſque magno diſcrimine illuc duci non poſſe: *tutam ſecuritatem periculoſæ ferociæ cenſemus præferendam.* Docebimus autem utrunq;. Obſidere parant ſocios noſtros: Quid, vos ſimul atque circumſteterint captos etiam, putatis? Num mœnia, num aggeres, num foſſas habent? Num in monte conſtituti, ſitu etjam adjuvantur? Et tempus muniendi providendique legitimum habuêre? *Improviſa hæc fortibus viris periculum afferre ſolent, proviſa verò nunquam.* At longâ obſidione macerabuntur! Id profectò, ut nunc ſunt res, fieri non poteſt. Primò enim Germani à Manfredo miſſi, quibus maximè hoſtis fidit, tres duntaxat menſes commorari in Hetruria juſſi ſunt. Hoc enim tempus, ut vulgatum, ſatis & anxiè quidem exules pepigere: ejus jam media fermè pars tranſacta eſt, obſidione nondum cœptâ. Reliquæ verò copiæ deſcendentibus Germanis nunquam manebunt, neque enim tutum illis eſſet, & ſimul hiems aderit, *quæ paratas etiam, ſtructasq; obſidiones frangit.* Quid, ſi vos copias in finib⁹ veſtris, per ea caſtella, quæ proxima ſunt agro hoſtiũ, oſtenderitis? an illos in obſidione permanſuros putatis? ac non potiùs de tutandis ſuis, quàm de oppugnandis alienis cogitaturos? Profectò aut non obſeſſum ibunt, imminentibus copiis noſtris, aut mox irrumpentibus in eorum agrum, revocabuntur. Nec ulla certior, quàm hæc defenſio ſociorum eſſe poteſt. Nam ſi illuc exercitũ ducetis, vobis pariter atque illis incerta pericula imminebunt. Nos quidem non ambigimus, quantum conjecturâ haberi poteſt, quin hoſtes rem in diſcrimen pugnæ adducere quàm maximè cupiant. Stimulat enim pudor ſuperioris offenſæ, & ulciſcendi libido ſollicitat animos, ſimulq; cernunt, niſi priùs quàm Germani à Mãfredo miſſi diſcedant, fortunam pugnæ experiuntur, ſibi poſt hac vincendi ſpem nullam reliquam fore. Ut igitur illis conducit accelerare pugnã: ſic nobis differre. Nam mora illis ſocios, nobis hoſtes detractura probatur. Nec illud ſanè dici poteſt, ut ire * quidem liceat, à pugna verò abſtinere. Si enim in hoſtili fuerimus, nutu illorum pugnandum erit. Quid ergo tu virtuti noſtrorũ diffidis, & Germanos paveſcis? Equidem virtutem noſtrorũ egregiam eſſe ſcio. *& ſimul hoſtes non contemnendos duco. Nam vires adverſariorum in conſilio deprimere, id ſe ipſum decipere eſt.* Verùm communis Mars, & omnis fortuna pugnæ anceps: copiæ hoſtiũ tales, quas nemo ſobrius aſpernetur. Hi & mœnia habebunt, & commeatu abundabunt, & pugnabunt, & quieſcent arbitrio ſuo: Noſtros, & commeatus cura, & impedimentorum labor diſtrahet, non muris cinctos, non parietibus tutos: ſed die noctuq; ad hoſtilẽ impetũ expoſitos; ut etiamſi majori virtute ſint noſtri, tamen rerum ipſarũ iniquitate premantur. An ego igitur uſq; adeò ſtultè audax ſum, ut cùm morã parvi temporis profligaturã hoſtes cernã, malim properando incerta pericula, quàm cunctãdo certã victoriã complecti. Quid ſi, dum apud Alcinũ fuerimus, hoſtis ipſe averſo itinere Florentiã petat? volumus & regionẽ, & urbem illorũ impetu exponere? Ac tunc demum ad vim arcendã redire, cùm populatio agrorum & villarum incendia revocabunt? Enim verò è dignitate Florentini populi fuerit, in agrũ hoſtiũ tranſiiſſe. Satis eſt, arbitror, quòd hac ipſa æſtate illum vaſtavimus, quòd caſtella in eo cepimus, quòd caſtra pænè mœnibus Senarum conjuncta habuimus, quòd paratis ad dimicandũ nobis permultos dies nemo obviam prodierit. *Deniq; ego dignitatẽ in victoriâ maximã pono: Victoriã autem non tam properatio, quàm cunctatio,* nec tàm ager hoſtium, quàm fines noſtri nobis certiſſimam *pollicentur. Malle autem periclitari, quàm vincere dementiſſimum eſt.* Illud præterea me valde terret, quod equidem non ſilebo, vos autem vereor, quemadmodũ accepturi eſtis. Scitis ſtudia partiũ & civiũ veſtrorũ animos, Principes tantùm diverſæ factionis urbe pepulimus, cæteros ejusdem animi intra mœnia ſuſtinemus. Si proficiſci libeat, hos ducetis quæſo, an domi relinquetis? Atqui utrâ in parte majus periculũ ſit, dijudicare nequeo. Relicti enim urbem prodere hoſti poterunt: ductis autẽ non tam pectus, quam terga nobis erunt protegenda. His rationibus adducti, nec exercitũ nunc procul domo ducendũ, nec fortunã pugnæ experiundã cenſemus; ſed armandã juventutem, & per ea loca, quæ proxima

* eo. MS. Pal.

Fortuna pugnæ anceps.

proxima ſunt agro hoſtiũ, oſtendendã, ut ſic vel proficiſci impediſtur ad obſidendũ ſocios, vel profecti per vaſtationem agrorum & pericula ſuarum rerum revocentur.

Teglarius igitur, nobilesq́; viri, qui cum illo erant, ita monuerunt. Magiſtratus autem non æquis auribus hanc orationem excepit, utpote quæ imprudentiam ejus arguere videbatur. Ac ſortè per id tempus Magiſtratum unà cum aliis gerebat, expeditus quidam, vir ferox ac protervus, *quales nonnunquàm immodica libertas ferre ſolet.* Is jam pridem recta monentem vix ſuſtinebat, ac mox, ut finis dicendi ab eo factus, vultu & geſtu majorem in modum commotus: quin tu, inquit, Teglari quæras, num te metus jam nunc fœdarit. Enimvero Magiſtratus non pavorem tuum, ſed dignitatem Florentini populi intuebitur. Tibi, ſi præ metu torpet animus, vacationem militiæ damus. Adhæc Teglarius, nec ſe vacationẽ poſtulare, inquit, nec, ſi ultrò concedatur, eâ uti velle: Se, quæ meliora putaverit, ſincerâ fide, quemadmodũ debuerit, pro Patria, monuiſſe: quacunq; tamen populus iverit, impigrè ſecuturũ. Quin ſe pro certo habere, eum, qui tàm inſolenter verba jactet, nunquàm eò proceſſurum in prælio, quo ipſe procedat. Frementibus dehinc aliis, ac ſententiã defendere parantibus, Magiſtratus mulctam ſtatuit, ſi quis amplius ſuper ea re diſceptaret. Et juvabat ſanè Magiſtratus temeritatẽ Populus ferox, ac multis victoriis ſuperbus, qui non tàm periculis ſociorum anxius, nec ſpe aliquâ oblatâ ductus, quàm ne hoſtem formidare videretur, exire intrepidus, ac ultrò ſe certamini cupiebat offerre. Exploſâ itaq; meliori ſententiâ profectio obſtinatè paratur: Amici certiores facti auxilia rogantur. Illud interim agitatũ, ducerentúrne in arma cives diverſæ factionis, qui in urbe remãſerant, an domi relinquerentur. Tutius viſũ eſt, magnãeorũ partẽ educere, ne relicti occaſionẽ rerum novarum vacua in urbe nanciſcerentur.

Viri ferocis & protervi Reſponſio.

Profectio à Florentinis paratur.

Poſtquàm convenerunt ſocii, & cuncta ad iter parata fuerunt, profecti ab urbe, agrum Senenſem ingrediuntur: ibi Aretinorum copiæ magno equitũ peditumque numero ſeſe illis conjunxerunt. Sed ante quàm domo proficiſcerentur Aretini, cunctos diverſæ factionis homines urbe pepulerunt, ne quid per abſentiã exercitus, moliri poſſent. Illud etiã ab iiſdẽ proviſum eſt, ne, quamdiu exercitus abeſſet, una amplius porta in urbe aperiretur, ex quo conſtat, eos populariter abfuiſſe. Florentini igitur cum Aretinis & Lucenſibus, cæterisq́; ſociis, juxta flumẽ Arbiã, quatuor ferè paſſuũ millibus à Senis, ex ea parte quâ Aretiũ iter eſt, conſederunt, intentis maximè Ducibus, an quisquàm civilis motus ſecundũ traditã ſpem intra urbẽ oriretur. Senenſes primo adventu copias intra mœnia continebant: Mox verò, ut quidã è caſtris ſtudio partiũ ad exules transfugit, atq; illorum hortatu, quo magis acceleretur pugna, in concionẽ ductus, diſcordiã civium trepidationemq́;, ut ab exulibus edoctus erat, cuncta exaugens, nunciavit: cõfeſtim magno ardore ab armatis ſimul inermibusq́; pugna depoſcitur. Cùm ergo ſtatuiſſent fortunã prælii experiri, Jordanus, quẽ à Rege Senas miſſũ oſtendimus (is enim ſummæ rei bellicæ præfectus à Senenſibus erat) clauſis portis, ne quid efferri poſſet, aciẽ intra mœnia ſilentio ſtruxit, ac cætera quæ agenda erant, pro tempore, ſine ullo tumultu præparavit. Ubi verò cuncta ſatis cõpoſita videbantur, nec quicquã præter ſignũ proficiſcendi expectaretur, volens urbanã multitudinẽ, quæ pugnatura erat cohortari, cõvocatã in unũ ſic allocutus eſt: Ardor flagitatæ pugnæ, ô Senenſes! nullâ cohortatione vobis in præliũ ituris opus eſſe oſtendit. Attamen unumquenq; veſtrûm reputare ſecum oportet, quibus de rebus certamẽ ſit hodie futurum: ſic enim & quanta vincendi neceſſitas incumbat vobis intelligetis. Non ſolùm enim de fama & gloria, (*quanquam iſta fortibus viris, vel ipſa quidem per ſe ingentiſſima ſunt*) ſed de patria, de libertate, de conjugibus & liberis veſtris, de bonis deniq; omnibus, utrum veſtra vel in hoſtium poteſtate futura ſint, paulò poſt dimicaturi eſtis. Ea quippe omnia, cùm pugnare cœperitis, in medio jacere campo putandũ eſt: eorũ futura, qui fortiùs vibraverint gladios. Cæterum ſpẽ optimã atq; firmiſſimã debetis concipere. Habetis hoſtes in veſtibulo penè urbis, veſtro potius quàm ſuo cõſilio perductos, de quorũ trepidatione atq; diſcordia modò à transfugis audiviſtis. Eos improvidos, imparatosq́; vobis affatim ſtructis paratisq́;, inſigni, ni fallor, ſtrage occidẽdos tradã. Ite igitur mecũ fauſto pede, atq; uti dignũ eſt, majorib⁹ veſtris, utq; patriæ hujus dulciſſimæ charitas exigit, pugnatote.

Aretini urbe pellunt omnes diverſæ factionis.

Arbia flumen.

Jordanus præfectus rei bellicæ.

Jordani oratio ad Senenſes.

His dictis, aperiri portam jubet. Prima acies Germanorum equitum fuit: his effuſiſſimo curſu in hoſtem deferri, &, quàm tumultuariè poſſent, turbare, præceptum erat. Poſt hos Senenſes equites cum exulibus ſequebantur: Peditum multitu-

Pugna Senenſiũ cum Florentinis & ſociis.

do ſub vexillis, per eminentiora loca, colleſq;, mixta ferè equitibus ſecundæ aciei contendebat. Conſpectiè caſtris Germani equites, dubitationem primò, mox & tumultum excitarunt, ſegniùs tamen, quod nemo ferè de tota re certamen eo die, ſed levia magis prælia, ut inter propinquos hoſtes oriri ſolent, ſuſpicabatur fore. At poſtquàm peditem ſequi, & aliam ſuper aliam aciem properare cernunt, cognito hoſtium conſilio ubiq; trepidatur; præcipuus tamen apud Duces pavor, qui ſecretorũ cõſcii, fraudem intelligebant. Et jam hoſtis aderat infeſtus, neq; ſtruere aciem neq; affari militem Duces poterant; cœco & incerto tumultu cuncta miſcebantur.

Fuga à Florentinis cœpta.

Germani ferociter in primam ſtationẽ advecti, magnã primo impetu procellã edidẽte, & fuga quædã inde fieri cœpta: turbaſſentq; latiùs, ni Florentini equites obviã progreſſi, impetũ Germanorũ egregiè ſuſtinuiſſent. Eorũ concurſu æquata pugna, & adjuvabant fortiſſimi peditum, ut in tumultuaria re, equitibus permixti. Stetitq; id certamen, quoad Senenſium exulumq;, ac mox peditum ſupervenit acies. Tunc pluribus ſimul locis pugnari cœptum: meliori tamẽ ſpe Senenſis pugnabat. Nam in Florentinorum exercitu propter ſubitã vim nec ſtruere acies, nec affari militẽ Duces potuerant, fortè potiùs quàm conſultò, ut quemq; caſus tulerat, ipſe ſibi quiſq; Dux adhortatorq; erat. Reſiſtebatur tamẽ, nec pauciora inferebantur vulnera, quàm accipiebantur: donec transfugia fieri cœpta ſunt. Ea primùm Florentinos turbârunt. Nam pleriq; diverſæ factionis, quos ductos in caſtra ſuprà docuimus, ſive jam ante

Pleriq; diverſa factionis à Florentinis ad hoſtes transfugiunt.

Buccæ Abbatis ſcelus.

corrupti, ſive tunc primùm nocendi tempus nacti, fœdo exemplo à ſuorum acie ad hoſtes transfugerunt. Tantumq; valuit rabies & certamẽ partium, ut Patriæ decus dignitatẽq; prodere hoſtibus mallent, quàm ſibi cives inviſos præeſſe. Præcipuum tamẽ in ea pugna ſcelus unius Buccæ Abbatis emicuit. Is natus è familia nobili, cæterùm diverſarum in rep. partium, propter ſigniferum aſtabat. Signifer erat eques

Pactius ſignifer.

illuſtris, ex urbana familia, quibus Pactii cognomentum eſt. Bucca igitur non transfugio ſolùm, ſed & inſigni aliquo facinore exulibus gratificari cupiens, Signiferum ponè aggreſſus, manum quâ tenebat vexillum, improviſo ictu abſcidit, vexillumq; ipſum, quod modò ſequebatur, hoſtis è cive factus, proſtravit. Eo caſu turbatâ acie, cum jam nec quibus fidere, nec à quibus cavere oporteret, dignoſceretur, fugã e-

Equites Florentini fugam arripiunt.

Pedites dilabuntur.

quites arripiunt, cedentes magis, quàm ſuperati. Pedites equitum præſidio deſtituti, crebra etiã inter acies ſuorum transfugia cernentes, proditione conſpectâ & ipſi dilabuntur. Nec ferè poſthac alicubi, præterquàm ad ſigna pugnatũ eſt. Currus fuit ingenti robore, inſigniq; ornatu, in quo vexilla Florẽtini populi præalto haſtili ſublata, ferebantur. Hunc in cæterorũ fuga, & trepidatione magna ei viũ manus, quos Patriæ charitas tangebat, devota circumſtetit, decus & gloriã hoſti nunquàm ſine ſanguine relictura. Caſtigabantq; ſe ultrò, & invicẽ hortabantur, ne currũ illum, ac ſigna, per tot jam bella victricia, turpi fugâ deſererent, ac tanto dedecore Florentinũ nomẽ dehoneſtarent: *præſtare deniq; pro Patriâ mori, quàm tantæ infamiæ ſupereſſe.* His vocib⁹ generoſiſſimus quiſq; flectebatur, & fugâ omiſſâ circa ſigna ſubſiſtebãt. Pleriq; robora ipſa currus complexi, quaſi ſupremis rebus, oſculabantur. Itaq; jampridem aliis locis profligato exercitu, ad currum tamen acriter reſiſtebant, quoad converſis in eos omnibus copiis coronâ ab hoſte circundati, cùm undiq; telis impeterentur, magno prius edito certamine ad unum omnes interfecti ſunt. Supra tria

Supra tria millia hominum cæduntur.

Ad quatuor millia capiuntur.

millia hominum cæſa in ea pugna referuntur: captivi ad quatuor millia ex fuga retracti. Caſtris & omni apparatu Senenſes potiti, cùm finem perſequendi feciſſent, prælatis hoſtium ſpoliis, & longo captivorum agmine, in urbem copias reduxêre.

Hæc ubi Florentiæ audita ſunt, horror ac metus civitatem pervaſit: publicè mœſtitia, privatim per ſingulas domos luctus, *utq; eſt proclivior ad malũ ſuſpicio*, vivi ſimul

Querela Florentiæ.

mortuiq; cõplorabantur. Mulieres in publicũ diffuſæ, filios aliæ, aliæ parentes fratresq; velut præſenti funere clamitabãt. Redeuntiũ verò fœdi vultus, ac triſtis oculorũ dejectio, nec eos, qui in acie cecidiſſent, ſed vivos ſe redeuntesq; lugendos monebant. Illos enim functos fato, præſtanti mortis genere, pro Patria interiiſſe: ſe ludibrio adverſariorũ ſervatos. His querelis cum finẽ demũ feciſſent, circumſpicere ſeſe, ac intueri reliquam fortunam ſuam cœpere. Venturos exules cum victore exercitu, ac

Proditio timetur Florentiæ.

victoriâ crudeliter uſuros nemo ambigebat. Eadem in urbe, quæ in caſtris extiterat, proditio timebatur. *Nam & plebs facilè cum fortunâ mutat animos*, & diverſæ factionis homines, quorum pars quædam remanſerat domi, minimè quieturos apparebat. His rationibus relinquere urbem, ac demigrare tutius viſum. Inde luctus renovari cœptus, patriam, penates, ac cætera, quæ hominibus chariſſima

ſunt, unò in tempore cuncta relinquentibus. Migraverunt omnes, qui ſtudio partiũ ita inſignes erant, ut ſe, adventante victore, tutos fore deſperarent, plerique conjuges liberosque ſecum traxêre. Maxima eorum pars Lucæ, multi etiam Bononiæ, utraque in urbe hoſpitaliter amicèque recepti conſtitêre.

Non ſum neſcius, à quibusdam magnis viris hoc eorum factum imprudens, timidumq; cenſeri, quod munitam urbem, ac validis cinctam mœnibus, antequam adventaret hoſtis, nullo certamine deſeruiſſent: potuiſſe enim aliquod tempus defendi; *indies autem multa, interdum etiam minimè ſperatà ad ſalutem emergere.* Ego illuſtres viros, quorũ poſtea res fortiter geſtæ per totã ferè Italiam claruère, nunquã ignaviæ imprudentiæq; damnarim, potiùs illorũ conditionem temporũ non ſatis notã repræhenſoribus puto. Novo enim partium ſtudio ferveſcente, eminentiores quidẽ cives in diverſum abierãt: Plebs autẽ incerta, nec tùm longâ poſſeſſione alterutri addicta parti, ad victores ſemper nutabat, nec minùs cives ſuos putabat, q exules erant, quàm qui intra mœnia tenebantur. Quod ſi cũ extremo penitùs, & alieno hoſte, ac nõ cum civibus fuiſſet certamen, cõmune optimatiũ plebisq; periculũ, & obſtinata pro Patria voluntas ad defenſionẽ animos conjunxiſſet. Cives autẽ nuper pulſos regredi in urbẽ, ut maximũ adverſariis, ſic nullũ plebi periculũ aſſerebat, nec urbs in poteſtatẽ hoſtium venire, ſed in manus civium redire videbatur. Ea de cauſa plebs multitudoq; nec obſidionẽ pati, nec famẽ, aut cætera incõmoda ſubire volebat. Quamobrem expectare hoſtem, ac ſe intra mœnia abdere, nihil erat aliud egregiis viris, quam ſe certiſſimæ neci offerre: Cedere autem, ac ſeſe ad meliorem ſervare ſpem, cùm prudens, tùm animoſum videbatur conſilium.

Ratio cur Florentini cives urbem reliquerint.

Exules paucis diebus ad ſectionem prædæ intermiſſis, magnis equitum peditumque copiis Florentiam profecti, nullo penitus obſiſtente, apertis portis urbem intrârunt. XV. Cal. Octobris ingreſſos Florentiam conſtat, cùm apud Arbiam pridie Nonas Septembris pugnatum fuiſſet, anno Chriſtianæ ſalutis ducenteſimo ſexageſimo ſupra mille. Ex hoc civitas ſtatum mutavit, finemque habuit Potentia ejus populi, qui poſt Federici mortem decem per annos ingenti pollens gloriâ, ac multis victoriis ſuperbus, Remp. gubernârat, *nullâ aliâ re, quàm nimiâ ferociâ culpatus.*

Exules intrant Florentiam. Anno 1260.

Finis potentiæ Florentinorum.

Poſthac non jam Populi, ſed Manfredi nomine cuncta gerebãtur. Poteſtas intra urbem Guidoni comiti, cui Novello cognomentum fuit, demandata eſt: Jordanus rei bellicæ præerat. Stipendia ex ærario Florentini populi Germanis promebantur. Per idem tempus omnes cives, qui in urbe remanſerant, fidem promittere coacti, in Manfredi nomen juravêre: bona quoque civium, qui demigrârant, publicata, & turres, domusque eorum in urbe agroque everſæ. Legatis etiam ad Manfredum miſſis gratiæ Regi actæ, quòd ejus operâ in Patriam reſtituti eſſent, laudes ampliſſimæ Jordani Ducis ac Germanorũ, qui cum illo pugnârant, additæ; poſtulatũque eſt, uti Ducẽ ipſum cũ equitibus ultra præſcriptũ morari in Hetruria pateretur.

Poteſtas Guidoni demandatur. Cives Florentini in Manfredi nomen iurare coguntur.

Per hæc ipſa tempora graviſſimum apud Aretinos bellum gerebatur. Cives enim, qui à pugna ſuperfuerãt, in urbẽ regreſſi, quanquàm perditis rebus permagnã impendere ſibi tempeſtatẽ cernebant, conſiſtere tamen in loco, ac tutari ſua ſtatuerunt, erecti maximè in eam ſpem ſitũ urbis, qui facilè defendi poſſe videbatur, & rei frumentariæ copiâ quã plurimũ ea civitas abundabat. Igitur his qui remanſerãt è diverſa factione urbe depulſis, mœnia, ſi quâ in parte minus firma videbantur, reparãrunt foſſasq; purgarunt. Vallum etiã quibuſdã locis addiderunt. Ad hæc facienda duodecim viri creati, qui unà cum Magiſtratu ſingulis diebus circumirent urbem, & quibus factu opes foret, providerent. Contrà verò cives diverſæ factionis, ab aliis pulſi, Senenſium Florentinorumq; adjuti viribus, urbi terribiles imminebant, proximisq; occupatis caſtellis atrox erat certamen, ac prælia propè quotidiana inter eos committebantur. Hæc eo anno, quo pugnatum eſt apud Arbiã, ferè geſta ſunt.

Bellum graviſſimum apud Aretinos.

Aretini cives diverſæ factionis pulſi urbe terribiles imminent.

Principio inſequentis anni, legati à Manfredo reverſi, cætera grata Regi fuiſſe retulerunt: ſed de Jordano non ultrà impetrari quiviſſe, quã uti paucos inſuper mẽſes commorandi facultas ei permitteretur. Itaq; voluntate Regis haud ambiguè cognitâ, placuit ante illius deceſſum, Principibus in unum coactis, cõmuni ſententiâ de ſtatu Hetruriæ, deq; partiũ ſtudio conſultare. Conventus ad eã rẽ Emporii indictus eſt, qui locus inter civitates ferè medius habetur. Eò cũ legationes ſingularum civitatũ, ac Principes ejus factionis magnâ frequentiâ cõveniſſent, propoſita eſt Regis voluntas, & quando abeundi neceſſitas Jordano incumbat, ipſi quid agendum

providendumq; ſit, pro ſalute partiū ſtatuerent. Tractari inde res cœpta, eſt dictæq;

Florentia caput diverſæ factionis in Hetruria.

variæ ſententiæ pro cujusque animo ac voluntate. Una tamen vox omnium erat: Nulla ex re tantum ſuis partibus, quantum à Florentia periculū imminere. Eam urbem, caput diverſæ factionis in Hetruria eſſe; cives, qui pulſi ſint, nūquā quieturos. plebem etiam ac multitudinem cum diverſa factione magis ſentire, & rebellaſſe quondam poſt Federici mortē, & hos ipſos homines tunc quoq; ejectos percupidè revocaſſe, memorabāt. Si quid cōtingat, qualia multa poſſunt, redeātq; iterū, omnia turbaturos. Quare ſi ſalvos eſſe vellēt, ſi partes ſuas omni tēpore ſuperiores fore, ſi nō modò ſe, verùm etiā filios liberare periculis cuperent, Florentiā tollerēt atq; delerent. Ejus enim caſu & ruinâ penitùs obrui diverſam in Hetruria factionem: ſtante verò, prævalituram aliquando, ac exitio partium futuram. Hæc Piſanorum Senenſiumq; legati, hæc cæteri, quot aderant in conventu, ferebant. Et adhærebant pleriq;

Farinata uno cive Patria Florentia ſtetit.

nobiles, qui per agrum Florentinum arces munitaq; habebant loca, per illius occaſum potentiam ſuam augeri ſperantes. Viciſſetq; tandem ea ſententia, ni unus Farinata contra omniū impetum reſtitiſſet. Hoc uno tum cive Patria ſtetit. Nam cùm eā ſententiam placituram tandem, nec ullum omnino repugnaturum appareret: aſ-

Farinata oratio.

ſurgēs gravi & indignante vultu, cùm de his rebus dicere ſe velle ſignificaſſet, expectatione pro viri dignitate factâ, in hunc modum locutus eſt: Nunquam putavi fore poſt Arbienſem pugnam, ac præclaram illam de hoſte victoriam, me ut vitæ pœniteret meæ: at jam pœnitet, &, quòd nō in ipſa pugna oppetierim doleo. *Nihil adeo rerum humanarum ſtabile eſt, & quæ plerunq; læta credideris mærorem ſubinferunt. Nec viciſſe planè, ut videtur, ſatis eſt; ſed refert plurimùm, quibus cum viceris. Injuriam ab hoſte, quā à ſocio, æquiori perferimus animo.* Nec equidē nunc patriæ casū deploro. Illa, enim utcunq; tandē res ſint, me ſuperſtite nunq̄ tolletur; ſed eorū ſētētias, qui ante me dixerunt, indignor. Scilicet ad hæc convocati eſtis, ut, tollenda an relinquēda ſit Florentia, conſultare deberetis? ac non potiùs, quemadmodum illa ſtet, ac duret, cū cæteris in partibus cogitare. Non didici Rhetorū artes, nec verborum ornamēta, ut hi, qui ante me dixerunt, meditatus ſum: ſed, ut habet vulgare proverbiū, *quēadmodū ſapio, ita loquor.* Dicā igitur apertè quod ſentio. Ego non urbem meā ſolùm, verùm etiā me ipſum, ac meos cives miſeros nimiùm abjectosq; putarem, ſi de illa tollēda

Aretinorum fœdus cum Florentinis.

vel relinquenda ſtatuere vobis liceret: Sed certè nō licet, nec quicquā tale veſtri arbitrii eſt. Nàm & nos æquo jure in fœdus venimus, & fœdus ipſum nō pro everſione civitatū, ſed pro conſervatione eſt iſtum. Itaq, ſententiæ quidē veſtræ neſcio magis vaniſſimæ, an acerbiſſimæ ſint, utrūq; certè, cùm & ea cenſeant, quæ in veſtra non ſunt poteſtate: & nihil ultrà proficiant, quàm ut acerbitatem animi erga ſocios oſtendant. Atqui probabilius erat, præſertim communi pro ſalute in conſilium vocatos, vetuſta odia ſimultatesq; omittere, nec ſub alio prætextu alienam cladē everſionemq; perquirere. *Nunquam enim non malè conſulit, qui odio conſulit, nec qui nocere ſocio cupit, utilitatem cōmunē proſequitur* Sed queſo quid jā oderitis? urbémne? At quid mali unquā mœnia tectaq; fecerunt? An homines? nos qui intus ſumus, an ejectos? Si nos, jam noſter hic error eſt, qui cum hoſtibus ità coivimus, quaſi cū ſociis: veſtrū autē ſcelus, qui amicitiā ſimulātes, cùm animus eſſet hoſtilis, fœdus nobiſcū iniiſtis. Si ejectos, quid urbē perſequimini? Non enim mœnia pro illis ſtant, ſed cōtra illos: nec eos circundant, ſed arcent. Itaq; cùm de illa evertenda cogitatis, non adverſum hoſtes, ſed adverſum ſocios cogitatis. Caput eſt, inquis, diverſæ factionis: Erat puto cùm illi urbem tenebant: At nunc tenentibus nobis, quid magis diverſæ factionis eſt, quàm noſtrarum partium caput? Nam muri quidem & turres perinde ſunt, ut hi, à quibus tenentur? ipſi per ſe nihil ſentiunt: At populus multitudoq; urbana cum diverſa factione magis ſentit. Quid igitur proximo apud Arbiam prælio, cùm magna pars civium ad nos transfugiens in illos arma convertit, ſatis ne oſtendit, magis nobiſcum, quàm cum adverſariis ſentire? Quid, quod ipſi adverſarii ſponte ſuâ deſeruerunt urbem? nonne ſatis indicio eſt multitudini urbanæ diffiſos quòd noſtrarum partium fautricem ſciebant, migrandi conſilium aſſumſiſſe? Deniq; ſit ſuſpecta multitudo, quanquam eſt noſtra. Sed ſit ſuſpecta multitudo: num etiam nos, qui vicimus ſuſpecti aut abjecti ſumus? Et hoc veſtrum remedium eſt, ut urbs, (ne gravius dicā) nulli Hetruſcarū poſtrema, ob hanc ſuſpicionē

** non animo MS. Pal.*

tollatur. Quis unq̄ iſto modo cōſuluit? Quis tātā acerbitatē, etſi animo * cōcepiſſet, verbis patefacere auſus eſt? Veſtræ ſcilicet ſtabunt urbes, noſtra autē ruet: & vos in veſtris florebitis, nobis autem, qui unà vicimus, hoc præmium erit, ut pro exilio

tunc perpeſſo, nunc everſionem Patriæ omni acerbiorem patiamur exilio? Per Deos immortales! quiſquàm ne veſtrûm, ſic me abjectum putavit, ut hæc non dicam, aſſenſurus vobis, ſed æquo animo fuerim auditurus? nempe quòd nuper arma adverſus tuli? At ego inimicos meos perſecutus ſum, Patriam verò ſemper dilexi. An igitur, quam adverſarii ſervabant, ego nunc perdam? Et futura ſecula, illos Patriæ conſervatores, me everſorem nominabunt? Quid hoc infamius dici aut excogitari poteſt? Quid magis puſillanimum, quàm metu hoſtium tua delere? Deniq; quid ego verbis moror? Erumpat tamen digna vox: Ego, quam diu unus è Florentino nomine ſuperfuero, nunquàm patiar, neq; permittam Patriam meam tolli, &, ſi millies mori liceret, millies morti me offeram. Ea cùm dixiſſet è conſilio ſe proripuit. Perculit omnium animos Farinatæ oratio, & autoritas ejus commovit plurimos. Conſtabat enim ſtudio illarum partium neminem unum præſtantiorē eſſe virum, verebanturq; omnes, ne indignatio ejus aliquid cõmuni cauſæ detrimenti afferret. Itaq; ſupreſſa ſtatim ejus rei mentio eſt, dataq; opera quibusdam gravioribus, ut leniendā re mitibus verbis in cõſeſſũ reducerent. Fuit enim vir celſi animi, & altiora ſemper intuẽtis, in adverſarios tamẽ acerbior, quàm civilis modeſtia poſtulabat. In hoc autem periculo Patriæ, vel ſummè laudãdus, niſi ipſe idem cauſa, ut in id periculũ deduceretur, fuiſſet. Contentione ergo, quoniam exitio partium futura videbatur, omiſſâ, præter domeſticum equitatum, ad mille inſuper equites mercede conductos communi civitatum impensâ alere, ſtatuerunt. His atq; aliis copiis Novellus præficitur, ſummaque Imperii illi demandatur.

Novello demandatur ſummũ Imperiũ.

Diſſoluto inde concilio, Jordanus, uti à Rege præceptũ erat, diſceſſit. Novellus autem, quem Præfectum bello diximus, haud multò poſt equitum peditumque copiis, quas è ſingulis populis acciverat, in unum coactis, Lucenſium fines, quòd hi diverſæ factionis erant, ac exules Florentinorum receperant, ingreſſus, circumferendo bello cùm aliquot caſtella cepiſſet, majori tandem apparatu Lucetium aggreditur. Id erat opidum per eam tempeſtatem inprimis nobile. Cùm ab exulibus Florentinis, quorum magna vis in eo tunc erat, itemque ab eius loci opidanis egregiè defenderetur: ac Novellus admotis machinis pertinaciùs inſtaret, magnis coortis imbribus, & ſolum (eſt enim paluſtre) multis locis præpedientibus, menſe ferè circa illud fruſtra conſumto, obſidionem diſſolvit.

Lucetium obſidetur.

Per idem tempus Lucenſes exulesq; Florentini legatione in Germaniã miſſâ, cujus Principes fuerunt ex utraq; civitate ampliſſimi viri, Corradinum, Corradi filium, ad quem Regni Siciliæ pertinere ferebatur ſucceſſio, contra Manfredum concitare tentârunt. Neq; ſanè id negotium temerè, vel contra partium ſtudia ſuſceptũ eſt ab exulibus. Nam poſt Regni invaſionem à Manfredo factam, cùm jam planè illius fraudes vaframentaq; detecta eſſent, oratores, Corradini nomine ad Pontificem venerant. Et erat jam conjunctio quædam inita adverſus Manfredum. Quâ fiduciâ legatio eſt tunc in Germaniam miſſa. Principes ejus legationis fuerunt Simon Donatus, & Bonacurſius Adimar, Belincionis filius, equites Florentini. Hi cùm tranſmiſſis Alpibus, ad ea tandem loca, in quibus puer erat, perveniſſent, opportuna cõparuerunt omnia, præter ætatem. Nam & in Manfredum ardens odium apud matrem propinquosque pueri, & percupidus ad ulciſcendum animus, & potẽtiæ ſatis. Aetas modò differendum ſuadebat, quæ tenera adhuc, & tantis impar negotiis videbatur. Tempus itaque expectare juſſi, pleni quidem ingenti ſpe, ſed vacui rebus, legati rediêre.

Regni Siciliæ ſucceſſio pertinebat ad Corradinum.

Conjunctio initur adverſus Manfredum.

Simon Donatus.

Bonacurſius Adimar Belincionis filius.

Proximo ſubinde anno Florentini, qui Lucæ erant, clam coactis copiis, nocturno & improviſo impetu Signiam occupârunt. Perlatus inde in urbem rumor cives conterruit, veritos, ne opportunitatem loci exules nacti, majorē in modum regionē turbarent. Conſtat autē, nullum ferè circa urbē locum inferendo bello opportuniorem eſſe. Itaque auxiliis properè accitis, obſidere atque oppugnare Signiã pergunt. Ad eã rē cùm machinæ, tormẽta, vineæ, ac cætera hujuſcemodi enixiori ſtudio pararẽtur, magnitudine apparatus cõterriti illi ipſi, q occupaverãt, ſpõte ſuâ reliquerũt.

Anno 1262. Florentini exules Signiam occupant.

Poſt fugã hoſtiũ Signiãq; receptã, Novellus cũ iis, quas obſidẽdi causâ cõtraxerat, copiis fines Lucẽſiũ (jã enim matureſcebãt ſegetes) ingreſſus eſt. Cũ agros infeſtiùs vaſtaret, Lucẽſes cũ exulib⁹ ſeſe obviã obtulerũt, neq; multitudine neq; virib⁹ pares. Nã Piſani qdē finitimi populariter ferè in caſtra ad Novellũ cõfluxerãt, & ipſe, præter Germanos mercede cõductos, optimũ quẽq; è civitatib⁹ delectũ adduxerat. Com-

Novellus fines Lucenſium ingreditur.

missa

Lucenſes & exules in fugam vertuntur.

miſſo itaq; prælio Lucenſes exulesq; facilè ſuperati, in fugam vertuntur: Cæſi complures, capti etiam frequentes in adverſariorum manus pervenerunt, & commiſſa in nonnullos fœda crudelitatis exempla. Poſt hanc pugnā omnia fermè Lucenſium caſtella in deditionē hoſtis accepit. Amiſſo agro, civibus etiā multis, qui & Arbienſi, & proximo adverſo prælio capti fuerāt, in poteſtate hoſtiū conſtitutis, cùm extrema

Fœdus cum Lucenſibus.

cuncta proponerentur, Lucēſes de pace cū victoribus agere cœperunt. Protracta res eſt in ſequētē annū, tādemq; fœdus ictum, ut pulſis exulibus ipſi in ſocietatē fœderis reciperentur, æquo jure cū aliis civitatibus, utq; cives omnes Lucenſes, qui ubicunq; apud hoſtes captivi forent, gratis remitterētur, agerq; & caſtella, vel eâ vel ſuperiori æſtate, adēta redderētur. Has ferè cōditiones pax habuit. Cæterùm transacta res arcanè acceleriter eſt, nullo penitus exulū gnaro: itaq; mox inſperatò abire juſſi, nec ſatis tēporis ad componendas fortunas conceſſo, fractâ fermè omni ſpe cū con-

Exules Bononiā migrant cum coniugib. & liberis.

jugibus & liberis per proximum Apennini jugum Bononiam migravêre.

Per idem ferè tempus Aretinis qui urbem tenebant, longo aſſiduoq; bello fatigatis, cùm adverſarii, magnis Florentinorum Senenſiumq; cōtractis copiis, urgere violentiùs pararent, nec plebs multitudoq; urbana obſidionē latura videretur, præſtantes ſtudio partiū cives migrandi conſiliū aſumſerūt. Quo quidē facto diverſæ factionis homines in eam quoq; urbem recepti, ut alias Hetruriæ civitates, ſic illā ſub Manfredi nutu poſtea tenuêre. Mutato igitur per Hetruriam ſtatu, Florentinorū ac cæterarum civitatū exules recèns pulſi, magno Bononiæ numero (nam cis Apēninū cōſiſtere vix erat) convenerunt. Ibi cùm aliquod tempus non rei ſolùm, verùm etiā conſilii inopes conſtitiſſent, fortuna, divitiarū ſimul & gloriæ materiā obtulit.

Mutina inteſtinis ſeditionibus iactatur.

Mutinenſium proxima civitas inteſtinis ſeditionibus jactabatur. Duæ erant partes, utraq; armata pellere alterā urbe, aut intra mœnia opprimere nitebatur. Neque cauſæ diſſidii ſtudiaq; partium diſſimilia noſtris. Quippe eadē ferè tabes cūctā pervaſerat, conflictabatq; Italiam. Exules igitur ab ea factione quæ idem ſentiebat, Mutinā arceſſiti, cùm impigrè auxilium tuliſſent, magno partibus addito momēto, adverſam factionem urbe pepulerunt. Pulſorum præda omnis à Mutinenſibus illis conceſſâ, ditari ſunt cœpti, armis & equis ſplendidioribus comparatis, & numero, undiq; ad famam excitis pluribus, adaucto. Permovit eadē ſeditio & Regiū Lepidū,

Regium Lepidum ſeditio eadem permovit.

finitimā urbem. Pars enim victoribus congruens armis raptis, Mutinenſiū exemplo pellere adverſarios perrexit. Sed reſiſtebant illi latiùs, & erat in his vir procero cor-

Caſca.

pore, nec minus audaciā manuq; præcellens, Caſcam vulgò appellabant. Hic ſæpè in adverſarios delatus, admiranda fortitudinis facinora edebat, Multis ab eo occiſis contritisq;, cæteros formido exagitabat. Vocati igitur ab Reginis Hetruſci, ut nuper Mutinenſibus: ita tunc Reginis ſuarum partium hominibus auxilium attulêre. Pugnâ in foro atroci cōmiſsâ, unus Caſca plurimū reſiſtebat, & quâcunq; impetū faceret, ſuarum viriū conſcios, palantes agebat. Eo deniq; uno ſtabat adverſa factio, nec foro cedebat. Hūc igitur cōſpicantes Hetruſci, delectos è ſuis robuſtiſſimos juvenes in eum mittunt. Illi, agentem per forum cuneos Reginorum, uti præceptum erat, Caſcā invadunt. Cumq; alios ſubmoviſſent, ac ipſe viribus ferox longiùs à ſuis pugnaret, conglobati in eum juvenes latera mucronibus exaugent, ac tandem confe-

Caſca in medio foro necatur.

Adverſa factio Regio pellitur.

ctum multis vulneribus in medio foro magna occupantē ſpatia proſternunt. Caſcâ viro immaniſſimo necato, ſtatim adverſa factio Regio pellitur. Florentinos & aliarū civitatū exules, ut Mutinenſium nuper, ita tunc Reginorum præda ditavit. Multæ

Foreſius Adimar Dux Hetruſcorum ad Regium fuit.

nobilium ignobiliumq; fortunæ illis conceſſæ: arma, & equos, & pecunias abundè ſuppeditârunt. Dux Hetruſcorum ad Regium fuiſſe traditur Forſius Adimar eques Florentinus, juvenis quidem, ſed admodum bello præſtans. Ad Mutinam verò quis eorum dux fuerit, memoriæ proditum non eſt. Sunt etiam, qui tradunt, manu Foreſii Caſcam procubuiſſe, cùm in medio foro congreſſi, ſpectantibus ſuis egregiè

Manfredo parent in Hetruria fermè omnia loca.

dimicaſſent. Et in Gallia quidem [illegible] modi fortuna rebus erat. In Hetruria verò omnia fermè loca Manfredo par[illegible]. Adverſa Pontifici factio ubiq; dominabatur Ipſe autem Pontifex Manfredi potentiâ (?) conterritus, tenui admodum ſpe apud Urbevetanos ſe receperat.

Urbanus IIII. Pontifex.

Erat autem Pontifex Urbanus quartus, natione Gallus: Alexandro enim nuper defuncto, hic in Pontificatu Romano ſucceſſerat, qui cùm occupari pontificalia jura, cunctaq; in deterius labi cerneret, & ſuo ipſe motu, & aſſiduis exulū querelis adhortationibusq; impulſus, cùm ad cōprimendā Manfredi potentiā validiori

aliquā

aliquâ vi opus fore arbitrarentur, unicum tantis futurum malis remedium Carolum Ludovici Francorum Regis fratrem, virum bello egregium, in Italiam advocare, eiq; Regnum Siciliæ, quod à Manfredo occupabatur, juſtis ac legitimis titulis côcedere ſtatuit. Nullâ igitur ſolemnitate circa id prætermiſsâ, legati ad Carolum profecti electionem Regni, & advocationem Pontificis detulere. Nec defuit oblatis Carolus, ſed ſuſcepto dejiciendi Manfredi onere, magnas equitum copias ſummâ vi parare contendit.

Carolus Ludovici Francorum Regis frater.

Per hæc ipſa tempora elatis in expectationem animis, & cœpta Caroli quorſum evaderêt, intuentibus, fulgor, quē Græco nomine Cometen vocant, prægrandibus ac lucentibus radiis per nonaginta ferè dies in cælo emicuit. *Multa, ut eſt hominũ mos & pleraq; vana, ſuper eo dicta agitataq;* Et cecinêre vates, & variè, pro cujusq; ingenio, ſpe vel metu animos affecerunt. Enimverò multa ſubinde ſecuta, veterē ejus famā, experimento certiſſimo côprobârunt, *Regna mutare aſſeverantē.* Mutatæ enim poſt illũ côtinuò res: & Italiæ ſtatus omnis novatus: Pontificis mors, Caroli advētus, præliũ adverſus Manfredũ, ipſiusq; Manfredi nex, & côverſio civitatũ brevi ſubſecuta.

Cometes per nonaginta dies in cælo emicuit.

Cometes mutationem Regnorũ denotat.

Cæterùm, ipſe Pontifex vix tùm extinctis Cometæ ignibus, è vita migravit. Quæ res primò formidinem incuſſit, ne cœpta Caroli impedirentur. At enim non modò non obfuit cœptis Urbani mors: verùm etiam illa juvit. Creatus eſt enim ſucceſſor, vir, ut ita dixerim, è Caroli ſinu. Clementem quartum hunc Pontificem vocavêre, ſed ante pontificatum Guido Fulcodii nuncupatus, è provincia quidem oriundus Narbonenſi, & ſecularis, dudum advocationibus clarus, in Regia Francorum ferè nutritus, demumque uxore defunctâ, Narbonenſis Præſul, mox Sabinenſis Epiſcopus, Cardinaliſque effectus, per omnes dignitatis gradus ad Pontificatum aſcendit; vir procul dubio egregius, ac multarum rerum experiētiam callens. Hic ergo ſimul ac Pontificale faſtigium ſuſcepit, incredibili favore in Carolum verſus, accelerare ejus adventum, ac illi copias amicoſque per Italiam parare contendit. Cognitâ hujus voluntate, (neq; enim minori odio quàm Urbanus in Manfredum flagrabat) exequi cœpta Carolus properavit. Validis igitur præmiſſis copiis, quæ per Alpes ac citeriorem Galliam penetrarent, ipſe triginta navibus longis Maſſiliâ ſolvens, per varias hoſtium inſidias, qui Tyrrhenum mare grandi obſervabant claſſe, ad Tyberina incolumis oſtia pervenit. Suſceptus magno honore à populo Romano, & Senatoriâ dignitate ornatus, adventum copiarum, quas per terram iter facere juſſerat, expectabat.

Pontifex Urbanus moritur.

Clemens IIII. Pontifex creatur.

Guido Fulcodij.

Clemens per omnes dignitatis gradus ad Pontificatum aſcendit.

Carolus Senatoria dignitate Romæ ornatur.

Hæc ab initio cernentes Florentini, per adverſam factionem domo ejecti, magnam in ſpem venerant in ſua redeundi. Itaq; ſtudio & diligentiâ præveniendũ rati, per legatos ad Clementem miſſos, & operam ſuam contra Manfredum polliciti ſunt & ut eos novo Regi commendatos faceret, poſtularunt. Percontanti Clementi de illorum ſtatu, hæc fermè referuntur: Viros eſſe militares, grandi numero armis equisq; affatim inſtructos: hos clientium magnam item ſequi manum. Seniorum præterea ac eorum, qui bello gerendo minus apti viderentur, magnum numerum ſupereſſe: Hanc totam multitudinem urbibus Hetruriæ à Manfredo ſuisq;, quod diverſa ſectaretur, expulsā, in exilio ipſo nomen & gloriā ſibi per virtutem armaque peperiſſe: Jam verò in Gallia horum operâ non ſtetiſſe ſolùm Romanæ ſedis fautores, verùm etiam depulſis adverſariis ſuperiores eſſe. Pontifex excellentiam virorum admiratus, magnumq; ejus belli momentum in eorum fiducia reponens, oblationem grato ſe recipere animo, & ſibi cōmendationē curæ fore reſpondit. Cohortatus deinde ad proſecutionē virtutis, quo eos ſibi partibusq; ſuis magis conjungeret, Inſigne ſuæ gentis propriũ illis perpetuò ferēdum donavit. Ea eſt imago rubentis aquilæ, cæruleum draconem unguibus prementis. Id tunc inſigne de Pontifice ſuſceptum exules habuerunt in eo bello, hodieq; habent, Duces partiũ optimatum collegio, poſtquam redierunt, publicè apud urbem inſtituto. Tunc igitur & ſuâ ipſi ſponte, & Pontificis hortatu ſe egregiè præparātes, Guidonē, cui Guerra cognomētũ fuit, virũ conſilio ſimul manuq; præſtātem, ſibi Ducē præfecerunt, ac ubi primùm Regis copias appropinquare cognitum, obviam illis in agro Mantuano profecti, Gallos in admirationem decoris ſui converterunt. Ornati ſiquidem armis, equisq; & cæteris, quibus militares inſigniuntur viri, etiam inter Gallos longè conſpicui erant.

Florentini exules Clementi operam ſuam contra Manfredũ pollicentur.

Florentinorum exulum ſtatus.

Pontifex exulum oblationem recipit.

Exules Florentini à Pontifice Inſigne donantur.

Guido exulum Florentinorum Dux.

Suſcepti igitur benignè à Præfectis Regiis, & unà iter facere rogati, quòd He-

Hetruſcorum adventus eſt Caroli gratiſſ.

Caroli Regis Oratio ad Hetruſcos.

truriâ validis adverſariorum præſidiis tenebatur, & ſimul quòd in ea implicari bello haud quaquam Galli volebant, per Flaminiam atque Umbriam, Romam petiêre. Gratiſſimus fuit Carolo Hetruſcorum adventus, ut pote qui primi ex Italicis ſeſe illi conjunxerant: Et accedebat Pontificis commendatio gravis, & Ducum, qui cum illis iter fecerant, fidei ſimul, virtutisq; teſtimonium Itaque benignè eos allocutus Rex, ampliſſimis verbis gratias egit, quòd ſuos per ignota loca, & impacatas regiones iter facientes, egregiâ virtute induſtriaque adjuverint: Enim verò magna ab ſe præmia expectare eos debere, modò felicitas adſit, quam pietas, & juſtitia, & profectò vires ſuæ, amicorumque, certiſſimam pollicentur. Se quidem ita animatum domo veniſſe, ut nomine duntaxat Regio contentus eſſe velit: Cæterùm opes ac victoriæ præmia iis, qui ſecum militaverint, partiturum.

Guidonis Reſponſio ad Regem, Hetruſcorum nomine.

His atque hujuſmodi verbis cùm tandem finem Rex feciſſet, Guido, quem ſibi præfeciſſe Hetruſcos diximus, in hunc modum locutus eſt: Etſi noſtrum erat, ô Rex, tibi potiùs gratias agere, quàm te nobis: tamen & humanitatem tuam libenter agnovimus, & eam cum fortitudine ac cæterarum virtutum tuarum cumulo, adjunctam eſſe gaudemus. Nos quidem ſævitiâ Manfredi patriis pulſi ſedibus, non quanta ardor eſt exhibere in medium poſſumus, & hæc ipſa, quæ reſtant, corpora & lacertos præſtare magis, cùm tempus poſcet, quàm nunc intempeſtivè oſtentare juvabit. Tibi autem gratias agere & habere nos convenit, quòd vagis errantibuſque tanquam ſalutare ſidus nobis cælitùs affulgens, viam ac ſpem remeandi domum, quam primò non cernebamus, aperuiſti. Tua enim ſumma virtus ſtragem hoſtium noſtrorum, ac per eorum ruinam, reditum nobis in Patriam certiſſimum pollicetur. Pro te igitur, ne dum quòd paucorum dierum iter Duces tuos proſecuti, qualemcunq; operam impendimus, ſed ne cùm in vulnera quidem, ac ferrum ruerimus, ſatis feciſſe tibi, ac tuis in nos meritis exiſtimabimus. Atqui duæ, uti nos putamus, res ad fidem belli plurimùm valent: Commune hoſtis odium, & expetita victoriæ præmia, utrinque accommoda. Hæc duo Florentinis, cæteriſque Tuſcis, qui tua ſigna in hoc bello ſecuti ſunt, convenire videmus. Neque enim fuit, nec eſſe debuit adverſus ullum unquam majus, & ardentius odium, quàm nobis eſt in Manfredum. Quippe non ſolùm has recentes, quas nuper ab eo perpeſſi ſumus, clades, ſed damnatam in viſamque ſtirpem. & patris, avique, & proavi injurias in filio perſequimur. Hæc enim ſceleſta nefandaque familia, ab extrema Germanorum barbarie exurgens, fortunatos tranquilloſque per id tempus Hetruriæ populos, ad vulnera, & ſanguinem, ac vaſtitatem urbium perpulit, nec ullas jam multos annos calamitates vidimus, quarum hinc non fuerit ſemen & cauſa. Verùm hæc communia mala, & ab utraque factione, ſi modò non funditùs deſipiant, pariter deploranda. Illud proprium noſtrarum partium, quòd nunquam Pontifices Romanos hęc familia perſecuta eſt: Quin nobis quoque, qui eadem ſectabamur, fuerint ab eiſdem perſecutoribus clades inflictæ. Federicus hujus proavus, qui Suevorum primus nomen Romani Principis falsò indutus, quàm nefaria molitus ſit, non ignorare te credimus. Senſit Italia non Romanum Imperatorem, quem ille falsò mentiebatur, ſed novum Hannibalem adventaſſe. Qui cùm Mediolanum urbem inclitam, ac maximū Romani Imperii ornamentum, hoſtis & barbarus evertiſſet, ſparſit per Hetruriam venenata malorum ſemina, cùm civili diſſidio per ſingulas urbes facto, malos foveret, bonos perſequeretur, Secutus eſt hujus acerbitatem Herricus filius, qui ad ſcelus paternum ſummam ipſe ingratitudinem addidit, poſt Regni munus liberaliſſimum perſecutor acerrimus factus. Succeſſit in hæreditatem ſcelerum alter Federicus, hujus Manfredi pater. Is quid adverſus Pontifices molitus ſit, memorare quid attinet? Narrant enim & narrabunt, quàm diu memoria hominum manebit, concilia adverſum illius veſaniam Lugduni celebrata, cùm Pontifex Italiâ profugus vix ultra flumen Rhodani tutum, ad damnandam hujus perfidiam, locum invenerit. Hæc tibi nota ſunt, Rex, & cùm tuæ Domus laude conjuncta. Sed quid adverſus noſtrarum partium homines putas illam ſævitiam per hæc tempora edidiſſe, cùm quanto magis irritaretur, tanto adverſus Pontificis fautores illius rabies atrociùs inſæviret? Pulſi tunc urbibus noſtri exularunt: caſtellis & arcibus, quibus ſe receperant, obſeſſi ſunt. Qui vel fortunâ aliquâ belli, vel longâ obſidione in ejus manus pervenerunt, barbaram illius crudelitatem experti, per varia & inaudita ſupplicia vitam amiſerê. Sunt multi in hoc cœtu, quem vides, quorum ille parentes

Duæ res ad fidem belli plurimum valent.
1. Hoſtis odium.
2. Præmia victoria.
Florentinorum exulum odium in Manfredum.

Federicus Manfredi proavus.

Herricus filius Federici.

Federicus. II. Manfredi pater.

Concilia Lugduni celebrantur adverſus Fredericum II. Pontifex Italia profugus.

parentes aut fratres, aut agnatos necârit, qui nunc arma tecum ferentes, eadem illa in filio ſupplicia depoſcunt. Affulſerat tandē poſt hujus mortem parumper fortuna nobis: reſtitutos in patriam Manfredus iterum diſſipavit. Itaque illud ſatis certum exploratumque eſt, nos nunquam quietem habituros, niſi hæc Familia funditus deleatur. Quare & veteri odio, & præſenti ſpe quietis ita nos ardere in Manfredum puta, ut omnis acceleratio ad ejus perniciem ſegnis ac tarda nobis videatur. *Solet verò nonnunquàm mentes hominum ſolicitas reddere præmiorum ſuſpicio*, quoties is qui plus poteſt, ſine gravi jactura exolvere promiſſa non valet. Abſunt hæc à deſiderio præmiorum noſtrorum: Nos ea ſequimur præmia, quæ nihil commoditati, nihil potentiæ tuæ detractura ſunt, ſed vim ac robur allatura. Non enim agri, neque urbes hoſtium bello captæ, ſed reditus in Patriam nobis præmium ſit. Sic autē ſtatuimus: Et tua in Regno potentia nos in Hetruria ſervabit: & ipſe velut murum habebis ad vim, ſi qua unquàm Regno tuo immineat, ab ea parte propulſandā. Summâ igitur erga te fide hos fore homines perſuade, quos & communis hoſtis odium, & communis utilitas tibi conjungit. Illud verò, tanquam ſummam addidiſſe volumus, ut tanti finito bello nos feceris, quantum in ipſo promereri conſpexeris. Devotos certè & addictos tibi utcunque habebis.

Manfredus iterum diſſipavit Florentinos.

Hæc oratio magis acceptos Regi exules fecit, ac majori fiduciâ in familiaritatem admiſit. Paratis omnibus, quæ ad bellum opportuna fuerunt, cum his copiis, quas è Gallia duxerat, item cum Tuſcis exulibus, ac aliis Latini nominis, qui aut ſpe præmiorum, aut partium ſtudio ſequebantur, fines Regni ſecus Caſinum ingreditur, cuſtodiâ aditus, quo facilè arceri ab ingreſſu poterat, ignaviâ hoſtium neglectâ. Germanum deinde opidum expugnare aggreſſus, magnâ virtute militum id cepit. Eo in loco Tuſcorum virtus primùm conſpicua fuit. Suo namque conatu per foſſas & aggerem evadentes, inprimis cauſa opidi capiendi fuêre.

Oratio Guidonis facit exules Regi acceptos.

Carolus Rex Caſinum ingreditur.

Germanum opidum capitur.

Expugnatione hujus oppidi conterritis cæteris, finitimæ quædam urbes ad victorem defecerunt. At Manfredus contractis undiq; copiis ſtatuit in Samnio hoſti occurrere. Quod poſtquam intellexit Carolus, dimicandi cupidus Samnium petit, nec ullâ inde morâ, ſimul atq; in conſpectum venit in aciem primus eduxit. Nec detrectavit pugnā Manfredus, ſed eductis & ipſe in aciem ſuis, fortunæ ſe obtulit. Antequam pugnari cœptum eſſet, ſpeculanti hoſtium agmina Manfredo, una ſeorſim acies proſpecta eſt, equis & armis egregiè ſtructa. Erat huic ſuus Dux, ſuūq; Vexillū: ſigna Pōtificis haud ſibi jā incognita diſcernebat. Signifer eâ die fuiſſe traditur Corradus Magnimontanus eques Piſtorienſis, vir procul dubio pace belloq; egregius: Dux autem Guido cognomento Guerra, celſi vir animi, ac propè ſingularis. Perquirenti ergò à ſuis, quorū virorū id agmen eſſet? Florentinorū Tuſcorumq; reliquorū qui diverſa ſectantur, eſſe reſpondent. Enimverò ubi ſunt, inquit, alterius factionis homines ex eâdē Hetruria, in quos ego tanta beneficia dudū contuli? Cùm adeſſe negarentur, permotus ingratitudine ſimul ac ignaviâ hominū, illa (inquit) acies, Tuſcos exules oſtentans, niſi victrix hodie eſſe nō poteſt. Nā ſi ipſe vicero, illos, quàm adverſarios eorum, mihi conjunctos malim. Ad ſuos inde reverſus ſignū prælio tubâ dari juſſit. Concurſum eſt acriter abutraq; parte, pugnaq; diu anceps fuit, Germanis pro Manfredo, Gallis Tuſcisq; pro Carolo enixè dimicantibus. Nec milites ſolū; verùm etiam Reges ipſi cōminus pugnantes, plurima eo die diſcrimina pro victoria ſubière. Poſt longum certamen, Caroli fortuna, & militum virtus ſuperavit: profligatisq; Germanis Manfredus pugnans occiditur. Hanc pugnam non longè à Benevento commiſſam conſtat, quinto fermè anno poſtquam apud Arbiam pugnatū fuerat. Præter magnam cædem multi nobiles, ignobilesq; captivi in victoris manū devenêre, inter quos Jordanus, qui bello Hetruſco Dux fuerat, & Petrus Ubertus eques Florentinus, qui ambo in provinciam à Carolo miſſi, longo carcere vitam finiêre. Reliqua Caroli expeditio, redigendis urbibus Regni in poteſtatem, fuit, quas circumferendo bello, nulla jam obſiſtente, brevi perdomuit.

Manfredus in Samnio hoſti occurrit.

Corradus Magnimontanus ſignifer.

Guido Dux cognomento Guerra.

Pugna inter Carolum & Māfredum.

Caroli fortuna & militum virtus ſuperat.

Anno 1265.

Manfredus pugnans occiditur.

Iordanus Hetruſcorum Dux.

Petrus Vbertus.

Dum Florentini exules Carolum ſecuti circa hoc tēpus militiæ terunt, Novellus ac cæteri diverſæ factionis Principes, qui Florentiam tenebant, Caroli victoriâ majorē in modum conterriti, jamq; adverſariorū potentiā formidantes, cōtrahere ſe ſe, ac de ſolito partium ardore multum indies remittere cœperunt: Et ſimul exulum quidam, qui per agros ac propinqua degebant loca, in ſpem erecti, convenire in unum ac novis rebus animū intendere. Plebs ſolicita, & propter crebra tributorum

Novellus.

onera dominantibus infenſa, motum aliquem rerum affectabat, liberæ jam multitudinis voces præſentia incuſantis vulgò jactabantur. Quæ cùm indies augeſcerẽt, placuit Novello cæteriſq; ejus factionis Principibus, gliſcentem populi motũ conſilio prævenire, ac ſub ſpecie pacis concordiæq; civilis, imminentibus malis cõmodè occurrere. Re igitur ad populum delatâ, conformandum civitatis ſtatum, & homines diverſæ factionis, qui nullius mali ſuſpecti in urbe remãſerant, in partẽ Reip. recipiendos cenſent.

Triginta ſex viri ex utraq; factione deliguntur. Præſides duo Cathalanus Lodoringus.

Ita; triginta ſex viris ex utraq; factione delectis negotium datur, ut quæ pro optimo civitatis ſtatu agenda forent, ea ſtatuere provideréq; curarent. Inſuper, quò magis æquitas appareret, poteſtas atq; juriſdictio in urbe ad duos ſimul Præſides, viros religioſæ militiæ, Cathalanum & Lodoringum, deſertur, quorum alter Novello ſuiſq;, alter diverſis partibus haud dubius habebatur fautor. His Florentiam accitis poteſtas juris dictioq; Populi nomine commiſſa eſt, & unà cum triginta ſex viris, quos ſupra delectos oſtendimus, depoſito partium ſtudio, communi tranquillitati ſtudere ſunt juſſi. Crebræ ab his cõſultationes habitæ, & quædã nõ inutiliter conſtituta, quorum illud præcipuum, ut artium quibuſdam honeſtioribus collegia eſſent, utq; vexilla ſignaq; haberent, ac novi quoties quid in urbe oriretur populares cujuſq; collegii in unũ concurrerẽt. Ea res quanquã parva primò viſa, tamẽ Populum à dominantibus ad libertatem traducebat, arma capere, & ad ſuũ quemq; locũ convenire jubens. Itaq; hæc ubi depræhenſa ſunt, nobilitatem urere cœperũt, nec deerant jam, qui aperta murmura ſuſpicioneſq; jactarent. Acceſſit inſuper illud quòd ſtipendia equitum publicè à Novello petita, nõ ita, ut mos erat, ſtatim promerẽtur. Quibus rebus majorem in ſuſpicionem adductus, Principes familiarũ nobilium, quæ ſuarũ partium erant, ne ſub umbra pacis majora quædã ſe adverſis moliri paterẽtur, cõmonefacere cœpit.

Seditio Florentiæ oritur.

Ipſe auxilia amicorũ properè arceſſivit, Germanos paratos, armatoſq; circa ſe eſſe juſſit. Ex his coortâ ſeditione, nobilitas jã pridem infenſa, prior arma corripere, ac pulſis triginta ſex viris Rẽp. in ſuã poteſtatẽ redigere ſtatuit.

Initium motus fit à Lambertis.

Initium motus à Lambertis factus. Hi enim è proximis ædibus cum armatorum manu egreſſi, in forum novum (ibi namq; triginta ſex viri tractandis rebus cõveniebant) primi impetum fecerunt. Eorum clamore diſſipato collegio, cùm alius aliò perfugiſſet, civitas repentè in armis fuit.

Novelli & nobilitatis pugna cum plebe.

Plebs quidẽ ac multitudo omnis urbana ad Trinitatis convenit: Novellus autem cum omni ferè nobilitate ſuæ factionis, ac Germanorum equitatu, auxiliaribuſq; amicorum, ad Martis ædem. Ibi cùm aliquanto conſtitiſſet, plebemq; ad Trinitatis eſſe audiret, profectus inde recto itinere adverſus Populum aciem direxit. Nec plebs quidem detrectavit certamen; ſed obviam impigrè ſe obtulit. Verùm multitudo lapidum, quæ inſtar grandinis è turribus ædibuſq; pluebat, cœptam inhibuit pugnam. Eo namq; periculo commotus, ſuos Novellus revocavit, ac per eandem, quâ venerat, viam, ad Martis ædem reduxit. Ibi cùm ſingula reputaret, minimè ſibi tutum arbitratus eſt, iratâ ac inimicâ multitudine, nonnullis etiam nobilium abalienatis, intra eadem mœnia noctem operiri.

Novellus claves Portarum poſtulat.

Itaq; inde rurſus movens ſigna, ad eas ædes, in quibus Cathalanus & Lodoringus erant, profectus, claves portarum, quoad egrederetur urbe, poſtulavit. Præſides è feneſtris clamitantes, hortabantur cum urbe nequaquam excedere, ac ſe motum illũ Populi ſedaturos, promittebant. Verùm tanta ſuſpicio invaſerat animum, ut cuncta ad ſuam ſuorumq; perniciem interpretaretur. Clavium igitur poteſtas ubi facta eſt, præconem altâ voce percontari juſſit, an Germani omnes adeſſent? Cumq; reſponſum eſſet, adeſſe: rurſus, an auxiliares omnes? cumque id quoq; reſponſum fuiſſet, ſigniferum incedere juſſit.

Novellus cum nobilitate Florentia egreditur.

Ita profectus ab ædibus Præſidum ponè theatrum vetus, & Stradii templum ad portam bovariam, quâ primùm Arnus influebat urbem, cum omni ſuorum multitudine ac pleraq; nobilitate ſuæ factionis, egreditur.

Arnus fluvius. Pratum.

Novellus cum ſuis copiis ad urbem revertitur.

Mox lævum tenens iter circumdatâ urbe, in viã Pratenſem deſcendit, nec quicquã cõmoratus, eâdem die Pratũ ſe contulit. Ibi ſublato jam metu errorẽ ſuũ recognoſcens, jamq; cõſiliũ damnãs, quòd ipſe ſuiq; magnis præſidiis ſuffulti, urbẽ nullo pellente reliquiſſent, ſerâ pœnitentiâ, ſi quâ poſſet, emendare aggreſſus eſt. Quare poſtridie cum omnibus copiis ad urbem revertitur. Heſterno tumultu concuſsâ civitate portæ adhuc clauſæ erant, Cives, quibus id muneris injunctum, deſuper excubabant: Qui cùm adventum Novelli ſuorumq; ad populum detuliſſent, multitudo ſtatim armata ad eam portam cucurrit.

Novellus urbe repellitur.

Ab his repulſus Novellus, cũ neq; vi neq; precibus regredi in urbem poſſet, fruſtra aliquot horis circa mœnia conſumtis, Pra-

tum

tum copias reduxit. At populus jam ſui juris gubernationem Reipub. haud ambigue nactus, civitatem in antiquum popularem morem ſtabilire conſtituit. Ejus rei gratiâ de duodecim viris creandis loco veterum Antianorum tunc primùm inſtitutum eſt, & opportuna conſilia ad res graviores decernendas conſtituta. Nec duo poſthac Præſides, quaſi diverſâ Reip. curâ, ſed unus duntaxat poteſtatem dictionemque juris Populi nomine exequebatur.

Firmato jam Reip. ſtatu, & in antiquum popularem modum reſtituto, quòd nobilitas fermè tota aberat, maximum profectò civitatis ornamentum, ad decorandam illuſtrãdamq; civitatem, revocare omnes exules, & in ſua quenq; reſtituere placuit. Id ad tranquillitatem quoq; pertinere viſũ, ne fortè excluſi per vim aliquid molirentur: lege itaq; ad populum latâ omnibus civibus, qui vel dudũ poſt Arbienſis pugnæ caſum, vel nuper cum Novello abſceſſerant, remeandi in urbem eſt poteſtas permiſſa.

Florentia in antiquum popularem modum reſtituitur.

Exules omnes revocantur.

Redierunt hi, qui Carolum ſecuti fuerant, ſexto, poſtquam exulaverant, anno; magna fortium virorum manus, ac multis bellis exercitata, plaudente admodũ Populo, & equos & arma ac cætera militaria in juventute educe, quaſi robur quoddam Reip. intuente. Cupiens autem Populus diſcordias, inimicitiaſq; nobilitatis, ſi qua poſſet, omnino ſedare: ſic enim non præſenti modò, ſed futuro etiam tempore putavit tranquillæ civitati eſſe licere, crebra providit matrimonia inter factionum Principes ad vinciendam neceſſitudinem contrahi. Itaq; & Novello Comiti, Foreſius Adimar gener eſt datus: Et Donati cũ Ubertis affinitate conjuncti. Multæ præterea in cæteras familias neceſſitudines inductæ, quo diſcordiæ illarum in perpetuũ ſopirentur. Id autem quo magis faceret Populus, eo inductus eſt, quòd olim per nuptiarum repulſam initia fuerant malorum in civitate coorta. Licet enim antea quoque ſtudia partium ob favorem, ut ſupra docuimus, Imperatorum Pontificumq;, & diviſiones civium, inde jam cœperant: tamen addidit his impetum quendam, & quaſi procellam nuptiarum inſauſta repudiatio. Id autem (ut pro notitiâ rerũ ſuperiora quædã repetamus) tale aliquid fuiſſe traditur. Bondelmontes fuit eques Florentinus per eam tempeſtatem, ut videtur, inprimis ſplendidus: huic inimicitię graviores fuêre cum Ottone Arrigi filio Fiſanti, è familia item nobili. Otto validis propinquitatibus ſubnixus, præcipuè Ubertorum, Lambertorumq;, potentiſſimarum per id tempus familiarũ, juvabatur: Bondelmonti verò & ipſi per ſe valido, quidam inſuper potentium favebant. Cùm has inimicitias longius demum progreſſuras, palàm eſſet, inſurgentibus bonis viris pax tandem recipitur: Quin etiam, quo ſtabilior eſſet, affinitate nuptiiſq; firmatur; ſponſa Bondelmonti receptaq; nepte Ottonis ex ſorore. Res unà cum pace vulgata fuerat, & jã pro confecta, opinione omniũ habebatur, dieſq; dicta erat ad nuptiarum ſolemnia, apparatuſq; ad eam rem propalam facti. Enimverò hanc affinitatem conjunctionemq; fautores quidam juvenes nequaquã probabant. Itaq; per eos ipſos dies matrona quædã è Donatorũ ædibus, cum fortè domeſticorum ſermone affinitatem carpentium, ea cognoviſſet, juvenem familiariùs compellatum objurgare cœpit, quòd longè nobilis imparem ſibi genere formâq; uxorem accepiſſet, inconſultè nimium atq; inveſtigatò: Nempe ego tibi, inquit, vel cupientiſſimè hanc tuis aſſervabam nuptiis, filiam oſtendens ætate nubilem, formâ egregiam. Percuſsêre illicò juvenis pectus celſioris puellæ vultus & admonitio mulieris. Itaq; ceu furiis quibuſdam agitatus, cùm ea ſecũ reputaret ac formam formæ, familiamq; familiæ conferret, poſteriora oblata conſtituit anteferre. Reverſus itaq; poſtridie ad mulierem; adhuc tempus, ô matrona! inquit, eſt perperàm facta corrigendi: Ego enim divortens ab illa, cui nihil præter jacturã penè me aſtringit, tuam, ſi ita vis, ritè ſuſcipiam. Nec mora audaci cœpto, muliere annuente, eo ipſo tẽpore, quo primæ futuræ erãt nuptiæ, ſecundæ parantur. Otto igitur & repulſæ Parentes, agnatis neceſſariiſq; in unum vocatis, facinus indignum contumeliamq; enarrant: Ab ſe quidem neq; verbo neq; facto quicquam admiſſum, quòd illius mentem vel leviter modò abalienare potuerit; id totum ſuperbiam atq; contemtum eſſe. Ea cum propè lacrimabundi exponerent, fidemq; propinquorum implorarent, permoti, majorem in modum vindicandam eſſe contumeliam ſtatuerũt. Erant ſanè hi permulti nobiles, à quibus cum de vindictæ modo agitaretur, Lambertus Muſca occidendum cenſuit, *rem factam*, ut vulgari habetur proverbio, *caput habere* dictitans. Eo ab aliis quoque per indignationem conſilio ſumto, dies & locus

Exules qui Carolum ſecuti fuerant redeunt.

Conſilium Populi ſedandi diſcordias.

Novello Foreſius Adimar gener datur.

Donati cum Vbertis affinitate conjunguntur.

Initium mali fuit nuptiarum repulſa.

Bondelmontes eques Florentinus.

Vbertorum & Lambertorum potentiſſima familia.

Pax affinitate nuptiiſq; firmatur.

Lambertus Muſca.

ad cædem memorabiles quærebantur. Paſcha potiſſimùm viſum eſt in tempore: ædes verò puellæ, cujus ſpreverat nuptias, pro loco delectæ. Itaque paſchatis die, cùm è veteri ponte albo aquo albâque, ut traditur, amictus veſte juvenis deſcenderet, egreſſi conjurati ab ædibus Amideorum, (ibi namque ex conſtituto paulò antè convenerant) illum circumſiſtunt, abjectumq; ex equo multis vulneribus conficiunt. Interfuerunt huic cædi Uberti & Lamberti quidam, & alii puellæ propinqui: plurimùm tamen ipſius Ottonis manu perpetrata eſt. Cecidit verò non longè à Martis ſigno, quòd è veteri ſublatum templo ad pontem collocatum extabat: Idq; in calamitate civitatis quidã notarunt. Percuſſores ſtatim poſt cædẽ, globo facto, in Amideorũ ædes ſe receperunt. Rumor verò per urbem diffuſus pro diei ſolemnitate, & hominum ſuperbia, Populum commovit. Nam etſi error fuerat; deſerendis nuptiis pœna legibus conſtituta erat pecuniarum promiſſarum jactura: Cædi verò ex conjurato homines incivile videbatur. Denique occiſi cognati affinesque in unum coëunt: nec nobilitas ſolùm, verùm etiam plebs incerto ſcinditur favore. Hinc odia civium irritata vehementiùs exarsêre, ut non jam civili modeſtiâ, ſed vulneribus & ſanguine ſumma perdendi perenndique cupidine certaretur.

Bondelmontes Ottonis manu occiditur.

Hæc igitur in civitate diſſidia ex nuptiarum repulſa conſiderans orta Florentinus Populus, contrariis remediis curare tentavit: Itaq; reſtitutis nuper in urbem civibus, auctor extitit novarum affinitatum inducendarum. *Enimverò major erat morbus, quàm ut ex hujuſmodi medicamento ſanitas illi poſſet afferri.* Licet enim ab initio magnam ſpem lætitiamq; præberent, tamen paulò poſt irrito conatu proviſa apparuêre. Neq; concordia diu ſtetit: Nam prævalentibus longè his, qui cum Carolo vicerant, aliamq; factionem, non ſecus ac victam deſpicientibus, formido ſimul & indignatio adverſarios agitabat, præſertim cùm plebs quoq; memor Arbienſis pugnæ, ac vulneris Reip. tunc accepti, autores tantæ cladis ac transfugas cives, qui decus Patriæ Senenſibus prodidiſſent, liberis jam deteſtationibus maledictisq; laceſſeret. Acceſſit his ſuſpicio ingens, quòd crebra fama haud ambiguè vulgabat, Corradinum Corradi filium, nepotem Federici ingentes copias in Germaniâ parare, Regni pro recuperatione paterni in Italiam tranſiturum. Ad cujus ſpem adventus Piſani Senenſesq; ac cæteri ejus factionis, modò Caroli victoriâ fracti, haud ſegniter erexerant animos. Et ſolicitatum ab his Corradinum circumferebant, earumque fiduciâ opum inniti. Itaque, quaſi novarentur antiqua partium vulnera, neutra factio ſatis alteri confidebat.

Concordia Florentia non diu ſtetit.

Corradinus Corradi filius Nepos Federici in Germania ingentes copias parat.

Interea Carolus Regni jam compoſitis rebus, cùm ad ſecuritatem ſuam plurimùm pertinere judicaret, Piſanos Senenſesq;, ante Corradini adventum, in ſuã poteſtatẽ traducere; Præfectum quendam è ſuis cum equitatu in Hetruriam miſit. Poſtulatum hoc à Florentinis civibus, Regis amicis, quidã autores ſunt, eorumq; precibus adductum Regem copias ſuas in hæc loca miſiſſe. Equidem vel Florentinos, vel alios contendiſſe id ab Rege non inficias eo: Cæterùm utilitatis rationem, ne Suevis, Regnum Siciliæ velut hereditarium repetentibus, favor aliquis in Hetruria reſideret, Regem permoviſſe magis crediderim. Erat illa equidem communis ſuſpicio, nec Regis modò, verùm etiam Pontificis. Cum enim permagni rerum motus ab Hetruria pervenire conſueviſſent, nequaquam negligendas eas partes Romano Pontifici viſum eſt. Itaq; ad comprimendum omnem exinde motum, novo quidem exemplo, ſed admodum neceſſario, gubernationem Hetruriæ, quaſi ab Imperio reciſam, ſibi ac Romanæ ſedi Pontifex reſervavit. Id autem eo tolerabilius fuit, quòd nemo per id tempus præſidebat Imperio, & ex autoritate Romanæ ſedis factum non ambitiosè conſtabat, ſed rebus ipſis vehementer flagitantibus. Reſervatâ igitur Hetruriâ ejuſq; gubernatione Pontifici, Carolus tanquam Vicarius illi præficitur. Atq; ob has cauſas permotus Rex, quaſi juſto quodam Imperii titulo, equitatum primò in Hetruriam miſit. Adventantibus itaq; Regiis copiis, cives qui nuper ſub Rege militaverant, Ducem ipſum, atq; Gallos militiæ cognitos, unà cum totâ factione, quæ ob victoriam Regis in Patriam ac Remp. redierat, gratulandi recipere parant. Contrà verò adverſarii conterriti, pridie quàm hæ copiæ Florentiam intrarent, ſponte ſuâ egreſſi abiêre, tertio ferè poſtquam exules redierant, menſe.

Carolus in ſuam poteſtatem Piſanos & Senenſes traducere cupit.

Pontifex ſibi gubernationem Hetruriæ reſervat.
Imperio nemo præſidebat.
Carolus tanquam Vicarius Hetruriæ præficitur.

Hoc itaq; diſſidio cùm partium renovata ſtudia eſſent, rurſusq; certamen futurũ appareret, cives qui in urbe remanſerant, eximiâ in Regem * benevolentiâ accenſi, quem autorem reditus ſui, & protectorem ſalutis haud falsò prædicabant,

* in Rege MS. Pal.

plenum

plenum civitatis arbitrium illi permiſerunt. Malateſtam Verruchianum Principem ejus familiæ, quæ poſtea plurimùm floruit, à rege Præfectum Florentiæ per ea tempora comperio: Summæ tamen hic præerat rei, ac Regio nomine dominatum exercebat. Nam juri quidem dicendo vindicandisq; delictis minores præerant Magiſtratus. Bellum mox à civibus, qui exierant, adverſus urbem inferri cœptum, & quidem pluribus locis: tumultuoſiùs tamen ab Hillaro; circumque ea loca hoſtis imminebat. Nec latrocinia modò clandeſtina, ſed prædę quoque palàm abactæ. Augebaturque concurſu multitudo, ut jam penè juſti exercitus inſtar haberetur.

Malateſta Verruchianus præfectus Florẽtiæ.

Latrocinia clandeſtina.

Adverſus hanc creſcentem indies manum, etiam uſque ad mœnia urbis infeſtantem Populus Florentinus egreſſus, cum hoſtis intra munimenta vi & armis cõpuliſſet, caſtellum ſubinde ipſum expugnare aggreditur: quod etſi erat munitiſſimum, tamen annitentibus civibus, qui militiæ gloriam ſibi vendicabant, ac virtutem oſtentantibus ſummâ vi capitur. Ingens exulum manus in eo caſtello oppreſſa eſt: maxima verò eorum pars in ipſo expugnationis ardore per iram cæſa: ſed præſertim in nobilitatem ſævitum. Alia inſuper caſtella, priùs quàm Florentiam rediretur, expugnata, & captivi quidam abducti, è quibus Gerius Volonianus cum quibusdam agnatorum, in parte publicarum ædium truſus, diuturnâ captivitate maceratus eſt. Inde carceri nomen inditum, non à conditore, ut Tulliano Romæ carceri; ſed ab eo qui captivus aſſervatus eſt Voloniano dicto.

Ingens Exulum manus opprimitur.

Gerius Volonianus diuturna captivitate maceratur.

Carcer Volonianus.

Reverſo in urbem exercitu ac diverſæ factionis hominibus, qui nuper ante copiatum Regis adventum demigraverant, hoſtibus judicatis, exorta eſt inter cives haud parva contentio. Hi enim, qui dudum poſt Arbienſem pugnam exularant, adverſariorum ſibi bona poſtulabant. Fuerant enim tunc eorum domus in urbe ſimul agroq; dirutæ, prædiaq; vaſtata: in quorum compenſationem nunc eorum ipſorum bona, qui tunc vaſtandi diruendiq; autores fuerant, depoſcebant. Quâ in re nulla cùm modeſtia eſſet, ſed qui plus poterat, plus habere niteretur, placuit ad Regis arbitrium rem deferri. Causâ cognitâ ſtatuiſſe Regem perhibent, ut è bonis eorum, qui hoſtes judicati eſſent, civibus, quorum olim domos villasque evertiſſent, pro cujusq; exiſtimatione damnorum ſatisfactio eſſet. Ea de causa duodecim viri ad rẽ creati cuncta examinarunt, & in libellos redegerunt. Ita reſtitutio petita eſt. Quod reliquum erat bonorum exulum, partim in Remp. verſum, partim collegio Guelfarum partium attributum eſt.

Contentio inter cives Florentinos oritur.

Videtur autem & Pontifex, & Rex, non ſine causa augendæ extollendæque hujuſce factionis ſtudioſi fuiſſe. Quippe Romanus Pontifex à Manfredo ſuisq; multifariam injurias olim perpeſſus, & tunc maximè Corradini formidans adventum, hos homines, quorum fidele obſequium & conſtantem erga ſe Romanamq; eccleſiam animum experimento cognoverat, cunctis temporibus prævalere cupiebat: & Rex fortitudinem, fidemq; eorum militiæ expertus, pro veteri amicitia, & quòd diverſam factionem in Hetruria obrutam volebat, immodico complectebantur favore. Itaque illud primò per hæc ipſa tempora conſtitutum quidam putant, ut ea civium pars collegium, gubernatoresq; publicè delectos haberet, ut eſſent, quibus commodorum ejus præcipua ſemper cura diligentiaque incumberet. Ego verò, & diu ante hoc tempus fuiſſe Duces partium in civitate comperio, idq; publicis annalibus multis extat locis. Et quidem aliquandiu obſervatum eſt, ut non cives, ſed peregrini Duces eligerentur, viri nobiles domi, & qui eaſdem in ſuis civitatibus ſectarentur partes. Itaq; Lucam Sabellum, Bertuldum Urſinum, Thomam Severianum ſuo quenq; anno Ducem Guelfarum partium Florentiæ fuiſſe legimus. His cives à factione delecti in conſilium dabantur. Sed poſtea ad cives negotium rediit, & plures ſimul Duces creari cœpti ſunt, cùm antea unus duntaxat Dux ſingulis annis eſſe conſueſſet. Id collegium maximam in urbe habet autoritatem, & velut cenſuram quandã in cives exercet; ut qui notatus fuerit, alienus ab omni honore publico habeatur. Sed hæc ſuis tẽporibus narrabuntur: nunc hactenus dixiſſe abunde ſit.

Pontifex & Rex ſtudioſi factionis fuerunt.

Duces partium in civitate Florentina.

Duces peregrini eliguntur.

Lucas Sabellus.

Berdaldus Urſinus.

Thomas Severianus.

Duces Guelfarũ partium Florentia

Cives ſimul Duces creari cœpti ſunt.

Eodem anno bellum adverſus Senenſes renovatum eſt, properantibus Florentinis Arbienſem cladem ulciſci. Itaque Præfectum Regis ſecuti, cuncta circa Senas infeſtiùs populârunt. Cùm verò maximus pugnandi ardor eſſet, hoſtem nec populationibus quidem atq; incendiis, quæ paſſim ante oculos oſtentabantur, ad pugnam pellicere valuerunt. Sed cùm iis eſſet locis exercitus, nunciatum eſt, exules magnâ manu ad Bonitium conveniſſe. Itaq; eò confeſtim verſa eſt totius belli moles. Nam

Bellum adverſus Senenſes renovatur.

Exules magna manu ad Bonitium conveniunt.

Præfectus Regis & Florentini retrò ad Bonitium moverunt caſtra. Et Piſani Senenſesque ita demum à ſe peſtem averſuros exiſtimantes, ſi alibi hoſtis diſtineretur, defendere Bonitiũ totâ vi, ac exules, qui intus erant, omni ratione ſtatuerũt confovere: ita juxtà pertinaciter atque impigrè utrinque incumbentibus, ut eo appareret toties belli diſcrimen verſari. Præfectus quidem & Florentini primo ac ſubitaneo impetu expugnare Bonitium adorti, cùm & naturâ loci egregiè muniti, & ſtructurâ hoſtium facilè repulſi eſſent, ſtativis ante opidum poſitis obſidere perrexerunt. Exules autem & ſuo ipſi robore, & magnis Piſanorum Senenſiumque adhortationibus cõfirmati, nõ minus alacriter reſiſtebant, præſertim cùm per crebros internuncios certiores fierent à Senenſibus Piſanisq;, opis ferendæ gratiâ copias ingentes parari. Is rumor per caſtra quoque diffuſus effecit, ut ex civitatibus, quæ erant in tutela Regis (jam enim frequentes ſeſe illi conjunxerant) auxilia vocarentur. Rex quoque ipſe tractus eo certamine in Hetruriam venit. Iter ejus ex Viterbio Aretium primò, inde Florentiam fuit. In utraque civitate ſummo applauſu civium, nec ullo genere honoris non impenſo, receptus, in caſtra inde ſe contulit. Primo Regis adventu opidani legatione ad eum miſsâ lenire mentem Regis nitebantur. Poſtquam verò alieniorem ſenſerunt, ac rem penitus ad vim ſpectare: machinas adduci, præſidia circa opidum communiri, ex formula ſic egerunt. Injuriaris, ô rex: ſive enim tuo nomine vim affers, Imperium Romanum, cujus poſſeſſio ſumus, indignè offendis: Sive Imperii, cujus te vices gerere in Hetruria aſſeris, fidos & benè meritos injuriâ laceſſis. Reſponſum poſtquam ex formula diſceptare placet, Imperii nomine iſta gerimus. Proinde ſi poſſeſſio Imperii eſtis, nos exercitumque noſtrũ intra mœnia ſuſcipite: Sin pactionibus tergiverſamini, ut rebelles jure ulciſcimur. Ita direta colloquia ſũt, & oppugnatio incepta. Regi apprimè rei militaris perito, & vel eximiis Ducibus comparando, nullum oppugnandarum arcium genus fuiſſe ignotum, crediderim. Sed repugnabat natura ipſa loci, qui vel de induſtria ad omnem vim arcendam factus videbatur. Sublimi atque præciſo undique ferè aditu opidum imminebat: Quâ verò collis ad opidum jungebatur, contra eum locum non turres modò; verùm etiam ſtationes armatorum oppoſitæ omnem vim hoſtium perfacilè dimovebant. Irrito igitur conatu cùm oppugnatio langueſceret, Rex diuturnâ incubatione domitare hoſtem conſtituit, nec prius abſcedere, quàm Bonitium caperetur. Quare obſidione vehementiùs intentatâ, ex amicis civitatibus magnâ multitudine confluente opidum undique cinxit, & præſidia pluribus locis communivit. Tandem cùm omnis ſpes obſeſſis ademta eſſet, ac jam neceſſaria deficerent, Bonitium Regi deditur quarto, poſtquam Rex advenerat, menſe, his qui intus erant, incolumibus abire pactis.

Bonitium obſidetur.

Exules reſiſtunt alacriter.

Bonitium Regi deditur.

Inde per mediam hiemem movens Rex, cum Florentinis, ac cæteris amicis Piſanos ingreditur fines. Capta ab eo in his locis aliquot caſtra, portus etiam expugnatus, & turres quæ portui imminebant everſæ. Populato inde circa Piſas agro, Lucam (ea tunc civitas amiciſſima Regis erat) ſe recepit. Refecto paucis diebus exercitu, poſtulantibus Lucenſibus, Mutrone obſedit. Id caſtellum non vi, ſed aſtu captum à Rege eſt. Simulatis enim cuniculis, quaſi mœnia everſuris, noctu magna vis rudetum importata, ante oculos obſeſſorum per dies egerebatur. Quare illi conterriti, cùm jam intrare mœnia falſo decepti metu exiſtimarent, arbitrio Regis ſe permiſerunt. Per hunc modum Rex munitiſſimum caſtellum recepit: Receptum autẽ Lucenſibus tradidit.

Luca civitas amiciſſima Regis.

Mutro Caſtellum aſtu capitur.

HISTOR

HISTORIARUM FLORENTINARUM,

LIBER TERTIUS.

IS qui ſecutus eſt annus, turbulentos habuit motus. Cùm enim eſſet in Hetruria Rex, ac omnes civitates, quæ priùs Federici, mox & Manfredi ſectatæ fuerant partes, præter Senenſes & Piſanos in ſuam fidem voluntatemque traduxiſſet, hos & ipſos domitare pararet, duo ſub idem ferè tempus afferuntur nuncii, altero Corradinus Italiam Tridentumq; jam perveniſſe: altero in urbe Roma atque Siciliæ motus rerum haudquaquam contemnendi, & civitatum procerumq; defectus nunciabantur. Rerum novarum cauſa hæc fuerat. Hiſpani erant duo Regii generis, Arrigus & Federicus. Hi adverſus fratrem, Regnum in Hiſpania obtinentē, infenſi, tandem extorres Patriâ exularunt, collectâq; virorum manu, quando adverſus fratrem ſe nihil proficere exiſtimabant poſſe, in Africam transgreſſi, Tunetæ apud Regem longo tempore meruerunt. Ibi prædâ ſimul ſtipendiisque ditati, cùm de communibus tandem fortunis conſultarent, placuit, ut Arrigus (is enim major erat natu) cum omni pecunia ac cætera gaza in Italiam trajiceret, Sardiniæ Regnum à Pontifice maximo petiturus. Delatus igitur è Carthaginis portu, cùm ſecundum conſilium Italiam Pontificemque adiiſſet, fautore utitur Carolo, qui nuper victo Manfredo flagrantiſſimâ apud Pontificem gratiâ prævalebat. Et erant ſanè Arrigus fratresque arctiſſimo conſanguinitatis gradu, maternâ Carolo ſtirpe, conjuncti. Quamobrem & neceſſitudinis jure & procurationis beneficio inductus, petenti Carolo magnam pecuniæ vim Arrigus mutuat. Sed dum Pontifex de Regno deliberat, & Regis gratiâ concedere parat, ortis in urbe Roma ſeditionibus, civibusque ad arma ruentibus, ad ſedandas eas tempeſtates, à Romanis Arrigus depoſcitur, ac ex Viterbio (ibi nam tunc Pontifex degebat) Romam vocatur, Senatusque poteſtas, volente Populo, illi tribuitur.

Hiſpani duo Regis generis.
Arrigus.
Federicus.
Arrigus Sardinia Regnum à Pontifice petit.
Seditio Romæ oritur.
Arrigus ad ſedendam ſeditionem depoſcitur.

Pacatâ itaque urbe, cùm veluti Dominatum jure partum, nullo reſpectu Pontificis, exerceret, ac majora quædam moliri videretur, Pontifici ſimul atque Regi in ſuſpicionem venit. Ob id intermiſſum Sardiniæ negotium eſt à Pontifice, & Carolus repetenti mox pecunias, ne majores ad nocendum facultates illi adeſſent, bono conſilio haud quaquàm reddebat. Cœperat Arrigus jam indę ab initio contrariam Pontifici Caroloque factionem magis fovere: utramque tamen intra urbem æquitatis ſimulatione continebat. Ut verò ſuſpicionem Pontificis Carolique advertit, alienus extemplo factus, Piſanos & Senenſes, ac cæteros ejus factionis homines occultè ſolicitare cœpit, ad Corradinum item mittere, favoremque ſuum, fratriſque, ac Romanam urbem, ſi adveniat, polliceri. Magnum hoſtes momentum in utroque reponebant. Itaque ad Federicum Corradus Capitius Neapolitanus Regni tunc exul, cum una Piſanorum navi miſſus eſt, literas ferens ab Arrigo fratre, ut cunctis poſthabitis, ex Africa in Siciliam ad res novandas trajiceret. A Corradino etiam frequentes ad Siciliæ Populos, & ad paternos amicos literas Regio nomine ſcriptas detulit.

Arrigus Pontifici Caroloq; factionem contrariā fovet.
Corradus Capitius Neapolitanus, exul Regni.

Maturatâ igitur re, Federicus & Capitius in Siciliam transeunt, ducentos milites Hiſpani generis, totidem Germanos, quadrigentos verò Tuſcos ſecum traduxēre. Ibi ſpargendis Corradini literis, & majoribus quàm attulerant profitendis, brevi admodum tempore Siciliam ferè totam, præter Syracuſas, & Meſſanam, & Panormum ad defectionem compulerunt. Et ſimul Romæ, ubi de Siciliæ motu auditum eſt, Arrigus non ultrà cunctandum ratus viros ampliſſimos Principes civitatis, qui Guelfarum partium erant, ad ſe in Capitolium evocatos, coronâ armatorum circumdat. Ex his Nepoleonem & Matthæum Urſinos, ſummâ gratiâ homines, ſummâque nobilitate, confeſtim, ne quis motus in urbe ſuſcitetur, extra urbem captivos delegat: Johannem verò & Lucam Sabellos, in Capitolii carcere aſſervat. Diverſæ autem factionis hominibus licentiam, impunitatemque permittit. Ita repentè mutatis rebus, eodem penè tempore de Corradini adventu, ac de Romanæ urbis motu, Siciliæque

Federicus & Capitius in Siciliā transeunt.
Sicilia ad defectionem compellitur.
Syracuſa.
Meſſana.
Arrigus Nepoleonem & Matthæum Urſinos extra Romam captivos delegat.
Johannem & Lucam Sabellos in carcere aſſervat.

defectu Rex certior factus, ancipitique perculſus malo, Senenſium Piſanorumque curam omittere, ac, veluti ad domeſticum extinguendum incendium, properare coactus eſt. Relictâ igitur parte equitatus in Hetruria, ne, Corradino veniente, civitates, quæ in fide erant, præſidio vacuæ forent; reliquæ omnes copiæ à Rege contrahuntur, & per Brutios atque Lucanos, itemque per Siciliam ad inhibendas defectiones præſidia ſubmittuntur.

Præſidia ad inhibendas defectiones ſubmittuntur.

Piſani naves lõgas ad ſolicitandas civitates adverſus Carolum dimittunt.

Corradinus in Italiam venit.

Per idem ferè tempus Piſani viginti quatuor naves longas ad populandam maritimam oram, ſolicitandaſque civitates adverſus Carolum dimiſere. Edictumque erat, ut cum litus Italiæ ſatis luſtraſſent, exulesque (magna illorum vis eâ in claſſe vehebatur) ſuis locis expoſuiſſent, in Siciliam ad Federicum & Capitium pervaderent, auxilio partium, ſi quid expediret, futuræ. Corradinum in Italiam venientem ſupra decem Germanorum millia uſque Tridentum proſecuta ſunt. Inde, ſeu pecuniarum inopiâ, ſeu quòd ſatis virium ſibi affore in Italia propter ſtudia partium exiſtimabat, ad tria millia delectorum equitum retentis, cæteram multitudinem domum remiſit. Ipſe Tridento profectus, ſecus Atheſin fluvium, Veronam pervenit: Inde ad dexteram flectens in Ligures duxit. Nam recto quidem itinere haud quaquam petere Hetruriam tam exiguis copiis auſus eſt, Bononienſibus & Reginis & Mutinenſibus & aliis quibuſdam civitatibus cum Carolo & Pontifice ſentientibus, populiſque Hetruriæ Apennini juga obſidere paratis, & tranſitu Germanos arcere. Quare Ligures petens, cùm ad litus inferi maris deſcendiſſet, ipſe quidem cum paucis mari delatus: copiæ verò per Lunenſem agrum pedeſtri itinere Piſas venêre. Paucis hinc diebus ad quietem ſumtis, cum Piſanis ac cæteris ſuæ factionis, qui ad eum ex omni Hetruria, quantum ad neminem unquam gratulabundi convenerant, Lucenſium ingreditur fines. Erant Lucæ Regii equites, quos in Hetruria ob hoc ipſum ſuprà oſtendimus à Rege relictos, & prætereа Florentinorum cæterarumque civitatum ingentes equitum peditumque copiæ. Hi omnes obviam hoſtibus egreſſi, ad duo ferè paſſuum millia, quaſi pugnaturi conſtiterunt. At Germani & cæteri, qui cum Corradino erant, adverſam aciem intuentes, ſe ad pugnam compararunt. Flumen è proxima fluens palude acies dirimebat. Hoc dum utrique ut alteri priùs tranſeant expectant, ſpatio diei fruſtra conſumto, cùm nihil aliud quàm ſeſe invicem conſpexiſſent, irritâ morâ demum abſceſsêre.

Atheſis fluvius.

Corradinus Bonitium pervenit.

Aretium in regiis partibus fidiſſima erat.

Varicum.

Corradinus haud multò poſt Piſis movens per Florentinum agrum, Bonitium pervenit, paucisque diebus circa ea loca moratus, cum omnibus copiis Senas contendit. At regiis equitibus, quos præſidii cauſâ relictos in Hetruria diximus, hoc propoſitum erat, ut æquis ferè itineribus, cum hoſte per amica vadentes oppida, ſuis facerent animos, & hoſtes à populationibus cohiberent. Itaque ut Senas perveniſſe Corradinum intellexêre, ex Florentino agro Aretium (nam ea tunc civitas in regiis partibus vel fidiſſima erat) tranſire pergunt. Cumque Varicum perveniſſent, Florentinorum equitatu comitante Præfectus Regis, quaſi ſatis virium in ſe eſſet, dimiſſis Florentinis equitibus, & offerentibus ultrà proſequi, repudiatâ operâ cum ſuis, Aretium verſus ire perrexit. At hoſtes id futurum ſuſpicati, Ducibus Florentinis exulibus decem ferè paſſuum millibus ab Aretio inſidias locant. Iter eſt peranguſtum inter ſiniſtros montes, atque Arni ripas, varioque connexu vallium aptiſſima inſidiis loca. Eò cùm regii equites neque explorato, neque ſatis compoſito agmine deſcendiſsent, hoſtes repentè ſigno dato, à fronte & à tergo ſimul invadunt. Occupatur pons à Germanis, &, quod facile erat tranſitu, Regii arcentur: Alii ſimul terga premunt: alii deſuper tela convolvunt. Ita in medio circumventi, cùm nuſquam perrumpere valerent, nec ullus ad oſtentandam virtutem locus eſſet, brevi opprimuntur. Toto ex equitatu regio, parva admodum pars, quæ ante detectas inſidias pontem tranſierat, evaſit: Reliqui omnes aut eo in loco cæſi ſunt, aut captivi Senas abducti.

Pons à Germanis occupatur.

Regii equites opprimuntur.

Hac victoria multi à Regis favore ad hoſtẽ deſciſcunt.

Hanc victoriam hoſtis magnificentiùs extollendo, cùm id latè famâ, literiſque vulgaſſet, multos mortales quaſi quodam futuri eventus præſagio, à Regis favore, ad hoſtem deflexit. In Regno tamen magis, quàm in Hetruria rebelliones ſecutæ, ſive quòd hi conſtantiores ſunt populi, ſive quòd

præſentes

præſentes victoriæ non pluris eam putabant, quàm eſſet. Cæterùm nec imminens Corradini terror, nec oppreſſio regiarum copiarum aliquas Hetruriæ civitates à fide Regis avertit. Quin etiam Aretini ipſi, quorum in oculis penè facta cædes, & profligatio erat, in partibus Regis conſtantiſſimè perſeverarunt.

Aretini in partibus Regis conſtanter perſeverant.

Inter hæc Piſanorum viginti quatuor naves, quas dimiſſas ſuprà oſtendimus, omnia circa Cajetam, ac reliquam maritimam oram populatæ, cùm multis in locis exules, ut commodum erat, expoſuiſſent, multaque ad rebellionem concitaſſent, tandem in Siciliam navigarunt.

Caieta.

Corradinus aliquot dies Senis commoratus, demum inde movens, per Ruſillanum & Viterbienſem & Sutrinum agrum, ante faciem Pontificis, qui per id tempus Viterbii erat, Romam pervenit.

Corradinus Romam pervenit.

Atqui præmiſerat ad eum Pontifex monens, ac ſub gravium comminatione cenſurarum edicens, ne Regnum Siciliæ, quod ad Romanam ſpectaret ſedem, néve Carolum ab eadem ſede appellatum Regem impeteret; ſatis ſuperq; eſſe, quod Pontifices Romani pro ſua dudum beneficentia à majoribus ejus ingratiſſimè perpeſſi eſſent. In ipſum tandem Pontificis mandata ſpernentem latæ erant cenſuræ, quas adoleſcens ſublimi animo uſque adeò contemſit, ut ante Pontificis oculos exercitum ducere, & hoſtilia cuncta oſtentare non dubitarit.

Corradinus adoleſcens Pontificia mandata contemnit.

Romæ appropinquantem Populus Romanus armatus obviam progreſſus, ſummâ omnium ordinum gratulatione Imperatoriâ transvectum pompâ in Capitolium perduxit.

A Romanis Imperatoria pompa transvectus in Capitolium perducitur.

Ibi cùm non modò Principes, verùm etiam omnes cujusque generis ſtudiis partium incenſi, ex Hetruria & Umbria, ac reliquâ Italia conveniſſent, paratis omnibus, quæ ad bellum opportuna erant. Quod per Caſinum aditus in Regnum Caroli præſidio teneri nunciabatur, per Tiburtinum Albanumque agrum finem Regni ingreſſus eſt. In his autem locis Carolum ſuis copiis, licet admodum diſparibus, obviam habuit. Nam Corradinum quidem præter tria Germanorum millia delecta, inſuper magna procerum manus ex Liguribus & Tuſcis, præterea ex Umbris & Picentibus & Sabinis, non Principes modò ejus factionis; verùm etiam multitudo ingnes ſtudio partium incenſa, item Romani cives earundem partium ſequebantur. His accedebat Arrigus Hiſpanus cum haud contemnenda manu, magnoque milirum numero mercede conductorum.

Arrigus Hiſpanus.

Carolus verò, apud Meſſanam, quæ per id tempus mari terràque oppugnabatur, per maritimam Regni oram, multis in locis copias neceſſariò diſperſerat: in Hetruriam quoque partem equitatus miſerat.

Meſſana oppugnatur mari & terra.

Magna tamen animi fiduciâ iis, quas habebat, copiis ad hoſtem ductis, non procul ab eo caſtra metatus eſt. Ibi cùm multitudinem ac robur hoſtium, viresque examinaret ſuas, artis & ingenii opus fore ſtatuit. Nam aperto quidem certamine non ſuperare modò; ſed ne reſiſtere quidem hoſti ſe poſſe confidebat. Conſilio maximè ad eam rem uſus dicitur Alardi cujusdam ſenis, viri nobilis, domi ac in re militari apprimè docti, cujus hortatu Rex ex omni ſuarum exercitu octingentos equites delectos, inſciis hoſtibus, proximo ſub colle continuit: reliquam verò multitudinem in planitiem dimiſit, præfecto quodam è ſuis Regio ornatu ſic, ut Rex ille crederetur.

Carolus utitur conſilio Alardi Senis cujuſdam in ſtruenda acie.

Ipſe non longè ab his, quos poſt collem reſervârat, paulò ſublimiori de loco pugnam ſpectaturus conſtitit. Corradini Duces cùm aciem ſtruerent, Ligures & Tuſcos & Hiſpanos in fronte collocârunt: Germanos circa ſigna in ſubſidiis poſuerunt. Ut igitur pugnari cœptum eſt, Tuſci & Hiſpani & Ligures ingenti ardore Regias turmas aggreſſi, magnam ſtragem ediderunt; nec longo tempore illorum impetus ſuſtineri potuit. Sed poſtquam anteſignanis rejectis, ventum eſt ad intima Regis agmina, & Præfectus regiis ornatus inſignibus, ad terram proſtratus, clamantibus cunctis; Regem eſſe captum: Germani quoq;, & hi, qui in ſubſidio erant, ne expertes victoriæ forent, ſeſe pugnæ admiſcuerunt.

Præfectus regiis inſignibus ornatus, ad terram proſtratur.

Ita profligatis hoſtibus, cùm paſſim fuga effuſiſſima fieret, victor quoq; inſequendo propellendoq; diſſipatur.

Caſus Fortunæ.

Nullum jam in campis denſum agmen, nullum in ſubſidiis robur manſerat: vagus miles, & prædæ intentus, quaſi certiſſimus victor exultabat. Maxima pars fugientes inſecuta ſeſe à conſpectu longè abſtulerat. Tum Rex circum ductâ repentè delectorum acie in campum deſcendit, ſtructo ipſe ac denſo agmine ſparſos invadit, multis ſubitâ vi oppreſſis, aut in fugam verſis, in ipſa ſigna Corradini fertur, ac uno momento diſſipat. Corradinus ceu miraculo attonitus, cùm è victore victus inopinatò factus eſſet, cum paucis inde comitibus aufugit.

Corradinus è victore victus factus aufugit.

git. Rex ſuos ab inſequendo continuit, ſed denſum conglobatumque tenens agmen redeuntes ab inſectatione ſuorum hoſtes, integer feſſos, & ſtructus incompoſitos excipiebat. Per hunc modum oppreſſis hoſtibus, plenâ tandem victoriâ potitus eſt. Corradinus die noctuque continuatâ fugâ Romam pervenit, & à Guidone Ferretrano, quem proficiſcens ad bellum Romæ in præſidio reliquerat, exceptus eſt. Populus quoque Romanus non invitus illum recepit, inſciâ adhuc plebe cladium receptarum: Sed mox adventantibus Romanis civibus diverſæ factionis, qui ab Artigo dudum pulſi, cum Rege in pugna fuerant, Ducibus Urſinis & Sabellis civitas confeſtim in armis fuit. Quamobtem metuens Corradinus relictâ urbe Aſturam incognitus petiit, eo conſilio, ut inde Piſas navigaret. Circum ea captus loca Regi deditur. Nec multò poſt Neapolin ductus ex ſententia civitatum, quarum Syndicos ad judicium de captivo ſtatuendum, Carolus toto ex Regno contraxerat, ſecuri percuſſus eſt, primo adhuc ætatis flore, & adoleſcens potiùs, quàm vir. Percuſſi ſunt item cum eo Dux Auſtriæ ejuſdem ferè ætatis, & Gerardus Piſanus, qui Tuſcorum Dux in prælio fuerat. Arrigus verò Hiſpanus cùm è prælio aufugiſſet, in agro Reatino captus, ac Regi traditus, jure quodam conſanguinitatis, è pactione ejus qui tradiderat, vitam retinuit, perpetuâ tamen captivitate damnatam. Poſt hæc in Sicilia, cæterisque Regni locis omnia in poteſtatem Caroli rediêre.

Carolus potitur victoria.
Guido Ferretranus.
Corradinus captus Regi deditur.
Et Neapoli ſecuri percutitur.
ANNO. 1268.
Federicus Dux Auſtriæ capitur.
Gerardus Piſanus Tuſcorũ Dux.
Arrigus Hiſpanus Regi traditus vitam retinet.

Dum ea gerebantur apud Regem, Hetruria quievit, magnâ præſidiorum parte abſente, & animis in eventum prælii omnium verſis. Verùm ut peracta res eſt, & Corradinus oppreſſus, ad bellum domeſticum verſæ mentes copias parare, ac redintegrate certamina perrexerunt. Itaque proximâ poſt prælium æſtate Senenſes exulesque Florentini, qui Senis erant, omnibus copiis profecti Colle opidum juxta Elſam fluvium obſederunt. Id, cùm Florentiæ nunciatum eſſet, confeſtim equites peditesque eò properare, ac ſociis opem ferre juſſi ſunt. Cùm aliquantò ante ſolis occaſum ad ea loca equites perveniſſent, diverſâ ab hoſtibus regione, opidi intra mœnia recepti, peditum agmen, quod tardiùs incedens, non priùs, quàm alterâ die affuturum erat, expectare conſtituerant. At hoſtes ob hoc ipſum conterriti, primâ luce retrò moverunt caſtra. Id verò cùm trepidantiùs agerent, ſpem rei benè gerendæ præbuerunt equitibus. Itaque capta repentè ſunt arma, nec ultra peditem expectare placuit: ſed egreſſi magno ardore hoſtem trepidũ, cedentemque invadunt. Opidani quoq; proſecuti, & ſpecie multitudinis & clamore juvàrunt. Ab his verſi in fugam Senenſes profligantur, nec dubitatur, ſi pedes affuiſſet, quin acerbiſſima illa clades Senenſium numeraretur. Equites tamen ipſi, quantum maximâ potuerunt, editâ cæde neminem ferè captivum ſervavêre.

Colle opidum obſidetur.
Elſa fluvius.
Senenſes in fugã profligantur.

Eodem anno Oſtina à Florentinis obſeſſa. Occupaverant id caſtellum exules, qui è prælio aufugerunt: mox cùm arctiùs premerentur, noctu deſerto loco evadere tentantes, cùm incautè id facerent, non fefellerunt cuſtodes, itaque inſurgente clamore magna ex parte aut capti, aut interfecti ſunt. Haud multò poſt reductas ab Oſtina copias, Lucenſibus poſtulantibus, quoniam adverſus Piſanos ducere parabant, equites peditesque auxilio miſſi, uſque ad Piſarũ mœnia cuncta popularunt, & caſtella quædam circa Auſerim fluvium ceperunt. Pax deinde cum Senenſibus ex diutino bello recepta. Illi enim, cùm ſpes nulla jam amplius ſupereſſet, ad Caroli gratiam converſi Præfectum ejus intra urbem acceperunt, pacemque fecerunt cum Florentino Populo. Inter cæteras conditiones pacis illa fuit, uti Senenſes Florentinorum exulum neminem Senis, Senenſive in agro eſſe, morarive paterentur. Ea de cauſa quidam exulum Senis abeuntes, Caſentinatem cùm ſeſe in agrum conferrent, capti per media loca, & Florentiam ducti ſunt, moxque de illis ſupplicium ſumtum. Inter hos fuit Actiolinus Farinatæ filius eques Florentinus patre genereque illuſtris.

Oſtina à Florentinis obſidetur.
Pax Florentinis cũ Senenſib. initur.
Pacis conditiones.
Exules Senis abeunt.
Actiolinus Farinatæ filius.

Eodem anno circiter Calendas Octobris, duabus noctibus, & luce mediâ continuatis imbribus, flumina mirandum in modum ſupra ſolitam magnitudinem excreverunt, pleraque egreſſa alveis circumjacentia inundarunt loca. Fluvius Arni factus auctior, cùm magnam vim materiæ, trabeſque exſectas, & arbores revulſas radicitùs turbulento vortice deferret ad pontem, qui eſt ad Trinitatis

Inundatio miranda.
Pons ad Trinitatis ædem ſubvertitur.

ædem,

ædem transverſus impegit. Tumentibus mox aquis, & quia eo tenebantur obice, per urbem redundantibus inſtar diluvii cujusdam, omnia complevit. Tandem majori aquarum vi, diſiecto ponte, impetus in alterum inde pontem delatus, ſimili ruinâ illum quoque ſubvertit. Ita è quatuor pontibus, qui ripas Arni intra urbem jungebant, duobus everſis, purgato demum alveo, aquæ ceſſerunt.

Alter Pons ſubruina everſitur.
Quatuor pontes, ripas Arni intra urbem jungunt.

Annum inſignem multis rebus inſigniorem fecit Pontificis mors, & contentio mox inter Patres ſecuta, quæ tantâ obſtinatione agitata eſt, ut propè biennium Tuſci * pertinaciter obdurarent. Ob eas Patrum diſcordias, adverſa factio rurſus in ſpem erecta, multa per Hetruriam moliri dicebatur: Piſisque, & apud Bonitium magnam vim hominum, diverſa ſentientium, conveniſſe: ne apud Senenſes quidem quietas eſſe res, multos enim ſpe novarum rerum apertè jam fremere. Accedebat ad hunc metum abſentia Regis neceſſariò futura, quoniam Ludovicus Francorum Rex, Caroli frater, magnâ paratâ claſſe, qua in Africam trajiceret, Carolum rogaverat, ne communi Chriſtianorum cauſæ deeſſet. Harum itaque ſuſpicio rerum ad curam Hetruriæ Regem pertraxit conantem prius quàm proficiſceretur, impendentes rerum motus conſilio prævenire. Quare Romam petens, autoritatem Senatus jampridem ſibi demandatam, ſed quodam tempore intermiſſam, reſumens, Gebellinos in ipſa urbe primùm afflixit. Mox in Piſanos converſus, quibus infenſiſſimus credebatur, quòd per ſuperiora tempora inimiciſſimo in Regem fuerant animo, quòd naves ad procurandas defectiones civitatum miſerant, quòd pecuniis & militibus Corradinum foverant: ob ea cùm putarent omnes, ne everſione quidem Piſarum ſatiari Regis animum poſſe, Florentini & Lucenſes perpetui Piſanorum hoſtes, quaſi ad certiſſimum illorum exitium ſecuturi Regem, ſe alacriter comparaſſent, contra ſpem ac vota hominum, facilè pax eſt à Rege Piſanis conceſſa. Nam ſimul atque tetigit Hetruriam Rex, legati Piſanorum præſto affuerunt, mandatis ſeſe obtemperaturos offerentes. Mari etiam, quo per id tempus prævalebant, benignè operam polliciti, ſic obviam eundo, & promptè offerendo, Regis flexêre mentem, ut non ſolùm non perſequeretur eos in præſentia; verùm etiam fœdus in futurum coiret. Id Regis factum multorum animos offendit: neque latuit Regem, ab omnibus ferè amicis improbatam ejus lenitatem, erga tam ſævos quondam hoſtes fuiſſe.

Pontificis mors. Contentio inter Patres.
** MS. Pal. [illegible]*
Adverſa factio erigitur, ob Patrum diſcordias.
Ludovicus Francorum Rex, Caroli Frater.
Carolus Romæ autoritatem Senatum reſumit. Gebellinos affligit.
Florentini & Lucenſes perpetui Piſanorum hoſtes.
Pax à Rege Piſanis conceditur.
Piſani mari prævalebant.

Proximo anno, vere primo, pax inter Florentinos & Piſanos facta eſt, præſentibus ac jubentibus Regis legatis. Fuerat enim bellum cum his poſt Corradini adventũ, nec ſanè conditiones multæ dictæ, nec libentibus animis pax recepta: ſed ne Regis autoritati refragari viderentur. Quare properans, contrario aliquo facinore, querelas amicorum tollere, Bonitium præcipuam adverſariorum ſedem, quod in opidum tota ex Hetruria homines diverſæ factionis, vel civitatibus ejecti, vel Regis adventum formidantes, ſe recipere conſueverant, per Guidonem Præfectum ſuum obſidendum, evertendumque curavit, neque tamen ita gratuitò, ut non pecunias ob eam rem Præfectus exigeret. Promiſerunt, Florentini populi nomine, Rogerius Malespina, & Clericus Pactius, equites Florentini: ea poſt everſum opidum, Præfecto flagitante, perſoluta eſt. Incolis autem (magna enim pars illorum voluntaria remanſerat) ſub ipſo monte locus ad inhabitandum conceſſus.

Pax inter Florentinos & Piſanos.
Bonitium præcipua adverſariorum ſedes.
Bonitium evertitur.
Rogerius Maleſpina. Clericus Pactius.

Ex illo jam tempore mutatam rerum conditionem reperio apud Senenſes, ac diverſâ factione ſuccumbente, in ſocietatem, amicitiamque Florentini Populi, non diſſimili partium ſtudio, deveniſſe. Pacatis igitur civitatibus, quandiu ſedes Romana vacavit, quieta omnia per Hetruriam fuêre.

Senenſes in ſocietatem populi Florentini deveniunt.
Sedes Romana vacat.

Rex autem, poſt Ludovicum fratrem, in Africam profectus, bellum unà geſſit, proſperos certè habiturum ſucceſſus, ni mors immatura Ludovicum oppreſſiſſet. Illius interitu cœpta tandem expeditio, ad irritum rediit: pactiones tantùm & tributa quædam, quo honeſtior eſſet pax, à barbaris extorta.

Ludovicus moritur.

Reverſio inde Caroli in Italiam fuit, & quidem cum omni Procerum manu. Nam & Philippus Ludovici filius, qui poſt obitum patris Regium nomen ſuſceperat, & alia Procerum multitudo Carolum ſecuta, per Italiam tranſiit. Hi etiam tunc diſcordes Patrum animos, & ſedem vacuam offenderunt. Tanta ſiquidem erat pervicacia, ut eos neque Dei metus, neque hominum preces, neq;

Philippus Ludovici filius Regium nomen ſuſcepit.

Chriſtiano-

Chriſtianorum querelæ ab obſtinatione, & certamine dimoverent. Ad extremum verò poſt longas expectationes, quia inter ſe convenire non poterant, extra collegium reſpicientes, Theodaldum Placentinum, per id tempus in Syria commorantem, Romanum Pontificem deſignârunt; qui mox Gregorius decimus nominatus eſt. Is per literas è Syria acceſſitus, ac ſummâ omnium gratulatione Viterbii inunctus, cùm haud multò pòſt Hieroſolymæ recuperandæ gratiâ, concilium apud Lugdunium, Galliæ urbem, indixiſſet, conſtituto tempore Viterbio movens, comitante Rege ac magnâ Procerum manu, Florentiam venit. Suſceptus ſummâ lætitiâ, nec minori veneratione, cùm amœnitate urbis delectatus in illa reſediſſet, amor cœpit, ſi quà fieri poſſet, ſtudia partium ac diſcordias civium ſedare, ejectosque dudum, cum bona venia illorum, qui urbem tenebant, reducere. Id ſuopte ingenio à Pontifice optatum, intenderant inſuper exulum preces, qui ſe in Pontificis autoritate reponentes, illius ad pacem invocabant clementiam. Suſcepto igitur negotio, Pontifex ante omnia de hoc ipſo cum Carolo egit, ac ubi Regem non repugnaturum intellexit, Magiſtratus Principesq; civitates magno numero ad ſe vocatos, in hunc modum traditur allocutus: Cùm ad curandas hominum infirmitates diſcipulos ſuos Magiſter ille ſupremus dimitteret, in quamcunque domum intrarent, pacem domui dicere præcepit. Et nos igitur, quanquam immeriti, ad hujus muneris ſucceſſionem vocati, ſic in mandatis ambulaſſe credemus, ſic præceptum Domini, cui non parere neſas eſt, adimpleſſe, ſi hanc veſtram urbem ingreſſi, pacem illi edicamus. Nam quid agat quis, vel ad obedientiam majus, vel ad utilitatem hominum condecentius? *Conſtat enim nec domum, nec civitatem ſalvam eſſe ullam poſſe, ſi pax exulet, diſcordia inſit.* Unde ex eodem ſacrario illa quoque ſunt promta: *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Equidem jam antea diſcordias, & ſeditiones hujus populi audiens, mecum ipſe horrebam, & nunc, cùm hanc urbem veſtram inſpexi, ac propriùs morbo admovi manum, vehementiùs horreo, miſereorque, vos prudentes quondam homines in tantam amentiam eſſe prolapſos. Etenim per immortalem illum, & ineffabilem Deum! quid ſibi volunt hæc partium ſtudia? quid contentiones iſtæ civiles? quid inextinguibile odiū, ac penè væſanus malevolentiæ ardor in proximos, in cives, in conſanguineos veſtros? *Eſt hominum quidem puerilis ſtultitiæ annos ſupergreſſorum, conſilii ſui, præſertim in re majori & ſeriâ, rationem aliquam probabilem reddere*: Vos, quæſo, utrâ tandem ratione factum veſtrum defendere poteſtis? divinâne an humanâ? *Atqui ſi divina inſpicitis præcepta, nihil eſt ferè, quod diligere magis debeatis, quàm proximos*: Vos capitaliter eos odiſtis. Si humana, nihil magis quàm Patriam: Vos impiè illam evertitis. *Neq; enim Patria quicquam eſt aliud, quàm civitas: neque civitas aliud quàm cives ipſi, quos qui pellit, qui necat, qui perſequitur, proximos odit, Patriam vaſtat.* At unde iſta væſania? unde hic tantus manat furor? Cauſam profectò non levem, non contemnendam; ſed graviſſimam urgentiſſimamque ſubeſſe oportet, quæ ad tam nefaria mentem voluntatemque perpellat. Quænam eſt igitur hæc tam præpotens, tamque perurgens cauſa? Juvat enim audire, immò doleo audiviſſe. Quod Guelfus eſt (inquit) aut Gibellinus: nomina ne ipſis quidem qui illa proferunt, nota. In his non nobilitas modò, *verùm etiam fatua plebs, cujus nec intereſſe quicquam poteſt, inſanit, ac pro ut hujus vel illius factionis eſt, ita alterius nomen in opprobrium jactat, & capitali perſequitur odio.* Ea nimirum cauſa eſt, cur cives necantur, domus incenduntur, evertitur Patria, ſititur proximi ſanguis. O puerilem ſtultitiam! O amentiam non ferendam! Gibellinus eſt: At Chriſtianus, at civis, at proximus, at conſanguineus. Ergo hæc tot & tam valida conjunctionis nomina Gibellino ſuccumbent? Et id unum atque inane nomen, (quod quid ſignificet, nemo intelligit) plus valebit ad odium, quàm iſta omnia tam præclara, ac tam ſolida, & expreſſa ad charitatem? Neque verò magis ego vos, quàm illos reprehendo. Nam utriſque idem eſt error, & querelæ ratio par. Utraque enim factio, dum potuit, cives pepulit, domos incendit, proximorum ſanguinem concupivit: altera alteram ſæpiùs ulta eſt, & ab irato Deo, quaſi flagellum quoddam ad affligendum alteutros viciſſim traditum. Cum igitur in his, quæ ſuperiori tempore à vobis factitata ſunt, inſignis ſtultitia, væſanus error, everſio Patriæ, ac divinæ ſimul, humanæq; legis contemtus non cernatur modò, verùm etiam palpetur, quid eſt jam tandem hominum ad extremum perditorum? nonne contraria facere velle, quàm ad huc feciſtis? Reſipiſcite igitur aliquando

Theodaldus Placentinus Romanus Pontifex deſignatur & Gregorius X. nominatur.

Concilium apud Lugdunum indicitur.

Pontifex Florentiam venit.

Pontifex conatur diſcordias civiū ſedare, & exules reducere.

Pontificis Oratio ad Magiſtratus Principesq; Florentinos.

Guelfus.

Gibellinus.

quando, & hæc partium ſtudia peſtifera quidem, ac deteſtanda, oblivione ſempiternâ delete. Sit pro odio charitas, pro malevolentia dilectio, pro everſione ſtatus, pro pernicie ſalus. Ecce enim illi ipſi quos urbe ejeciſtis, prævenientes pacem petunt, ac depoſito inani partium furore, memoriâque omni præteritorum deletâ, concordibus vobiſcum animis vivere cupiunt: Id illi nunciant, id ultrò ſuppliciter expoſcunt. Quomodo igitur pax etiam ad mundi hujus inanem faſtum glorioſior & honorificentior eſſe poteſt, quàm vobis Remp. obtinentibus pacem ab illis peti, ac veſtro beneficio in urbem reduci? *Nempe in alterutris injuriis extrema quæque acerbiſſima eſt:* Si itaque illi accepti recens vulneris memoriam deponere parati ſunt, quid vos, qui id vulnus intuliſtis, facere decet? nonnè multò proclivius memoriam omnem injuriarum obrutam velle? Denique quoniam hæc veſtra partium ſtudia pro Romanis Pontificibus, contra eorum inimicos, ſuſcepiſſe aſſeveratis, ego Romanus Pontifex hos veſtros cives, etſi hactenus offenderint, redeuntes tamen ad gremium recepi, ac remiſsis injuriis pro filiis habeo: Et vos ergò in noſtra cauſa, non plus quàm nos ipſos velle par eſt. Quare ſi bellum pro nobis ſuſcepiſtis, pro nobis etiam pacem ſuſcipiatis.

Pontificis oratio multitudini grata, præſtantibus autem viris onerosa.

Hæc Pontificis oratio, etſi multitudini grata, præſtantibus tamen viris, quibus tunc Reſp. nitebatur, oneroſa fuit. Itaque placuit, quando perardua videbatur res, non protinus ad eam è veſtigio reſpondere, ſed dictis ſententiis, & in conſilio re diſcuſsâ. Igitur maturè ex placito civium ad hæc ſe reſponſuros aſſirmantes, ex auditorio abierunt, coactoque poſtridie conſilio, in quo optimus quiſque ex nobilitate, plebeque haud cunctanter affuit, de hoc ipſo refertur. Dura ſanè omnibus ac minimè tuta videbatur exulum reductio, & indignabantur pleriquе, conturbatâ penè naturâ rerum, & in contrarium verſâ, id patrocinium pro inimicis adverſus amicos à Pontifice ſuſceptum. Denique & negare poſtulata, & conqueri apertè placuit. Reverſi ergo ad Pontificem, magnâ civium frequentiâ, cùm ante illius faciem mœſti procubuiſſent, unus ex his, cui mandatum fuerat, in hunc modum locutus eſt: Poſtulatio tua, glorioſiſſime Pontifex, eò nobis oneroſior fuit, quò tibi magis obtemperare optamus. Quidquid à nobis refragabitur, in eojus reverentiam ſuperabit; magnitudo periculi voluntatem. Oramus verò, eadem ut æquitate nos fideles, devotosque, aures audiant tuæ, qua adverſarios perſecutoresque audierunt. Porro, etſi magna laus eſt parcere hoſti, nunquam tamen æquum fuerit eos, qui adverſus te arma tulerint infeſta; & eos, qui pro te pugnantes proprium fuderint ſanguinem, in eodem gradu meriti collocare. *Denique nihil indignius aut perverſius eſſet, quàm ſic inimicos protegere, ut amicos impugnes.* Multa igitur in oratione tua admirati, eo vel maximo ſtupore commoti ſumus, quòd, quaſi tibi ignotum eſſet, quid ſibi vellent hæc partium ſtudia, flagitaſti, & quaſi damnatam rem ac nomina, ne ipſis quidem qui illa proferunt nota, inſectatus es. Nempe ſi pugnare pro Romana Eccleſia, ſi defendere Pontifices adverſum perſecutores, furor ac dementia vocitanda ſit, nihil eſt quod dicamus: Sin autem pium & glorioſum omnibus, ac præcipuè tibi videri debet, quo ore quæſumus Pater! ſtudia partium noſtrarum, qui ſemper hoc egerunt, peſtifera deteſtandaque appellas? Utrum partes noſtras non pro Romana Eccleſia contra Imperii aſſertores ſtetiſſe dices? vel favorem Eccleſiæ impendiſſe ſtultum ſimul ac damnatum eſſe? Atqui ſtetiſſe nos pro Eccleſia, præterquàm facta, literæ quoque Pontificum, quarum infinitus penè numerus in publicis ſervatur archivis, cohortationum & commendationum plenæ, teſtantur. Nec ſanè tam exigua fuerunt merita noſtrorum, ut quæ acerbiſſimis illis temporibus contra Federicum & Manfredum geſsimus, quæque ab illis ob favorem Eccleſiæ paſſi ſumus, tam facilè debuerint memoriâ excidiſſe. An igitur favorem Eccleſiæ impendiſſe nefarium eſt? ac eodem gradu nos, qui pro illa, contra perſecutores, arma tulimus, & adverſarii noſtri, qui impia Eccleſiæ intulerunt arma, collocandi ſumus, atque eodem crimine, quod non ſine gemitu te dicentem audivimus, partes noſtræ illorumque damnandæ? Nam quod quæris, divinâne an humanâ ratione factum noſtrum defendere poſſimus? nos & divinâ, quòd Paſtori cælitùs nobis præfecto obtemperavimus, ejusque perſecutoribus reſtitimus: & humanâ, quòd vim vi repulimus, & quod nefarios cives è civitate dejecimus. At proximos odiſſe, con-

Reſponſio Florentinorum ad Pontificem.

tra præceptum eſt: Noli quæſo nos ad hanc ſcrupuloſam vivendi normam vocare. Aliter enim cœlum, aliter terra regitur. *Porro ne prædeceſſores quidem tui, quanquàm ſanctiſſimi, percutientibus maxillam unam, juxta præceptum Domini, alteram porrexerunt:* Sed reſtiterunt viriliter adverſus Federici Manfrediq́ue plagas, & cùm reſiſtere ampliùs deſperarent poſſe, ne in altera percuterentur, trans Alpes uſque aufugerunt. Nam de Patria quidem ſatis legibus exempliſq́ue majorum cautum eſt: *malos cives in numero civium non eſſe habendos.* Sed nomina videlicet, & ipſa inania, nos commovent: Non ſumus ita leves, neque tam ignari rerum, ut verbo digladiandum putemus. Quinimmò id ipſum, quod tu magni facere videbaris, unde nomina ipſa factionum dicantur, parvi admodum momenti apud nos eſt. Quid enim refert, unde quidq́ue dicatur? Res planè ipſæ, ac facta nos commovent. Pulſi dudum urbe majores noſtri exularunt, dura ſupplicia de illis ſumta: Lacerati alii duris pœnis, alii effoſſis oculis, longo & implacabili carcere vitam amiſere: Nobis deinde per ſcelus ac proditionem fractis dirutæ domus, villæ incenſæ, vaſtati agri, necati quicunque in poteſtatem adverſariorum pervenerunt. An hoc de verbo cuiquam certamen videri poteſt? ac non potiùs de vita & ſanguine? Voca hos, ut libet: rem ipſam attendimus. Nec ſi nomen ipſum ignotum eſt, facta quoque nobis illorum ſunt ignota, & quæ dudum fecerint, & quæ facturi ſunt, ſi poteſtatem nanciſcantur. Nam quod prævenientes pacem petunt, quodq́ue memoriâ præteritorum deletâ concordibus nobiſcum animis vivere ultrò & ſuppliciter expoſcunt, una atque eadem reſpondendi vera, & ſimplex ratio eſt. Errat profectò bonitas tua, beatiſsime Pater, ſi illorum verbis credendum exiſtimat. *Fortuna quidem illis mutata eſt, animus verò idem permanet.* Credamus ergo illorum verbis, ſi non aliâs ipſi nos credentes fidenteſq́ue apud Arbiam ſimul cum Patria prodiderunt: Pacem petentibus annuamus, & intra mœnia recipiamus, ſi non iſti ipſi intra mœnia retenti, tempus nocendi contra fidem obſervârunt. An verò, quòd tunc nullo impellente, præter inſitam acerbitatem fecerunt, nunc extremâ plagâ exulceratos, quam, ut à te diſſerebatur, acerbiſſimam eſſe conſtat, non exiſtimabimus eſſe facturos? Non eſt ita. Plerique enim plus quàm oportet offenſionis * memoriam ſervant, nec quiſquā inimico, & læſo non ſtultè ſe credit, *quoniam hominum voluntates obſcuræ ſunt, verba & frons perſæpè mentiuntur.* Itaque non tam hujus inanis, ut tu modò vocitabas, faſtus nobis eſt cura, quàm ſalutis noſtræ, nec tàm gloriam affectamus illorum ex reductione, quàm ex rejectione, ſecuritatem. Quod autem extremo in loco tua, quaſi validiſſimum habuit, oratio, ſi bellum pro vobis ſuſcepimus, pro vobis quoq; pacem ſuſcipere debere: quanquam in eo autoritas tua nos admodum frangit: tamē vide, ne æquum ſit, cùm in extrema odia & graviſſimas inimicitias conjeceritis, tunc pacem nobis periculoſam indicere, ac illis ipſis quos offendimus, ſalutem noſtram ut credamus, poſtulare. Quare ſi pax duntaxat petitur, ut pro vobis bellum ſuſcepimus: ſic etiam pacem ſuſcipere non abnuimus: Sin, ut in urbem quoq; recipiantur; curam ſalutis noſtræ nimiùm abjeciſti. Neque enim par fuerit, te illos ad gratiam, & nos, intra mœnia recepiſse. Nam tibi quidem quid periculi receptio illa afferre poteſt? Nobis verò quid non poteſt intra una mœnia futuris? Sed quid nos, aut de æquitate cauſæ, aut de meritis noſtris diſſeramus, quos tu reſipiſcere * jubes, & contraria facere, quàm adhuc fecerimus. O incredibilem temporum mutationē! O ſpem fatuam noſtram! An cùm Innocentius, cùm Urbanus, cùm Clemens, Romani Pontifices, anteceſſores tui, nos adhortationibus, & literis ad perſecutionem adverſariorum impellebant, cùm ſigna dabant, quæ armati ſequeremur, *cùm opera noſtra non ſolùm glorioſa mundo, verùm etiam Deo accepta prædicabant, laudibus extollebant, quiſquàm putaſſet, fore aliquando; ut Romanus Pontifex nos pro his factis reſipiſcere, * contraria facere, quàm adhuc fecimus, commoneret?* Non poſſumus dicere non eandem eſſe ſedem, (eſt enim una & perpetua) ſed illud dicimus, *nos ab Romana ſede in fraudem compulſos, quòd, ad quæ inſtanter hortata fuerit, ea nunc acriter reprehendit & damnat.* Tu autem, Pater, vide etiam atq; etiam quid agas. Multa quidem tempus affert, variæq; viciſſitudines rerum ſerpunt, nec, ſi nunc perſecutoribus caret Eccleſia, in futurum quoque carituram exploratum habes. Veniet profectò tempus, in quo ſtudia faventium improbaſse nequaquam conducet, ac reſipiſcent forſan plures, quàm tua lenitas debeat optare.

* infenſionis. MS. Pal.

* reſpicere. MS. Pal.

* reſpicere. MS. pal.

Magiſtra-

Magiſtratus quidem, & cives qui ad Pontificem venerant, ita dixere: Pontifex autem nihilominus in propoſito permanſit. Denique urgere atq; monere non priùs deſtitit, quàm in ſe arbitris ſumtis * ad res componendas, pacem pronunciavit inter cives, graviſsimis in ejus pacis transgreſſores conſtitutis pœnis. Ad tollendam verò ſuſpicionem eorum, qui urbem tenebant, complures ab exulibus juſſit fidei ſervandæ gratiâ obſides tradi. Ea cùm perfeciſſet, baſilicam dedicavit Gregorianam, quæ eſt trans Arnum, juxta ſupremum pontem. Nam & ipſe, quam diu Florentiæ diverſatus, ædibus reſederat Mozianis ei Baſilicæ finitimis. Lætatusq; ſuâ tandem operâ pacem eſſe factam, literas in parietem ejus baſilicæ, hujus pacis memo rationem continentes, incidi non abnuit, quæ hodie quoque in eo loco extant. Hæc tamen omnia, plus in præſentia ſpei, quàm in poſterum ſucceſſus habuêre. Cives enim qui graviter tulerant adverſariorum in urbem reditum, haud multò poſt hæc ſuſpiciones fingere, rumorem ſpargere, occultè quædam machinari. Deniqꝫ tantum terrorem illis, qui per fœdus redierant, incuſsêre, ut conſiſtere non auſi, ſponte ſuâ demigrarent. *Ita longos Pontificis in pacandâ civitate labores brevis adverſatio irritos fecit.* Quæ cùm poſtea reſciret, uſque adeò indignè tulit, ut non ſolùm obſides ab exulibus traditos è veſtigio reſtitui juberet; verùm etiam transgreſſores graviter multaret, Populoque & urbi interdiceret Sacris. Huic interdicto ferè per triennium civitas obnoxia fuit. Nec facilè dixerim, major obſtinatio in Pontifice, an contumacia fuerit in civibus. Neque enim Pontifex, quamvis multùm rogatus, interdictum ſuſtulit: neque præſtantes in Rep. cives eo conterriti mutaverunt ſententiam.

[*Margin:* *Pontifex in propoſito permanet.* — * ipſe arbiter ſumtus. MS. Pal. — *Ædes Mozianæ.* — *Pontifex Populo & Urbe interdicit Sacris.* — *Major obſtinatio in Pontifice, quam contumacia in civibus.*]

Altero dehinc anno Bononiæ ſeditionibus exortis diverſa factio urbe depellitur. Eo ſtudio partium equites profecti, cùm jam appropinquarent, egreſsi contra Bononienſes, nec ſibi eſſe opus auxilio dixerunt pulſis adverſariis, nec in urbem recipere Florentinos velle, ne majoris turbationis materia oriretur. Ita palàm ſpreto civitatis ſubſidio, non ſine indignatione Florentiam rediêre.

[*Margin:* *Bononiæ ſeditiones oriuntur & diverſa factio urbe depellitur.*]

Diverſa eodem anno apud Piſanos fortuna fuit. Illi enim iisdem ſeditionibus agitati, Johannem Gallutæ Judicem cum parte civium pepulerunt. Is ad Florentinos Lucenſesque confugiens, ſtudio partium in ſocietatem ſuſceptus, copiisque adjutus, acre bellum intulit Piſanis. Sed hic haud multo poſt morbo interiit.

[*Margin:* *Piſani ſeditionibus agitantur. Iohannes Galluræ Iudex urbe pellitur.*]

Poſtero de hinc anno Ugolinus comes cum omni reliquâ factione Piſis per ſeditionem pulſus, & ipſe quoq; ad Lucenſes Florentinosq; confugit, & in ſocietatem receptus eſt. Magnus hic rerum motus Piſanis fuit, propterea quòd non in urbe modò, verùm etiam per agrum magna multitudo Ugolinum ſectabatur. Itaque Florentini & Lucenſes in ſpem erecti, exercitum parare, ac exules Piſanos fovere ſtatuerunt. Cùm omnia paraſſent, magnis equitum peditumque copiis fines Piſanorum ingreſſi, non ſolùm populaverunt agrum: verùm etiam caſtella quædam Piſanorum ceperunt: quod indignationem Pontificis auxit. Nam ille paulò antè præceperat civitatibus, nihil inter ſe hoſtile moliri, ſed ad ſuum arbitrium controverſias referre. Itaque dolens, pœnas contemni à ſe dictas, multo vehementiùs irritatus eſt.

[*Margin:* *Ugolinus Comes Piſis per ſeditionem pellitur.* — *Pontifex vehementius irritatur.*]

Per hæc ipſa tempora ſynodus apud Lugdunum celebrata, multaque à Pontifice proviſa, ad propoſitum illud ſuum recuperationis Hieroſolymæ pertinentia. Nam & cum Græcis quibusdam fœdus eſt ictum, & quidam ejus gentis errores improbante concilio ſublati. Et Rodulfus jam pridem ad Romanum delectus Imperium, ſub eâ conditione receptus, ut proximo inde anno in Italiam tranſiret.

[*Margin:* *Synodus apud Lugdunum celebratur. Rodulfus ad Romanum Imperium deligitur.*]

Secuta eſt Pontificis reverſio, qui eodem ferè itinere, quo profectus erat, repetivit Italiam. Ergo ſuperatis Alpibus, cùm in citeriorem Galliam primò, mox in Hetruriam deſcendiſset, & jam Florentiæ appropinquaret, etſi non deerat ſuſpicio ingens apud Principes civitatis, ob ſuperiorem indignationem; tamen reverentiæ magnitudo, & ſanctitatis opinio uſq; adeò prævaluit, ut, omiſsis cæteris reſpectibus, omnis multitudo urbana obviam profunderetur. At Pontifici erat propoſitum ab ingreſſu urbis abſtinere: Itaq; non longè à porta deflectens iter, ex via Bononienſi, quâ tunc adventabat, in Aretinam viam contendit. Fortè Arnus per eos dies factus auctior majorem ſeſe objecit, quàm uti vado tranſmitti poſset. Eâ vi coactus eſt Pontifex, contra propoſitum animi, per pontem iter facere, urbisq; partem tranſitu attingere, nec quicquàm moratus continuò egreditur, duobusq; paſsuũ millibus

ab urbe viâ Aretinâ diverſatus eſt. De interdicto autem tollendo nihil ab eo impetrari potuit. Tantùm, dúm per urbem iter fecit, gratiam & benedictionem civibus exhibuit: egreſſus verò iiſdem, quibus prius cenſuris, ob noxiam reliquit civitatē. Inde poſtridie movens Aretium petiit: eò cùm perveniſſet, haud multos poſt dies morbo correptus gravi è vita migravit, tertio Idus Januarii, quarto ferè anno poſtquam ſedere inceperat. Fuit autem vir optimus, & procul dubio ſanctiſsimus, ingentis quidem animi contra Chriſtiani nominis inimicos, & qui Sacræ recuperationem terræ ſemper meditaretur, ad eamque unam rem Chriſtianos omnes, poſitis inter ſe contentionibus, intendere debere cenſebat. Ea de cauſa fiebat, ut ſtudia partium, quæ plerique Romani Pontifices aptè foverant, ipſe quidem propellere longè deteſtarique videretur. Sepultus eſt Areti ſummâ cum veneratione, multaque circum illius corpus miracula, poſtmodum ſubſecuta, fidem ejus ſanctitatis indubiam præbuêre.

Pontifex gratiā & benedictionem civibus exhibet.
Pontifex Gregorius X. moritur.

Poſt novendiale ſacrum incluſi Patres, Innocentium quintum Pontificē creaverunt. Hic inter primas gratulationes interdictum Gregorianum contra Florentinos poſitum benignè ſuſtulit, civitatemq; ad ſedis Apoſtolicæ gratiam recepit.

Innocentius V. Pontifex creatur.
Gregorianū interdictum cõtra Florentinos ſuſtulit.
ANNO, 1278.

Proximâ dehinc æſtate Florentini & Lucenſes magnis equitum peditumque copiis fines Piſanorum ingreſſi ſunt. Foſſa erat interim munitionis causâ manu facta, quæ regionem ſecans in Arnum procurrebat. Hanc Piſani crebris per eam propugnaculis ad vim hoſtium propellendam excitari tutabantur. Cùm ad eam ventū eſſet, ac ſæpius tentata, incaſſum tranſitio foret, quoniam lata & profunda foſſa, deſuper tutelis firmata, hoſtes facilè repellebat. Una tandē pervadendi via animadverſa eſt, per ipſum fluvii alveū ſecus foſſæ caput. Itaq; contractis eò repente copiis, equites primò, mox pedites tranſiêre. Inde ad lævā converſi, Piſanos pluribus locis ſparſos, ad tutelam foſſæ, repentino impetu pervadunt. Turpis fuga hoſtium paſſim fuit, nec priùs finis inſequendi factus, quàm ad ipſa Piſarum mœnia pervenerunt. Florentini & Lucenſes poſt victoriam longo captivorū agmine, multaq; præda, victricibus copiis ad ipſam foſſam, unde Piſanos dejecerant, reductis, ſtativa poſuêre, nihil inde nō hoſtile cõtra Piſanos moliētes. Dum his eſſet in locis Florentinorū exercitus, Valaſcus quidam Hiſpanus à Pontifice miſſus in caſtra perv:nit, inducias q; indixit ex Pontificis autoritate. Idem quoq; apud Piſanos ab eo factum, Poſt hæc mediū ſe cum interpoſuiſſet, caſtigando atq; monendo pacem extorſit. Conditiones in ea dictæ, ut Piſani Ugolinum comitem, cæteroſq; exules in urbem reciperent, bonaq; quæ ante exilium poſſederant, integra redderent. De aliis verò omnibus, quibus de controverſia eſſet, in Pontificis arbitrium conſenſerunt. Ita ab armis tunc diſceſſum eſt.

Florentinorum & Lucenſium victoria in Piſanos.
Valaſcus Hiſpanus ex Pontificis autoritate inducias indicit.
Pax cum Piſanis.
Ugolinus, Comes in urbem accipitur.

Per hos ipſos dies Innocentius Pontifex Romanus, qui apud Aretium nuper aſſumtus fuerat, Romæ deceſsit, ſexto ferè poſtquam ſedere inceperat menſe. Eo defuncto apud Lateranum incluſi Patres, Adrianum creaverunt. Is fuit genere Italus patriâ Genuenſis. Hoc etiā intra paucos dies Viterbii defuncto, Johannes XXI. creatur, genere Hiſpanus, qui & ipſe ſexto poſt coronationem menſe, apud Viterbium caſu teſtudinis periit. Ita quatuor Pontificibus intra biennium defunctis, tandem Nicolaus tertius ad Pontificatum aſſumitur, vir præſtantiſsimus, ex gente Urſina. Hic etſi familiâ ſtudio partium vel præcipuâ ortus, Regi tamen privatim infenſus erat, quòd nuper mortuo Romæ Innocentio, cùm ad deligendum Pontificem incluſi de more Patres conveniſſent, præſidens conclavi Rex Gallicos Patres contra Italos vel impudenter foverat: ex quo magna noſtrorum in ſe contraxerat odia. Eâ igitur indignatione accenſus Pontifex, & ſimul qui majorem potentioremque eſſe putabat, quàm libertati expediret, multa in ſuo Pontificatu molitus eſt, quo Regiam amplitudinem nimis elatam, deprimeret, Nam & Vicariatum Hetruriæ, quem Eccleſia Regi commiſerat, exinanivit, & Senatoriâ urbis poteſtatem, quam ad eam diem continuârat Rex, coëgit dimittere: Conſtitutione inſuper editâ, *ne, cuiquam Regi, aut Regiâ ſtirpe oriundo, ſenatoriam, aliamvè dignitatem Romæ habere liceret:* per quam nota inurebatur Carolo & Arrigo Hiſpano, qui proximi fuerant Senatores. Ut quoq; Romana ſedes minùs operâ indigeret Regis, Bertuldum Urſinū propinquum ſuum turmas equitum alere juſsit, ſub prætextu urbium recuperandarum, quæ per id tempus à Guidone Feretrano Principe diverſarum partium, in Umbriâ occupabantur. Diſcordias quoque, & ſimultates civitatum Hetruriæ,

Innocentius Pontifex Romæ decedit.
Adrianus Pontifex creatur.
Johannes XXI. pontifex eligitur.
Pontifices quatuor intra biennium moriuntur.
Nicolaus. III. ad pontificatum aſſumitur.
Pontifex molitur Regiam amplitudinem deprimere.
Bertuldus Urſinus.

pec

per quas fautores partium, & infinitam pecuniarum materiam Rex captare ſolebat tollendas, ſopiendasque curavit per Latinum legatum, virum religioſum, ac præcipuæ autoritatis. Igitur tertio anno Pontificatus Nicolai, Latinus Florentiam veniens, magno honore à civitate receptus eſt. Mittebat illum Pontifex gratiâ inimicitiarum publicè, privatimque tollendarum. Præter induſtriam legati, quæ in prenſandis hominibus, hortandisque plurima fuit, illa quoque res non mediocriter ſuffragata creditur ad pacem, quòd nobilitas per id tempus acerbis inter ſe inimicitiis conflictabatur, armatæque familiæ per urbem longis agminibus incedebant, pugnæque & vulnera crebrò committebantur, non ſine trepidatione tumultuque civitatis. Itaque hac deformitate rerum faſtiditi cives, ac planè fatigati, à deſiderio reducendorum exulum non penitùs abhorrebant. Nec porrò nobilitas reſiſtere poterat, cùm integra non eſſet, & quod alteri renuerent, id alteri ſequendum vel de induſtria ſuaderent. His de cauſis factum eſt, ut longè faciliorem viam Latinus ad res componendas haberet, quàm dudum eadem in cauſa, atque re Gregorius habuiſſet. Exhortatus ergo homines, cum autoritatem Pontificis publicè privatimque interponeret, tandem civium pacem, ac reductionem exulum fieri, obtinuit. Quo autem major firmitas paci ineſſet, advocatâ concione, cùm multitudo omnia compleſſet, ipſe ſublimi de loco profatus, longâ oratione, commoda pacis explicuit, eamque velut ſalutarem acceptandam, ſervandamque ſuaſit. Conditionibus deinde ex arbitrio pronunciatis, ſyndicos exulum aſſurgere juſsit, publiceq; inſpectante populo in mutuos amplexus civium devenire. Ad tollendas verò ſuſpiciones multos utrinque vades ultro citroque dari juſsit. Forma quoque Reip. gubernandæ ab eo noviter inſtituta eſt, creato Magiſtratu quatuordecim virorum mixtorum ex utraque factione, qui pro tempore præeſſent civitati, publicis compoſitis negotiis, privatas ſubinde inimicitias tollendas curavit, pacatis familiis tam ejusdem factionis inter ſe, quàm diverſarum, ubicunque privata odia, ob cædes aut vulnera, ſubeſſent. Ea quò magis rata forent, affinitatibus ultro citroque contractis homines cenſuit obligandos. Monumenta verò damnationum in publicis archivis contra exules per ſuperiora tempora repoſita, non cancellanda modò, verùm etiam unà cum libris tollenda providit, quò penitus earum rerum deleretur memoria. Bona quoque exulum, quæ vel à fiſco ex publicatione, vel à privatis per potentiam tenebantur, illis, quorum fuerant, uti reſtituerentur, effecit. Ex hoc jam tempore diverſa factio magnâ multitudine in urbem rediit, præter quosdam Principes, quibus Concordiæ gratiâ reditus eſt ad tempus aliquod dilatus. Fuerunt autem hi circiter ſexaginta ex præcipuis familiis diverſæ factionis, quibus circa urbem Romam exilii locus pro voluntate Pontificis deſtinatus eſt. Illud præterea additum, ut caſtella quædam circa urbem in Pontificis cuſtodia eſſent, utque Magiſtratus Florentiæ Pontifex ad biennium ex arbitrio daret. Ea cùm perfeciſset legatus, ingenti prudentiæ famâ non immeritò partâ, abiit relictâ civitate pacatâ & concordi, quam impacatam diſcordemque ſuſceperat.

Latinus Legatus Pontificis.

Latinus Florentia civium pacem ac reductionem exulũ obtinet.

Forma nova Reipub. gubernanda à Latino inſtituitur.

Magiſtratus 14. virorum creatur.

Caſtella quædã circa urbem ſua in poteſtate Pontifex reſervat.

Cæterùm ex hac providentia legati, & ſimul ex revocatione Vicariatus, de quo ſupra mentionem fecimus, Rex dominatum Florentiæ omninò dimiſit, liberaque jam civitas, & ſui juris facta, à quatuordecim viris gubernabatur. Hic rerum ſtatus ferè biennium duravit, nec dubitatur, ſi is Pontifex vixiſſet diutiùs, quin longè magis ea forma Reip. fuerit duratura. Igitur quatuordecim viris ex utraque factione Remp. gubernantibus, primo quidem anno quieta omnia domi forisque fuerunt, nec quicquàm memoriâ dignum per id tempus accidit. Secundo quoque anno quies domi viguit, *foris autem multa, ceu nubila in ſereno coorta, futuræ tempeſtatis formidinem incuſſère.* Cauſæ verò turbationum hæ ſuberant. Nicolaus, de cujus animo erga Regem ſuprà diximus, proximo autumno apud Suriam arcem ſeptem millibus paſſuum à Viterbio, cùm reficiendi ſui gratia eò ſeceſsiſſet, ſubitò apoplexiæ morbo correptus, & officio linguæ deſtitutus, paucos poſt dies migravit è vita.

Rex dominatum Florentia dimittit.

Nicolaus Pontifex apoplexia correptus moritur.

Quo ſublato, cùm de ſucceſsore deligendo inter Patres agitaretur, aſſumti nuper (à Nicolao *) Cardinales, Italicum; altera verò factio, & ipſa per ſe potens, & ab Rege ſublevata, atq; impulſa, Gallicũ cupiebat. Aliquot menſes cùm eo modo concertaſſent, neq; de Pontifice convenire poſſent, Viterbienſes infenſi Urſino generi ex ſuperiori dominatu, ſeditione factâ, ad arma ierunt, novosq; ſibi

* Non erat in. MS. Pal.

Certamen inter Patres in eligendo pontifice.

Viterbienſes duos Vrſinos Cardinales abducunt.

Magiſtratus pulſis veteribus creaverunt. Inde cæco, amentiq; furore, conclave, quo Patres incluſi erant, irruentes, duos Urſinos Cardinales per vim detractos, non ſine contumelia abduxerunt. Abductus eſt etiam cum his Latinus ille, quem legatum nuper Florentiæ pacis autorem fuiſſe, ſuprà monſtravimus. Sed hic poſtmodũ conclavi redditus eſt: Duo autem Urſini privato carcere detenti. Quo facto, altera Patrum factio præpotens, ac planè victrix, quem cupiebat, Pontificem habuit.

Martinus IIII. Pontifex creatur.

Creatus eſt igitur Martinus quartus, natione Gallus. Hic uſque adeò Regi cõjunctiſsimus fuit, ut omnia ſibi debere videretur. Ex hac itaque conjunctione & præſentiâ Regis, qui paulò pòſt gratulatũ ad Pontificem decurrerat, civitates Hetruriæ, quæ dudum in partibus fuerant, rurſus ad Regem inclinari cœperunt, ejusque nutum in cunctis reſpicere. Quare Præfecto Rodulfi Imperatoris, quem ille poſt ablatum Regi Vicariatum, volente Pontifice, quaſi redditum Imperio, in Hetruriã miſerat, Florentini & Lucenſes parére amplius noluerunt. Ob eam rem comminari ille primò, & multas proferre: mox ubi cognovit parvipendi, collectâ manu quâdam Germanorum equitum Miniate ex opido, quam veniens in Hetruriam ſibi arcem ſedemq; delegerat, bellum adverſus Florentinos Lucenſesque commovit. Hæc res ſtudia partium, quæ jam extincta videbantur, iteratò incendit. Itaque non multo poſt in ſuſpicionem converſi Piſciam opidum Lucenſis agri, cujus incolæ ad diverſas partes inclinare videbantur, Lucenſes Florentinique ſimul junctis copiis obſederunt. Cùm obſeſsi de conditionibus agerent, Florentinique mitiorem partem amplexi, recipiendas ſuaderent; objurgati ſunt à Lucenſibus, quòd mixti ex utraque factione, priſtinam illam vim animi, in tuendis partibus, amiſiſſent. Ita ſublatâ reconciliationis ſpe Piſcia oppugnatur, captaque tandem ad ſolum evertitur.

Rodulfi Præfecto, Florentini & Lucenſes parere amplius nolunt.
Miniates opidũ.
Rodulfus Florẽtinis & Lucenſibus bellum cõmovet.
Piſcia opidum obſidetur.
Piſcia ad ſolum evertitur.

Per hoc ipſum tempus Sicilia tota à Rege defecit, & ſimul per Flaminiam, atque Umbriam. Guido Feretranus Princeps diverſæ factionis multa audere moliríque ferebatur. Ob hæc omnia, cùm jam planè ſtudia renovari partium cernerentur, cunctaque ſuſpicionibus redundarent, Florentini conſortium diverſæ factionis hominum, qui in adminiſtranda Rep. dudum recepti fuerunt, amovendũ cenſuerunt. Quare quatuordecim virorũ officio, qui mixti ex utroq; genere, civitatem regebant, antiquato, Priores artium creavêre. Tres ab initio creatos conſtat, poſtea ſex, inde duodecim, mox octo, quòd ſuis quidem temporibus apparebit. Nec tamẽ hujus Magiſtratus nomen tunc primò in Rep. repertum eſt. Conſtat enim annalibus octoginta fermè annis, ante id tempus, Priores artium in Rep. fuiſse; ſed poſtea omiſſum, ac penè obliteratũ, tandẽ hoc tempore amplificatâ poteſtate, reſumtũ eſt.

Sicilia tota à Rege defecit.
Guido Feretranus.
Priores artium Florentiæ creantur.

Populare autem maximè id genus adminiſtrandi eſſe, vel ex nomine iſto intueri licet. Quòd enim potentes quidam plus nimio turbationis optare videbantur, ad pacatum tranquillumq; genus hominum, non tam bellis, & contentionibus, quàm negotiis in pace gerundis intentũ, civitatis tranſlata eſt gubernatio. Atq; ob id Priores artium dicti, quia non ex rapacibus neq; ſeditioſis, ſed ex frugali, pacatoq; hominum genere, ut cujusque exercitia erant, ſuffragiis Populi anteferebantur. *Nam qui inertes ſunt, ex aliorum bonis nutriantur oportet.* Hunc Magiſtratũ, nomenq; hodie quoque in civitate durare, trigeſimo atq; octavo ſupra centeſimum anno, ſignum fuerit, non abſq; optima ratione excogitatum fuiſſe. *Nam quæ damnoſa ſunt, etſi non homines, at tempus, experientiaq; rerum magiſtra redarguit, nec diuturna fore permittit.* Primi tunc omnium Priores artium creati fuerunt Bartolus Bardius, Jacobi equitis filius, ex familia nobili, & inprimis locuplete; Roſſus Bacarelli, Salvius Clari Hieronymi. Hi publicis ædibus incluſi, nec aliud quicquam, quàm de Rep. cogitare juſsi ſunt, & ſumtus ex publico eis præbiti, cùm cæteri omnes ante id tempus Magiſtratus, domum ſuam redire poſt negotia conſueſſent. Duodecim apparitores illis à Populo dati, ſex viatores ad convocandos cives, totidem ad cætera obeunda miniſteria. Tempus autem hujus Magiſtratus bimeſtre conſtitutum eſt, quod hodie quoq; ſervatur. Poſt hos duplicatus eſt numerus, & ſex pro tribus ſuffragio civium ſuffecti: In ſex enim regiones diviſâ civitate ſingulos ex ſingulis ad Prioratum ſumĩ placuit.

Priores artium cur dicantur.
Primi Priores artium.
Bartholus Bardius, Iacobi equitis filius.
Roſſus Bacarelli.
Salvius Clari Hieronymi.
Duodecim apparitores,
Sex viatores.
Tempus huius Magiſtratus bimeſtre fuit.

Eodẽ anno imbres aſsidui, circiter Idus Decẽbres, cõplures dies noctesq; cõtinuati, omnia penè urbis loca inundârunt, ab his cùm ſementes dilutæ, ac ſolo abraſæ, interiiſſent, confeſtim ademtâ ſpe futurarũ meſsiũ, annonæ caritas eſt cõſecuta.

Imbres aſsidui.
Annonæ caritas.

Per

Per idem tempus Caroli Regis filius, novis rebus Siciliæ excitus, ad patrem è Gallia properans, cum quadam manu equitum Florentiam venit, nec minori applauſu receptus eſt, quàm ſi pater urbi dominaretur.

Eodem quoque anno Caroli auxilio miſſi equites urbani ſexcenti apparatu inſigni, qui Regi in Siciliam trajicere feſtinanti circa Rhegiũ Calabriæ opidum ſeſe conjunxerunt, & in obſidione Meſſanæ, aliiſque ſubinde locis, fideliter ſimul ſtrenuèque ſuam operam navârunt.

Rhegium Calabriæ opidum.

Res poſtulare videtur, ut de rebellione Siciliæ, ac de cæteris quæ eidem acciderunt Regi, diſcurſu breviſſimo referamus: præſertim cùm ejus res adeò ſint cum civitatis rebus connexæ, ut magnoperè interſit illum cognoſcere, & auxilia eò miſſa quibus ex cauſis evocata, quibuſve locis obſecuta fuerint, non aliter, quàm per eorum explicationem queat intelligi. Poſt victum Corradinum, recuperatamque Siciliam, cum civitates, quæ dudum Capitii & Federici victu rebellaverant, in Regis fidem poteſtatemque rediiſſent, Præfecti ad eas gubernandas viri Gallici, feroces naturâ, atque ſuperbi, innumeras Siculis inferebant clades, tãtaque erat gubernatorum petulantia, ut non jam liberorum hominum, ſed mancipiorum loco Siculi haberentur. Pro leviſſimis rebus, ac ſæpè pro verbo liberiùs emiſſo, ſupplicia aderant crudeliſſima. Delatorum plenæ erant urbes, laquei & ſecures in leviſſimis habebantur pœnis. Adhæc avaritia Gallorum inexhauſta, & auri cupido inſatiabilis, nocentes pariter innocenteſq; pervadebat, nec ullus rapinarũ erat modus: Divitiæ pro crimine majeſtatis læſæ habebantur, ut quiſque ampliſſimo erat patrimonio, ita in periculum acerrimè vocabatur. Id genus hominum rebellionis autor fuiſſe, id maledixiſſe Regi, id Corradini imaginem domi habuiſſe, accuſabatur. Jacturæ fortunarum jam in conſuetudinem venerant, optabiles quidem, modò ſupplicia excarnificationeſq; ceſſarent. His accedebant libidines nõ majorũ modò, verùm etiã miniſtrorum, in uxores & filias Siculorũ, ſine ullo reſpectu aut verecundia, ut quidq; placitum fuerat. Hanc duriſſimam ſervitutem aliquot annis perpeſſæ civitates, *tandem ſuperante patientiam magnitudine injuriarum, in furorem vertuntur.* Initium rerum novarum à Panormitanis factum: Hi enim diem feſtum extra urbem agentes, cùm à Gallis eò profectis arma explorarentur, ac eo prætextu ſinus mulierum, papillaſque attrectarent, * concitâ ob eam fœditatem ſeditione, Gallos lapidibus primò, mox armis perſecuti, omnes interfecerunt. Rumor deinde Panormo in alias civitates delatus, eodem exemplo ad arma, & cædem populos excivit. Ita per totam Siciliam trucidati Galli, cùm ardor eorũ petulantiæ proprio ſanguine extinctus eſſet, nõ ſolũ divitias malè coacervatas; ſed corpora inſuper Siculis reliquere.

De rebellione Siciliæ.

Viri Gallici Siciliæ civitatibus præficiuntur.

Gallorum avaritia.

Libidines in uxores & filias Siculorum.

** Obtrectarent. MS. Pal.*

Panormitani omnes Gallos interficiunt.

Galli per totam Siciliam trucidantur.

Rex per id tempus in Hetruria erat, qui auditâ Siculorum defectione magnis itineribus in Regnum contendit: eò cùm perveniſſet, copias undique contrahit: Florentinos ac cæteras civitates amicas auxilia rogat. Ipſe apud Rhegium, quâ proximè eſt transmiſſio in Siciliam, conſtitit: ibi copias venientes excipit, quæque opportuna ſunt ad tranſitum parat. Erat perdifficilis transmiſſio, propterea, quòd omnes fermè Regis naves in Siciliæ portibus navalibuſque aſſervabantur, quæ tunc rebelles cuncta tenebant. Itaque contractis ex omni maritima Italiæ ora navibus, Meſſanam, quæ proxima erat, traductis copiis obſidere incepit. Vehemens ejus urbis oppugnatio fuit, nec remiſſior ſanè eorum, qui obſidebantur in reſiſtendo audacia. Nam & Rex in hac una urbe, quam primò circumſederat, * judicium de ſe fieri apud alios Siciliæ populos haud falsò exiſtimabat, utque res ea ſucceſſiſſet, ita ab aliis quoq; aut formidari ſe, aut contemni. Et Mamertini contrà victoris iram pertimeſcebant, Gallorum ſuperbia, crudelitaſque ante oculos verſabatur, cui fœditati honeſtam profectò mortem cenſebant præferendam. Rege circa Meſſanam habente caſtra, bellicumque terrorem Siculis oſtentante, civitates crebris legationibus ad Petrum Arragonum Regem miſſis, ſibi ut ſubveniret, precabantur: Regnum Siciliæ ad illum pertinere docebant, quoniam uxor ejus Conſtantia, Manfredi quondam Siciliæ Regis filia eſſet, ad quam, conſumtâ virili prole, haud dubiè Regni pertineret ſucceſſio: Poſſeſſionem verò civitates unanimiter & cupientiſſimè offerre. Jam verò Manfredi mortem ulciſci, ad quem magis, quàm ad generum nepoteſque ſpectare? *præſertim cùm idem ſit interfector, idem occupator Regni, idem civitatum vexator, quæ pati ut ludibrio habentur, contra, decus ſit Regii nominis.* His tandem vocibus

Meſſana obſidetur.

** circum ſteterat. MS. Pal.*

Mamertini.

Petrus Arragonum Rex.

Conſtantia Manfredi Siciliæ Regis filia.

permotus Rex Siciliam capeſſere conſtituit. Et adjuvabat celeritatem ejus cœpti quòd ipſe paulò antè magnâ paratâ claſſe in Africam trajecerat, afflictiſque magnâ ſtrage Barbaris, & opido in litore expugnato, non longè à Sicilia victorem exercitum claſſemque habebat. Profectus igitur ex litoribus Africæ cum Panormo applicuiſſet, receptus ſummâ gratulatione à Panormitanis, Rexque Siciliæ appellatus, ſtructis de cætero navibus Meſſanam petere contendit. Carolus, quòd prævalere hoſtem claſſe intelligebat, ac periculoſum arbitrabatur, totâ Siciliâ adverſante in illa includi, & commeatus penuriâ urgeri, diſſolvendam obſidionem, ac in Italiam remeandum ſtatuit. Id Regis conſilium ubi per caſtra innotuit, tantus repentè concurſus ad mare factus eſt, properantibus cunctis ne in poſtremis trajicerent, ut non multùm à fuga, & deſperatione res illa diſtare videretur, tentoria, & machinas, & apparatum omnem in caſtris relinquerent. Vix dum traducto exercitu, hoſtium claſſis advenit. Carolus autem, quia non decertandum in præſentia; ſed aliâ ratione gerendum exiſtimabat bellum, copias diſſolvit, & auxilia amicorum domum remiſit. Sed claſſis dum abiret, per ſpeculatores hoſtium conſpecta, ab Arragonibus invaditur, ex ea aliquot naves, in quibus Piſanorum triremes fuerunt quatuor, ex fœdere nuper ad Carolum miſſæ, capiuntur, & Meſſanam ducuntur. Equites verò Florentini à Rege dimiſſi domum rediêre incolumes quidem, præterquàm quòd tentorium publicum ex more Duci eorum traditum, in illa fuga in caſtris apud Meſſanam amiſerant, quòd à Mamertinis captum, diu inter ſpolia aſſervatum eſt.

Rex Siciliæ ſummâ gratulatione à Panormitanis recipitur.
Carolus in Italiam remeare ſtatuit.
Carolus copias diſſolvit.
Piſanorum triremes quatuor capiuntur & Meſſanam ducuntur.
Florentini tentorium amittunt.

Altero dehinc anno domi quies fuit (nec laceſſitis bello, nec laceſſentibus. *) Nam & Præfectus Rodulfi nuper in Hetruriam miſſus, qui Miniate ex opido bellum cœperat inferre, non conſequentibus viribus ab incepto deſtiterat, & miſſi ad Carolum equites domum remeârant. Itaque ad lætitiam converſis animis, ludi quidam inſignes eo anno per urbem dati, & apparatus magnifici vicatim propè exhibiti, viri unum in morem veſtes pleríque albas induti, mulieres quoque omni ſumtuoſitate ornatus, compitalia exercuêre.

** In MS. Pal. non erant.*
Compitalia renovantur.

Sequitur poſt hunc annus inſignis multis rebus. Eo anno fœdus ictum eſt cum Genuenſibus. Superaverant enim illi paulò ante Piſanos navali prælio, & reliquias belli perſequebantur. Quamobrem credebatur Piſanorum nomen omne poſſe deleri, ſi Genuenſes quidem mari, Florentini autem & ſocii, terrâ adorirentur. Et profectò cauſæ ſuberant legitimæ ad bellum, quòd illi poſt pacem non ſatis pacatè in Lucanos finitimos ſe habuiſſe, Rodulfique Præfecto bellum nuper inferenti, cohæſiſſe arguebantur. Ad hoc igitur icto fœdere Florentini & Lucenſes, cæterique ſocii conſtituto tempore profecti, ad ipſa propè Piſarum mœnia poſuerunt caſtra. Genuenſes autem mari aderant quadraginta longis navibus. Hæ terreſtres maritimæque copiæ cuncta igne ferroque populatæ ſunt. Poſt multiplices illatas clades exercitus diſceſſêre, eo propoſito, ut proxim dehinc æſtate majori apparatu, mari terraque, rurſus coirent ad Piſas obſidendas. Cùm itaque ſalus nulla Piſanis ſuper eſſe videretur, Ugolinus comes, qui Florentia ex pace nuper redierat Piſas, locum, adverſarios criminandi nactus, quod obſtinatâ quadam perverſitate Florentinos Lucenſeſque ſibi inimicos infeſtoſque reddidiſſent, quibus cum amicè erat vivendum: Quid, inquit, profuit hæc pervicacia, ut propè omnium finitimorum diverſas tàm cupidè arriperemus partes? Ego quidem ut mari propagandum populi Piſani Imperium; ſic terrâ vicinas civitates benevolentiâ, & charitate putabam continendas. Id profectò majoribus noſtris ſapientiſſimis viris placuiſſe video, qui Corſicam, qui Sardiniam, qui Baleares inſulas procul ſitas, Imperio ſubjicientes ſuo, Lucam in veſtibulo penè urbis noſtræ poſitam, intactam reliquerunt. Hi verò contrà præclari gubernatores noſtri moleſtiſſimas ſimultates domi parantes, nullâ probabili ratione perpetuos nobis hoſtes à terra imminere procurarunt. Et nunc quoque mea ſententia eſt, Florentinos eſſe pacandos. Nec ſanè id videtur difficile, ſi ejus rei naturam penitùs diſcernamus. Etenim quibus de rebus nobis atque illis contentio eſt? De Sardiniæ dominatu? an de inſularum aliarum poſſeſſione? At id ne in cogitationem quidem eorum unquam venit. An certare nobiſcum volunt de rerum maritimarum potentia?

Fœdus ictum cum Genuenſibus.
Genuenſes ſuperarunt Piſanos.
Piſa obſidetur à Florentinis Lucenſibus cæteriſq. ſociis.
Ugolinus Comes.
Ugolini ſententia in Florentinis pacandis.
Corſica, Sardinia. Baleares inſulæ.

At id

At id quidem curæ illis nunquam fuit. An quòd agro noſtro indigent, quem colant, ex quóve alantur? Satis ipſi quidem ſuperque habent agri, neque noſtrum requirunt, neque expoſcunt. Quid eſt ergò, quod nos cum illis in contentionem deduxerit, præter inane quoddam partium ſtudium, leviter corrigendum, ſi paucorem rabiem, qui hac inimicitiâ nos ſuperfluo onerârunt, comprimamus. Hæc ab illo haud falsò jactata metus imminens comprobabat. Septuaginta quidem naves longas parare Genuenſes ferebantur: A terra verò magnos delectus equitum peditumque haberi, ut proximâ ætate Piſas obſiderent. Id formidantes Piſani cùm una ſalus videretur, ſi Florentini à ſocietate Genuenſium averterentur, Ugolino comiti, quòd is Florentinorum ſociorumque amicus, & ſtudio partium ſimilis habebatur, adhæſerunt. Ille, ubi mentes civium ad ſe traductas vidit, diverſæ factionis capita deturbat, ac ſuo jam nomine civitatem gubernat, ad hoc ipſum auxilia Florentini Populi implorat. Ea mutatio rerum Florentinos deflexit. Itaque reliquo bello, quod proximâ æſtate ad Piſas geſtum eſt, nequaquàm interfuerunt, contenti mutatione rerum, & amicâ factione, pro inimica urbi præfecta. Quare à Genuenſibus tantùm, qui cum ſeptuaginta navibus longis conſtituto tempore affuerunt, & à Lucenſibus, qui perſeverârunt in fœdere, bellum eſt poſtea illatum. Nec dubitatur ſi Florentinus in fœdere permanſiſſet, extremam fuiſſe perniciem illam Piſanis futuram.

Apparatus ad Piſas obſidendas.

Ugolinus ſuo nomine Piſas gubernat.

A Genuenſibus & Lucẽſibus Piſanis bellum infertur.

Eodem anno producta urbis pomœria ſunt, & nova ſubinde mœnia longè majori ambitu deſignata, celeberrimiſque viis, Caſentinati, Bononienſi, Pratenſi, Piſtorienſi opera portarum egregiè inſtituta. Ea verò ſecunda, an tertia productio fuerit, haud equidem certiſſimum dixerim. Plurimi tamen exiſtimant ſecundam fuiſſe, cùm prima de templo Martis ad Thermas publicas, ac theatrum vetus complecterentur mœnia: Inde productum conſtat pomœrium, hinc ad ripas fluminis, illinc ultra ſacras Laurentii ædes. Tertiò longè progresſum eſt, ut ſuprà diximus, quibus in locis nunc mœnia portæque exiſtunt. Trans Arnum verò prima ædificatio fuit circa vetuſtum pontem, ſuburbana ædificia, & villæ hortis permixtæ. Inde mox vici tres facti, duo ſecus Arnum ſupra infraque pontem, tertius relictâ à ponte viâ. Hi vici diu abſque munimento publico fuerunt, ac proptereà frequentes in his locis turres privatim factæ, quò tutò habitari in illis poſſet. Tandem & hi mœnibus cincti, colleſque ſupernè munimentis apprahenſi. His quoque in locis mox creſcentibus incolis, ædificiiſque ſubinde adjunctis, pomœrium productum eſt, longè majori ambitu quàm prius, portæque magnifici operis tres factæ, celeberrimis trans Arnum viis, Piſanâ, Senenſi, Aretinâ.

Florentina Pomœria perducuntur.

Secunda Productio Mœnium.

Vici tres Florentia.

Portæ tres.

Eodem anno Carolus Rex moritur, vir procul dubio egregius, longè tamen belli artibus quàm pacis inſignior: res ſiquidem à ſe præclaras armis geſtas, impunita ſuorum licentia, in pace fœdavit, ac nimio deſpectu ad rebellionem coëgit. Duabus præcipuis in Italia victoriis auctus, alterâ quâ Manfredum, alterâ quâ Corradinum ſuperavit. Sed utraſque ſecutæ rebelliones, minùs eſſe lætas permiſerunt. Ad extremum capto filio, Siciliaque amiſsâ, in medio turbationem maximarum interiit apud Foggiam Calabriæ opidum.

Carolus Rex moritur.

Caroli Victoriæ duæ.

Altero dehinc anno Guilgelminus Aretinorum Præſul caſtrum Cæciliæ admodum naturâ munitum in finibus Aretini agri, Senas verſus, occupavit, præſidioque militum impoſito, novis rebus Senenſes conterruit. Itaque contractæ eò properè Senenſium copiæ, & à Florentinis miſſi equites pediteſque caſtrum circumſedêre. Varia de hinc oppugnatio, & uſque in menſem quintum protracta obſidio, quæ tam valida fuit, affluentibus undique auxiliaribus turmis, ut Præſul Aretinorum, etſi coactas ipſe quoque oſtentarat copias, tamen apparatus magnitudine abſterritus, ferre ſuis auxilium non ſit auſus. Fame tandem oppugnati, qui intus erant, deſerto per noctem caſtro, fugâ ſibi conſuluerunt: ſed eâ cognitâ per hoſtes, magna pars intercipitur. Ipſum verò caſtrum, ne quando propter egregiam ejus loci opportunitatem ſimilia tentarentur, ad ſolum uſque Senenſes everterunt.

Guilgelminus Aretinorum Præſul caſtrum Cæciliæ occupat.

Caſtrum Senenſes ad ſolum uſque evertunt.

Per hoc ipſum tempus Princivallis Fuſcanus ab Rodulfo in Hetruriam miſſus parere ſibi civitates poſtulabat: conſenſiſſe ejus miſſioni Honorium Pontificem Romanum, qui nuper Martino ſucceſſerat, vulgò ferebatur. Et dedita opera, quò mi-

Princivallis Fuſcanus.

Honorius Pontifex Romanus ſuccesſit Martino.

quo minus abhorreret animi, ut Italus genere, & ſtudio partium non alienus legaretur. Is cùm Florentiam intraſſet, & prece magis, quàm autoritate niteretur, plus valuit reſpectus cauſæ publicæ, quàm privati generis. Itaque ut aliis, ira & huic parere civitas noluit. Quare poſt paucos dies Florentiâ egreſſus, Aretium petiit. Ibi quoque cùm eadem poſtulaſſet, neque alteram factionem trahere in ſententiam potuit, quòd à nomine Imperii abhorrebat: neque alteram, quoniam nomen familiæ Tuſcanæ, ex qua ipſe ortum ducebat, ſuſpectum partibus habebatur. Ita ab utriſque ſpretus, randem abivit.

Legato Roduſſi Florentia parere noluit.

Legatus ſpretus abit.

Proximo poſt hunc anno ſemina graviſſimarum turbationum Aretii coorta, finitimas civitates in ſuſpicionem primò, mox in apertum bellum, compulêre. Haud multò quidem ante id tempus Aretini, exemplo Florentinorum permoti, Priorem artium ſibi creaverunt, virum quendam popularem, ac nobilitati maximè infeſtum: Guelfo huic nomen fuit. Is armata multitudine caſtella quædam Aretinorum per nobilitatem priùs occupata, repetere: mox quia dicto non parebatur, obſidere cœpit. Nonnulla verò ex his pertinaciùs reſiſtentia tandem vi capta expugnataque ad ſolum æquavit. Præcipuè tamen Pactiorum & Ubertinorum potentiæ infeſtus, quorum caſtella pluribus locis cùm evertiſſet, tandem Civitellam obſedit, in qua Guilgelminus Præſul, homo diverſarum partium, & Aretini Populi inimicus, reſidebat. Eo in loco dum exercitus eſſet, Principes nobilitatis, qui primò ob ſtudia partium variè inter ſe diſſidebant, veriti, ne, ſi opidum ductu, auſpicioque Prioris expugnaretur, in nimiam plebs evaderet potentiam, à ſe quoque uſurpata repoſceret: eo metu anxii, & ſimul invidiâ plebis commoti, reconciliatis inter ſe animis, ac ſeditione in exercitu factâ, Duce Rainaldo Boſtole ad hoſtes transfugerunt. Ob eam rem obſidio ſtatim ſoluta eſt, ac exercitus domum reductus.

Turbationũ ſemina Aretij oriuntur.
Aretini Priorem artium crearũt, Guelſum.

Paſtiorum & Ubertinorum familia.
Civitella obſidetur.
Principes nobilitatis ad hoſtes transfugiunt.

Rainaldus Boſtoles Dux.

Nec multò pòſt omnis nobilitas unà cum Præſule, contractis undique ſuis amicorumque viribus, Aretium intravit, impetuque in Priorem artium facto, cùm illum fractâ ac depulsâ plebe, corripuiſſet, evulſis per contumeliam oculis, fœdum ſpectaculum ſuis civibus dimiſit. Urbem verò ac publicarum rerum curam inter ſe partiti gubernabant: Bonos & graves è plebe viros urbe dejecerant. Nec tamen is ſtatus rerum diuturnus fuit: *Nam peculiare nobilitatis malum, ſuperbia & ambitio, conflictare dominantes cœpit.* Itaque ſuſpicionibus coortis Guilgelminus Præſul unà cum Ubertinis & Pactiis, ex quibus ipſe oriundus erat, cæteriſque Aretinorum familiis ejus factionis impigrè raptis præveniens armis, nobilitatem cæteram urbe deturbat: Ipſe per gentilium agnatorumq; favorem ſublevatus, tyrannidẽ invaſit. Erant duæ factiones Aretio pulſæ: una ex plebeis, qui Priorem artiũ ſecuti fuerant: altera ex nobilitate per fraudem poſtmodum ejecta. Hi omnes in unum coeuntes caſtella Rondine, Sabinum, & alia quædam circa urbem munita loca occupârunt, bellumque ex his Aretio intulerunt. Mox quia non ſatis per ſeſe exiſtimabant poſſe, ad Florentinos legatione miſsâ, cujus Princeps fuit Domitianus quidam è familia veteri, opem ſupplices precebantur. Addiderunt & orationem precibus, ex vetuſtate amicitiarum, ac ſimili ſtudio partium collectam. Nullam eſſe Florentino populo, ſi antiqua repetantur, neq; vetuſtiorem, neque diuturniorẽ ſocietatem, quàm cum ea parte Aretinorum, quæ nunc à communibus inimicis ejecta, ſupplex in ejus fidem patrociniumq; cõfugit. Cum hac enim parte ſtatim poſt Federici mortem fœdus, ſocietatemq; initam eſſe à Florentinis, tunc primùm ex longa ſervitute ſeſe in libertatem vindicantibus. Hac eâdem parte Reip. gubernacula tenente (quo quidem anno pugnatum fuit apud Arbiam) bis equites pediteſque Aretinorum Senenſem agrum cum Florentinis ingreſſos: In ipsa verò Arbienſi pugnâ plures propè cæſos fuiſſe Aretinorum acervos, quam ullius ſociæ civitatis. Poſt longum deinde exilium ac fractas opes, Carolum Regem ſubſidio partium cælitùs demiſſum, vix ab ulla per Hetruriam civitate receptum eſſe priùs, ab Aretinis. Copias inde ſuas & Corradino venienti oppoſuiſſe, ac in tanta trepidatione cunctorum, cum propè in oculis ſuis cædi exercitum Regis conſpexiſſent; tamen in fide unà cum Florentinis conſtantiſſimè perſeveraſſe, neq; poſtea obſidendo Bonitio, neq alìis locis, ubi de ſtudio partium ageretur, ſuam aut operam, aut præſentiam defuiſſe. Nunc eoſdem ſe Aretio pulſos, non tam vi contrariæ

Præſul cum nobilitate Aretiũ intrat.

Aretio duæ factiones pelluntur.
Rondine Sabinũ caſtellum.
Exules Aretio bellum inferunt.
Domitianus exulum princeps.
Exulum Aretinorum oratio ad Florentinos.

contrariæ factionis civium, quàm exterorum: Guilgelminum ſiquidem potentiam omnem ex clientelis ac finitimis tyrannis diverſarum partium coëgiſſe, ſeque domeſticâ ſeditione plebis nobilitatiſque laborantes, partim vi, partim perfidiâ pepuliſſe. Orare, uti pro veteri amicitia, proque diuturna cõjunctione non patiantur eos ab ſe fruſtra auxilium petere. Nam utilitatis quidem rationem minimè ſe explicare velle, cùm apud homines loquantur prudentiſſimos, & qui probè norint, quantum interſit, diverſam factionem, an amicam urbi illi præeſſe, præſertim cùm Pactii, & Ubertini, & hujuſmodi homines quietis ſimul, libertatiſque hoſtes in eâ dominentur, quibus cum haud dubium ſit, bellum tandem Florentino populo eſſe futurum. Cæterum referre, utrum nunc tenentibus amicis circa urbem caſtra, & opportunitatem maximam præſtare valentibus, an poſtea illis jam perditis, bellum ſit ſuſcipiendum.

Florentinorum reſponſio.

Movit oratio mentes, quippe vera eſſe conſtabat, quæ ab legatis dicebantur. Itaque reſponſum illis datum eſt: Populum quidem Florentinum bono eſſe animo, verùm & ſociorum ſententiam illis eſſe expectandam, quos ad hoc ipſum è veſtigio convocarent. Accitis deinde ſociorum Legatis, reque in conſilio diſcuſsâ, conſtituerunt, Aretinos exules, ut pote vetuſtos amicos, in communem ſocietatem ſuſcipere, uſque opem ferre, quoad in urbem, atque in ſua reſtituerentur. Ad hoc ipſum renovato fœdere octingentos equites illis decrevêre. Horum quingentis è veſtigio traditis, reliquos ſeſe, cùm res exigeret, miſſuros polliciti. Recepto igitur ſociorum equitatu, Aretini exules, cùm ipſi quoque equitem peditemque ſatis magno numero armaſſent, per ſingulos ferè dies, uſque ad Aretii mænia crebris incurſionibus infeſtabant. Quare & hi, qui urbem tenebant, diverſarum item partium auxilia poſtulare coacti ſunt. Ob eam cauſam omnes Florentini exules, qui ubicunque terrarum erant, eò concurrerunt, præter hos quoque ex Umbria, & Picentibus ſtudio partium inſignes complurimi. Ita certamen atque bellum ex integro naſcitur.

Omnes Florentini exules concurrunt.

Florentia incendia uno anno bis oriuntur.
Cerretanorum & Circulorum ædes cremantur.
Honorius Pontifex obit.

Eodem anno bis incendia Florentiæ coorta: primum in Cerretanorum ædibus, deinde aliud longè majus, quo Circulorum domus crematæ ſunt, ingenti cum jactura prædivitis familiæ. Honorius quoque Pontifex Romanus per hoc ipſum tempus deceſſit; biennio poſtquàm ſedere inceperat.

Proximo dehinc anno cura in Aretinum verſa bellum. Nam auxilia diverſæ factionis eò contracta Florentinum ac Senenſem agrum ſubitis incurſionibus reddebant infeſtum. Tandem proficiſci totis viribus, & ſimul exules Aretinorum in ſocietatem receptos fovere, ſimul eorum, qui intra urbem erant, petulantiam reſcindere placuit. Ea de cauſa magni delectus Florentiæ habiti ſunt: Senenſium verò ac ſociorum aliorum copiæ ingentes arceſſitæ. Ex his omnibus confectus eſt ingens equitum peditumque numerus. Signa militaria aliquot dies antè, extra urbem promta, tempusq; profectioni conſtitutum pridie Calend. Jun. quod ubi advenit, ſigna moventes, Aretinum verſus, per ſuperiorem Arnum contenderunt. Nec inſignior apparatiorve exercitus, nec omnibus rebus inſtructior poſt Arbineſẽ pugnam emiſſus ferebatur. Cùm in fines Aretinorum perveniſſent, Leonam & alia pleraq; circa Ambram fluviũ caſtella ceperunt, eorũ plurima in deditionẽ accepta, nonnulla etiam vi expugnata. Inde copiæ Laterino admotæ. Id opidũ Arno ſupereminet, octo paſſuũ millibus ab Aretio, naturâ loci ſatis munitũ. Circa illud ſtativis poſitis, cùm circumvallare opidũ cœpiſſent, & appareret, pertinaciùs incubaturos: Lupus quidam exul Florentinus, qui cum aliqua manu in præſidio erat, conterritus magnitudine apparatus, paciſcitur, uti cũ ſuis abire incolumi liceat. Ita deducto præſidio opidum tradit. Florentini ergò & ſocii poſt Laterinũ captũ, inde jã ſtructi, ad hoſtẽ duxerunt, proximèq; contra Aretiũ poſitis caſtris, crebra prælia in portis ipſis commiſerunt, omniaq; circa urbẽ igne, ferroq; hoſtilẽ in modum vaſtârunt. Ad VIII. Calendas Quintiles * nõ procul à porta, ludicrũ, equorũ curſu certantiũ, præmiumq; de more, ut domi eâ die fieri conſuevit, ab illis editum eſt. Inter eos verò ludos procella ſubitò coorta, in ea parte caſtrorum, ubi Senenſium tendebant copiæ, ſic vehementer inflavit, ut magnam partem tabernaculorum veſano quodã impetu ſtridoreq; glomeraret. Id præſagium futuræ cladis Senenſium fuit, quod

Exercitus inſignis.
Leona capitur.
Lupus exul Florentinus.
Laterinum Florentinis traditur.
* Sextiles MS Pal.
Ludicrum, equorum curſu certantium, editur.

paulò

Pugna Aretinorum cum Senẽſibus. *Senenſes ſuperantur.* * Non erat in MS. Pal.

paulò poſt ex re ipſa intellectum eſt. Nam confectis his rebus cùm abire placuiſſet, Florentini eodem, quo prius venerant, itinere: Senenſes autem diverſâ regione, viâ Senenſi remeabant. Eorum itaq; diſceſſum conſpicientes Aretini, qui intra urbem erãt, invadere Senenſium agmen ſtatuerunt. Itaque poſt eos quàm citatiſſimè egreſſi quatuor ferè paſſuũ millibus ab urbe conſequuntur. Ibi vertere ſigna retrò, ac decertare invitos compellunt. Sed ubi manus conſerere cœperunt, & eques equiti, pedes pediti congreſſus rem comminùs gerere, pugna erat atrox, & clamor ingens, variæq; fluctuationes, & cædes annitentibus utrinq; edebantur. Tandem ſuperati Senenſes, omiſsâ reſiſtendi ſpe, in fugam vertuntur. Magna eorum ſtrages per iram & indignationem ſuperioris vaſtationis, à victoribus * edita eſt. Qui verò eorum à cæde ſuperfuerunt, maxima ex parte capti ſunt, & Aretium ducti. Florentini verò nihil penitùs eorum ſentientes, necubi intermiſſo itinere Laterinum pervenerunt. Ibi cùm paulò pòſt deletas Senenſium copias cognoviſſent, quanquam graviter eos angebat ſociorum caſus, & jactabant quidam, ad comprimendam Aretinorum inſolentiam, exercitum eſſe reducendum: tamen vicit eorũ ſententia, *qui tuta magis, quàm ſpecioſa ſuadebant*. Itaq; parte equitatus Laterini relictâ, quæ Aretinorum cohiberet impetum, reliquas omnes copias Florentiam reduxêre.

Bellum apud Piſanos exoritur. *Ugolinus comes Ugolinum Galluræ judicem Piſis pellit.* *Ugolinus comes in carcerẽ traditur.* *Florentini cum Piſanorum exulib. Piſis bellum inferunt.*

Dum ea geruntur in Aretinis, alia inſuper bellorum materies apud Piſanos exoritur. Ugolinus enim comes, cujus mentionem ſuprà fecimus, Ugolinum Galluræ Judicem, hominem & ſtudio partium & conſanguinitate ſibi conjunctum, Piſis pepulit. Ipſe malo conſilio cum diverſarum partium hominibus in gratiã rediit, à quibus non multò poſt ea captus, in carcerẽ traditus. At Ugolinus Galluræ Judex, cæterique Piſani cives per factionem ejecti, ad Lucenſium Florentinorumq; opes confugientes, cauſa fuerunt fœderis inter civitates renovandi. Itaque eodem anno auxilia equitum, peditumque à Florentinis miſſa, unà cum Lucenſibus agrum Piſanum intrarunt: Ibi conjunctis Piſanorum exulibus bellum Piſis intulerunt.

Area circa Baptiſterium Florentiæ exaltatur. *Hera fluvius.*

Eodem anno Florentiæ exaltata eſt circa Baptiſterium area, & lateritio opere conſtrata, cæmentis de induſtria congeſtis, quo reliquæ urbis ſuperficiei par eſſet, pecuniâ ad eam rem perficiendam ex ærario promtâ. Pontis etiam ad Heram fluviũ (id enim caſtellum in Florentini populi ditionem paulò antè pervenerat) arx & turres inſigni opere communitæ, civesque ad ejus cuſtodiam loci, bini cum militari præſidio deſtinati.

Carcianum. *Exules Aretini Florentinorum opem implorant.* *Aretini obſidionem diſſolvunt.* *Bibiena.*

Inter hæc Aretini ob victoriam de Senenſibus habitam majorem in modum elati, caſtella, quæ ab exulibus tenebantur, magnis copiis oppugnabant. Cum itaque Carcianum circumſediſſent, atq; id caſtellum omni apparatu urgerent, cæteris quoque caſtellis eadem vis immineret, exules Aretini difficultate rerum commoti, Florentiã oratum mittunt, ne ſe extremo in periculo cõſtitutos, in hoſtiũ manus pervenire patiantur. Commota ob id civitas, mittendas iterum copias in agrũ Aretinum decrevit: non tamen tanti apparatus, quanti priore expeditione facti. Quod enim obſeſſi ægrè ſuſtinere oppugnationem credebantur, ob id magis properare, nec auxilia ſociorum expectare placuit. Itaque urbani equites ad octingentos, mercede conducti ad ducentos, peditum verò ad quatuor millia in hoc ſubitaneo exercitu fuêre. Has copias cùm adventare ſenſiſſent Aretini, obſidionem diſſolverunt, revocatiſque in urbem copiis, & multitudine confeſtim armatâ, certiſſimo dimicandi propoſito, obviam hoſtibus progreſſi ſunt, atque ubi in conſpectu fuerunt, aciem ſtatuunt, poteſtatẽq; pugnãdi faciunt. Florentini, quia prævalere illos multitudine intelligebant, Laterini copias continebant, tantùm militem de ſuperiori loco, conjunctum penè mœnibus opidi oſtentabant, in planitiem verò non deſcendebant. Itaque irritâ tandẽ expectatione abſque ulla pugna diſceſſum eſt. Sed Aretini quoq; abceſſerunt, parte copiarum Bibienam tranſmiſsâ, Caſentinati viâ uſque ad Sevã fluvium tumultuoſiùs profecti, tantum terrorẽ incuſſerunt, ut Florentiæ intra mœnia trepidaretur. Ob eam rem copiæ confeſtim revocatæ.

Flumen Arni urbem inundat.

Eodem anno circiter Idus Decembris continuis imbribus auctum flumen Arni totam ferè inundavit urbem: quædam etiam adjacentia ædificia ejus impetu corruerunt.

Varicum oppugnatur. *Collina.*

Nec multò pòſt Aretini magnis copiis profecti ad Varicũ fecerunt caſtra, opidumq; oppugnarunt. Inde pars copiarum tumultuoſius delata Collinam ad uſque prædabunda pervenit. Eo de loco (neque enim plus quàm ſeptem paſſuum millibus

bus Florentia abeſt) quàm magna poſſunt incendia oſtentant. Hoc tumultu in ſuſpicionem verſæ mentes, cùm præſertim manus quædam exulum Florentinorum cum Aretinis veniſſe diceretur, verentibus Principibus civitatis, ne quid arcani ſubeſſet mali, juventutem obviam exire cupidam intra mœnia continuêre. Quare hoſtes licentiùs vagati, poſt magnas demum illatas clades, prædamque abundè captam, qui circa Varicum erant, revertuntur.

Per idem tempus Piſani ſtudio partium inducti, Guidonem Feretranum, juſſu Pontificis, in Gallia exulantem crebris arceſſitum literis, ſibi Ducem præfecerunt, quo Lucenſibus cæterisque ejus factionis, Ugolinoq; Galluræ judici exulibusque aliis nuper ejectis, à quibus laceſſebantur bello, reſiſterent. Ugolinum verò comitem, quem ſuprà captum, & in carcerem truſum oſtendimus, cum duobus filiis, totidemque nepotibus, unà in turri ſimul clauſis, ſubtracto protenus cibo, fame necaverunt, ad eam immanitatem nihil ob aliud, quàm ob ſtudia partium, impulſi. Cæterùm ea res Lucenſium ſociorum ſuſpicionem adauxit, & parare vires animumq; in futurum certamen coëgit. Ita cuncta viciſſim Hetruria ſtudiis partium erecta conflictabatur.

Guidonem Feretranum Piſani ſibi Ducem præficiunt.

Ugolinus Comes, cum duobus filiis & totidem nepotibus fame necatur.

HISTORIARUM FLORENTINARUM

LIBER QUARTUS.

Iam appetebat ver, & una omnium cura in Aretinum verſa erat bellum. Florentini quidem procrebris incurſionibus, oſtentatisq; nuper urbi incẽdiis: Senenſes verò pro calamitate prælio acceptâ properabant ulciſci: Lucẽſes antiquâ partiũ voluntate Florentinis conjuncti: adhoc Piſtorienſes, Volaterrani, Pratenſes, aliiq; ſocii ſequebantur. Cives præterea ejuſdẽ factionis Aretio pulſi, qui frequentia circa urbem caſtella occupârant, & in ſocietatem Florentinorũ recepti erant: Hi omnes inter ſe fœderati bellũ inferre properabãt. Cõtrà verò Aretini diverſæ factionis, qui intus erãt, quibus Guilgelminus Præſul ferè dominabatur: Ad hoc Pactii, Ubertini, Tarlati, prępotentes Aretinorũ familiæ, cumq; his Bonus Feretranus, multiq; præterea nobiles ex Umbria & Picentibus ſtudio partium tracti, omnesq; Florentini exules, Aretii convenerant, bellum & ipſi ex diverſo geſturi. Apparatus ferè omnium civitatum ad id bellum factos, demoratus eſt Caroli filii adventus. Is enim, fervente nuper inter Carolum patrem, ac Petrum Arragonum Regem, qui Siciliam invaſerat, bello, captus navali prælio apud Neapolim fuerat à Roggerio claſſis hoſtium Præfecto, à quo cùm in Siciliam devectus eſſet; Conſtantia quondam Manfredi Regis filia, accitis ſingularum civitatum ſyndicis ad ſententiam de captivo ferendam, cum omnes pœnam capitis adverſus cum decreviſſent, ipſa quaſi beneficio ſuo morti ereptum in Hiſpaniam miſit, & honeſto carcere aſſervavit. Ita callido conſilio civitatum odia in Carolo accendit, ob damnationem filii, & ipſa ſibi humanitatis clementiæq; laudem inſigniùs comparavit.

Florentini cum fœderatis bellum inferre properant Aretinis.

Guilgelminus Præſul Aretinis dominatur.

Aretinus, & Pactii Ubertinus, Tarlati præpotentes familiæ, Bonus Feretranus, & nobiles ex Umbria & Picentibus, exuleſq; Florentini bellum ex diverſo cupiunt.

Petrus Arragonũ Rex.

Caroli filius à Roggerio capitur, & honeſto carcere aſſervatur.

Mortuo deinde patre Carolo, juvenis è carcere certâ pactione dimiſſus in Galliam tranſiit. Inde mox Italiam adventare nunciabatur, Pontificẽ aditurus, & Regni paterni gubernacula ſuſcepturus. Hujus adventus exſpectatio Florentinos, Senenſeſq;, & alios ſocios detinuit, cupientiſſimè nobilitate, cum ille adveniſſet, præſenti obſequium exhibere. Venit ille tandem circiter Calend. Majas, Florentiamq; ingredienti magnificè ſunt honores impenſi. Inde cùm, paucos dies commoratus, Senas verſus abiret, fama ingens fuit, Aretinos magnas equitum peditũq; paraviſſe copias, ut iter facientem in agro Senenſi adorirentur. Quod poſtquam Florentiæ auditum eſt, etſi Carolus ipſe turmâ ſuorum equitum confiſus, nihil pro ſua tutela poſtulaſſet: tamen equites urbani extemplo arma capere juſſi, uſq; ad extremos Senenſium fines grato obſequio proſecuti fuêre. Inde mox reverſis, confeſtim in Aretinos expeditio indicitur, & ſocii certiores facti convocantur. Signa verò militaria, quo maturiùs conveniret miles, extra urbem depromta, apud Ripolim viâ Aretinâ

Caroli filius Florentiam venit.

In Aretinos expeditio indicitur.

aliquot dies continuêre. Cum verò jam conveniſſent copiæ, & cuncta ad iter parata forent, conſilio Duces habito, contra omnium expectationem tranſire Arnum, & Caſentinati viâ ad hoſtem ducere ſtatuerunt. Præerat autem copiis Amerigus Narbonenſis, quem Carolus, ut expertem bello, Florentinis ſociisque Ducem reliquerat, & cum eo ſex cives egregii ad hoc ipſum delecti. Superato monte cum circa Puppium deſcendiſſent, quoniam id erat opidum Novelli comitis, quem in hoſtium fuiſſe ſemper numero conſtabat, & tunc etiam apud Aretinos eodem ſtudio partium verſabatur, ſub ipſo opido caſtris poſitis longè lateque, ut maximè poſſunt, regionem populantur. Aretini primum rectâ viâ copiarum adventum expectabant: Sed poſtquàm ex fuga, & trepidatione hominum pecorumq́ in Caſentinati hoſtes adeſſe cognovêre, & circa Puppium cuncta ferro, igneque vaſtari, confeſtim omnibus equitum peditumq́; copiis Aretio profecti, Bibienam venerunt. Fuiſſe autem traduntur Aretinorum octo millia peditum, equitum verò non ampliùs nongentis. Ducebat autem Guilgelminus Præſul, & Bonus Feretranus, & alii quidam præſtantes diverſarum partium viri, qui per id tempus rei militaris peritiſſimi habebantur. Cùm in conſpectum veniſſent, nec ferè plus mille quingentis paſſibus inter ſe caſtra diſtarent, Aretini, etſi longè impares numero copiarum, tamen confiſi virtute ſuorum, primi flagitârunt pugnam. Nec Florentini quidem detrectârunt certamen; ſed prælio ſe impigrè obtulerunt. Cùm ergò pugnâ decernere ſtatuiſſent in proxima planitie (Campaldinum incolæ vocant) ſeſe ex compoſito comparârunt, & acies utrinq́; ſtruxerunt. Florentini primâ fronte equitatũ omnẽ, quo admodũ prævalebant, poſt hunc peditũ robur collocârunt, extenſo longiùs utroq́; cornu, ut ſi opus foret, equitatũ cõplecterentur. Scutatos verò, & ſagittarios per cornua ipſa ab utraq́; parte diſpoſuêre. Præter has duas, ſubſidiariam aciẽ extra ordinem unã ex Piſtorienſibus, & aliis ſociis, quibus Curſius Donatus eques Florentinus præerat. Aretini verò eodem modo tres & ipſi acies fecerunt, primam equites, mox aliquò intervallo pedites: Inſuper extraordinariã aciẽ, cui Novellus præerat comes. Erat inter Duces exercitus Florentini Populi Verius Circulus, è familia nobili, & ipſe ſummis divitiis, magnâq́; prudentiæ virtutiſque famâ. Is cum ſuæ tribus anteſignanos equites, qui primi hoſtẽ pervaſuri eſſent, legere ex officio cogeretur, ſeſe primum legit, etſi tunc ex crure ægrotantem; inſuper filium, & nepotem: cæterorum autem neminem ſe lecturũ eſſe dixit: verùm qui patriam amarent, eos ſponte ſuâ profiteri debere. Ejus viri eximium præſtantemque in Remp. animum admirati cives, pleriq; verecundiâ adducti, id ſibi munus ultrò depoſcerunt, cum prius multi, ut grave periculoſumq; detrectare, niterentur. Ita ad centum quinquaginta anteſignani equites facti, & in his viginti ad equeſtris ordinis dignitatem tunc primùm aſſumti. Ut igitur ſonuêre tubæ, & clamor ad cœlũ tolli cœptus eſt, anteſignani equites, qui ab utraq́; parte aciem præcedebant, concitis infeſtiùs equis, veluti procella quædam ſeſe mutuò pervasêre. Atq; primo ſtatim congreſſu tanta fuit hoſtium vis, tantusq́; ardor, ut magna pars Florentinorum equitum poſterneretur: reliqui verò in fugam verſi, recipere ſe ad majorem aciem coacti ſunt. Hoc igitur proſperum anteſignanorum certamẽ magno clamore proſecutus reliquus Aretinorum equitatus, in ipſam majorem aciem delatus eſt, tanto quidem ardore, ut impetus ejus ſuſtineri nequiverit, pulſusq́ue campo Florentinus equitatus compelleretur ad peditem refugere. Ea res metum primò, mox victoriam peperit Florentinis. Dum enim cedentes perſequitur Aretinorum equitatus, peditum ſuum longè dimiſit. Itaq; evenit poſthac, ut Aretinus nullo in loco integer pugnaret, ſed alibi eques, alibi pedes cum integro hoſte congrederetur. Suſtinuit enim Florentinum equitatum acies peditum, quæ dextro ſiniſtroque, ut ſuprà monſtravimus, cornu refugientem equitem complexa ſagittis & haſtis, & omnifariam telorũ genere apertis lateribus inceſſebat hoſtes. Acerrimum itaq́; certamen eo in loco excitatũ eſt. Aretini verò primo in impetu victoriam repoſuerant: quare ſummâ vi annixi diſſipare Florentinorũ agmẽ nitebantur. Sed turbabatur pedes, ad quem ſeſe equitatus receperat, eratq́; fluctuatio quædam, & motus incertus prementium ſimul ac renitentium. Et jam pedeſtris Aretinorum ſuperveniebat acies, quæ relicta ab equitibus ſuis cum illi cedentes perſequerentur, nondum ſeſe pugnæ miſcuerat: Ea ſi equitibus ſuis conjungeretur, inclinare ad Aretinos victoria haud dubiè videbatur. Inter hæc Curſius Donatus, qui extraordinariæ præerat aciei,

Amerigus Narbonenſis Dux Florentinorum.

Puppium opidum Novelli comitis.

Guilgelminus Præſul & Bonus Feretranus Duces Aretinorum.

Curſius Donatus.

Verius Circulus Dux Florentini populi.

Anteſignani 150. equites.

Pugna inter Florentinos & Aretinos.

Florentinorum equites proſternuntur.

Pelluntur Cãpo.

Curſius Donatus cauſa Victoriæ.

acici, intellecto ſuorum periculo, etſi præceptum fuerat, ne injuſſu Ducis prælium iniret, tamen pernicioſum ratus ultrà differre: adoriamur (inquit) commilitones, hoſtium equitatum, priusquàm pedes eorum ſe immiſceat pugnæ. *Neq; verò me in tanto diſcrimine civium meorum aut præceptum Ducis, aut pœna deterret.* Si enim vincimur in acie illa, morituro non ulrà formidanda eſt pœna: Sin, ut ſpero, vicerimus, tunc Piſtorium veniat, qui ſupplicium de nobis ſumere volet. His dictis cùm aciem concitaſſet, ex tranſverſo hoſtem invadit. Ab hac maximè acie victoria parta creditur Florentinis. Nam hoſtes à tergo violentiùs percuſſi, retrò jam reſpicere coacti ſunt. Et qui primò ægrè reſiſtebant, remiſſo hoſtium impetu in illos incubnêre, & interclusis à ſuo peditatu, equitatus hoſtium perfacilè opprimebatur. Novellus autem comes, aciem cui præerat, non item in auxilium ſuorum adduxit, ſed ubi implicatum vidit equitum agmen, Princeps fugam arripuit. At Guilgelminus Præſul cum ante peditum ſtaret aciem, multique ſuaderent, ut profligatis jam equitibus ac victoriâ ad hoſtes inclinante, ipſe Bibienâ ſe reciperet, vitamq; à periculo tutaretur, interrogaſſe dicitur, num & peditem tutò reducere poſſet? Cùm negaretur peditem ſervari poſſe, *mors inquit, communis mihi & pediti ſit: ego quos in periculum duxi, nunquàm deſtituam.* Ita redintegratâ pugnâ hoſtes acrirer invadit, nec multò poſt prælians occiditur, pedites que nudati equitum præſidio, tandem ſuperantur, ac multâ cæde opprimuntur. Ceciderunt in ea pugna Aretinorum ſupra tria millia, & in his Guilgelminus Præſul & Bonus Feretranus, & alii quidam inſignes diverſarum partium viri. Capti inſuper ad duo millia. In Florentinorum quoque exercitu inſignes quidam viri, qui primo illo equeſtri certamine corruerunt, deſiderati ſunt. Dantes Alapherii poëta in epiſtola quadam ſcribit, ſe in hoc prælio juvenem fuiſſe in armis, & ab initio quidem pugnæ, hoſtem longè ſuperiorem fuiſſe, adeò ut à Florentinis multum admodum timeretur: Ad extremum autem victoriam partam eſſe, tantamque inimicorum ſtragem in eo prælio factam, ut penè eorum nomen ad internecionem deleretur. Conſtat autem tertio Idus Junias pugnatum fuiſſe apud Campaldinum, eâdemque die atque horâ Florentiæ nunciatam eſſe victoriam. Cum enim Priores, curis ac vigiliis anxii, per meridem indulgerent ſomno, fores majori vi pulſatæ crepuerunt, & vox feſtinantis audita: Surgite, nam hoſtibus ſuperatis victoriam habuiſtis. Ad eam vocem cum ſe læti extuliſſent, apertis foribus gratulabantur. It fama confeſtim per urbem, & concurſus fit civium gratulantium, turbæ atria publica compleverunt. Sed quærebatur auctor, nec ullus extabat: quare is rumor quaſi vanus, nulloque probatus auctore tunc quidem concidit. Nocte verò inſequenti cùm ab exercitu veri tandem nuncii advenîſſent, modumque & tempus commiſſi prælii enarrarent, compertum eſt, victoriam fuiſſe partam, eâdem illâ horâ quâ Prioribus quieſcentibus fuerat nunciata: Quod etſi mirabile videtur, tamen aliàs quoque legimus contigiſſe. *Nec ſanè alienum eſt credere, divinum numen, quâ benignitate victoriam præſtat, eâdem per famam ociſſimam favore propitio illis ipſis, quibus faverit, nunciare.* Nam & Macedonico quidem bello, Perſâ Rege pugnâ ſuperato, pari miraculo victoriam Romæ nunciatam legimus. Et per Domitiani tempora in grandi ſuſpicione civitatis partam apud Germanos victoriam, Romæ eo ipſo die fama certiſſima divulgavit. Multa ſunt præterea hujuſcemodi tradita, ſi fortè in eo genere verboſitatem conſectari libeat, & exempla noſtrorum ſimul, externorumque colligere.

Novellus fugam arripit.

Guilgelmini præſulis conſtantia.

Guilgelminus prælians occiditur.

Victoria Florentinorum contra Aretinos.

Bonus Feretranus cadit in pugna.

Dantes Poëta in hoc prælio fuit juvenis in armis.

Aretinorum nomen in prælio cum Florentinis penè ad internecionem deletur.

Victoria eadem die atq; hora Florentiæ nunciata eſt miraculo quodam.

Florentini poſt victoriam profligatos fugientesque perſecuti Bibienam Aretinorum opidum eodem impetu ceperunt. Finitimis deinde caſtellis partim vi, partim voluntate in poteſtatem redactis, everſiſque Bibienæ mœnibus octavo poſt victoriam die, Aretium verſus, côpias duxêre. Ea tarditas cauſa fuit, ne urbe potirentur. Nam ſi protenus, victoriâ partâ, eò copias traduxiſſent, capi profectò Aretium potuit, nullis firmis præſidiis, & magnâ trepidatione urbem premente. Sed mora interpoſita confirmavit animos, pavoremque ademit, & ſimul dilapſi prælio milites variis itineribus domum redierant, ut jam urbem tutari valerent. Cum ergò Aretium perveniſſent, caſtris apud veterem domum poſitis oppugnare urbem aggrediuntur, ab ea parte, quâ nondum mœnibus cincta, ſed vallo tantum & foſſis munita erat. Ejus rei gratiâ cum turres ligneas pluribus locis confe-

Bibiena à Florentinis capitur.

Aretium oppugnatur.

Digitized by Google

ciſſent, magnum terrorem intulerunt hoſtibus. Tantaq; fuit potiundi ſpes, ut duo ex Prioribus novo quidē exemplo ad urgendam oppugnationē in caſtra proficiſcerentur. Ab his adhortati milites ac, planè incenſi, per ſingulos fermè dies impetu factoſoſſas complere, vallū reſcindere conabantur. Tandē cùm augeſceret periculū, ægreq; jam reſiſteretur, Aretini noctem obſcurā atq; ventoſam nacti, eruptionem ſubitò fecerunt, facibusq; in turres ac machinas conjectis, omnes cremaverūt. Quare deſperatā expugnatione, cuncta priùs circa urbem populati, caſtellisq; frequentia (namq; ad eos defecerāt) præſidio militū cōmunitis, Florentiā copias reduxere.

Redeunti exercitui obviā effuſa civitas, nullū genus honoris prætermiſit Ducibus militibusq; tribuere. Deniq; triumphali pompâ per urbē tranſmiſſi, parmam & galeā Guilgelmini Præſulis ſpectaculo civiū prælatas, in antiquo Martis templo, quaſi opima ſpolia ſuſpenderūt, quæ hodie quoq; viſuntur. In publicis autē ejus victoriæ monumētis ita ſcriptū eſt, quod Gibellinos apud Campaldinū profligaſſent. Id ex eo adſcriptum eſt, quòd Aretini exules fœderati, & ſocii in eo bello affuerant. Quâ de causâ honeſtius viſum eſt, Gibellinos ſuperatos ſcribere, quàm Aretinos, ne pars quoq; illa Aretinorum, quæ ſocia & amica, & ſtudio partium conjuncta fuerat, notaretur. *

Guilgelmini præſulis parma & galea triumphali pompa præferuntur.

Gibellinos ſuperatos eſſe in monumentis ſcriptum fuit.

* nocaretur, MS. Pal.

Non multò poſt reductas Aretio copias, Lucenſibus exulibusque Piſanis auxilia rogantibus, miſſa peditum duo millia, equites quadringenti. Lucenſes cum his & aliis ſociorum auxiliis fines Piſanorum ingreſſi, cuncta igne ferroq; populârunt, caſtella inſuper quædam vi capta, ad ſolum everterunt. Inde vicum Piſanorum expugnare adorti, cùm magnos impetus ad mœnia ejus opidi feciſſent, opidanis egregiè repugnantibus, ab incepto deſtiterunt.

Eodem anno extremum ferè per autumnum rurſus in agrum Aretinum copiæ reductæ ſunt, ex hujusmodi causa: Poſt afflictas opes vaſtatosque hoſtiliter agros, Tarlatus quidam Aretinus, vir & genere & divitiis clarus, gubernationē ſuſceperat: Ejus potentiam, ut fit, peroſi quidam in illum conjurârunt, & per occulta colloquia reducere in urbem exules, ac Florentinorum auxilia recipere intra mœnia conſtituerant. His arcanè ſolideq; compoſitis, cùm dies conſtituta jam adeſſet, ſubitanea profectio à Magiſtratu indicitur, & candelâ ad portam accensâ, ante illius conſumtionē * equites gravi ſub multa jubentur exiiſſe. Igitur properè exeuntibus copiis, cum inclinante jam ſole proficiſcerentur, Varieū de prima vigilia pervenerunt. Ibi, quod reliquum erat noctis ad quietem ſumto, poſterâ die Civitellā (id enim caſtellum Aretini exules tenebant) ſe citato agmine contulerunt, ut proximâ nocte, quēadmodum conſtitutum erat, urbem intrarent. Rem maturè compoſitā, effectumq; habituram inopinatus turbaverat caſus: ex conjuratis ſiquidem unus, protecto * ædium ruente, confractus graviter corpus, extremo vitæ tempore, rotā rem atq; ordinē ſacerdoti nudaverat. Sacerdos verò periculoſum ſibi ratus, rem tam atrocē ſilere, patefecit eam Principibus civitatis. Ita conjuratione oppreſsâ, res ad irritū recidit, & urbs, cognito Florentinorum equitum adventu, ſolertiùs eſt cuſtodita. Quāobrem paucis diebus Civitellæ commorati equites, irrito labore domum rediêre.

Tarlatus Aretii gubernationem ſuſcepit.

* conſummationē MS. Pal.

Civitella.

* proiectio. MS. Pal.

Domi quoq; eodem anno res innovatæ, ac Vexillifer juſtitiæ tunc primū creari cœptus, qua de re altiùs ordientes pro cognitione rei pauca ſuperiùs repetemus. Nam cùm duæ ſint hiſtoriæ partes, & quaſi membra, foris geſta & domi: non minoris ſanè putandum fuerit domeſticos ſtatus, quàm externa bella cognoſcere. Florentiæ igitur admodum vetuſta, atque, ut ita dixerim, primæva videtur nobilitatem inter plebemque contentio. Fuit hæc eadem (credo) aliis civitatibus, ſed hæc neſcio, quomodo robuſtiores vigentioresque familiarum ſtirpes, tanquàm fœcundiſſimo in agro ſatæ, altiùs increverunt. Et plebs animis erecta, potentioribusque infenſa id unum habuit concordiæ vinculum, nobilitatis metū. Cùm enim inferioris potentiæ homines, magnitudini illorū pares eſſe non poſſent, ac ſæpè * injuriæ contumeliæq; imbecillioribus inferrentur, unica proſpecta eſt reſiſtendi via, ſi Populus unà ſentiret, neminis injuriam pateretur, privatim inflictas contumelias publicè vindicaret. Studia Reip. capeſſendæ hinc nimirum ſunt populo coorta: hinc nobilitatis depreſſio. Ita demū enim Populus ſe ſalvum eſſe poſſe exiſtimavit, ſi ipſe Remp. gubernaret, ne nobilitas ſupra potentiam propriā Reip. quoque abuteretur potentiâ, vel ad inferendas clades, vel ad inflictas, quo minus ulciſceretur, prohibendū. Hoc certamen diu incerto exitu conflictavit civitatem, utque eſt huma-

Vexillifer juſtitiæ primum creatur.

Hiſtoriæ Florentinæ duæ ſunt partes: Foris geſta, & Domi.

Concordia vinculum apud Plebem.

* ſpe. MS. Pal.

eſt humanarum viciſſitudo rerum, hi modò, illi quandoq; prævalebant. Nonnunquam etiam mixti ex nobilitate & plebe Magiſtratus ſumebantur, uſque ad Priores artium. Priores maximè gubernandi genus populare fuit, neque tamen ab initio merum. Lex enim inertes tantùm repellebat, nobilem verò non inertem, eſſe non vetabat: una ferè ſimul cum Prioribus ad tutandum Reip. ſtatum artium ſigna conventuſque ſunt reſtituta, quò armati cives, cùm opus foret, concurrerent, ac præſentem civitatis ſtatum, ſi res exigeret, tutarentur. Juri autem dicendo in civitate duo præerant Magiſtratus, alter cum poteſtate legitima ad cauſas & judicia: alter populi defenſor. Quia verò contingebat, maleficia per nobilitatem committi, ad quorum punitionem Magiſtratus accedere non audebat, quoniam ſtipati catervis ſuorum, nobiles ab ipſo quoque Magiſtratu formidabantur, & vexati pulſatiq; apparitores frequenter redibant, ſicque juſtitia impediebatur. Ad eam rem tollendam, corrigendamq; Vexilliferum juſtitiæ creare placuit.

Florentiæ modo plebs quandoq; Nobilitas prævaluit.
Priorum gubernatio.
Duo Magiſtratus Florentiæ præerant juri dicendo.

Creatus eſt igitur primum ſeptem annis, poſtquam Priores artium fuerant conſtituti. Ejus electio Prioribus commiſſa, tempuſque Vexillifero juſtitiæ definitum eſt menſium duorum. Additum eſt in lege, ut de plebe duntaxat legere eum liceret, utque conſiliarios haberet quatuor, præfectos duos, pedites armatos mille, è totâ plebe viciſsim deſcriptos, ex tribu videlicet Scradiana ducentos, totidem ex Transarnina: ex reliquis autem quatuor tribubus ſingulis centum quinquaginta. Horum deſcriptio annua erat, & quoties vocarentur armati adeſſe, ac vexillum juſtitiæ ſequi jubebantur. Additum eſt præterea in lege, ne quis ex nobilitate inter mille pedites legeretur, ne impediret, ne verbis minacibus uteretur, adverſus transgredientem pœnâ graviter conſtitutâ. Vexillifer promere vexillum per legem non poterat, niſi juſſu Magiſtratus. Nec unà cum Prioribus tunc habitabat, nec quicquam ferè aliud autoritatis habebat, niſi quòd Princeps mille armatorum erat, ad juſtitiam in potentiores, ſi illi parére Magiſtratui recuſarent, exequendam.

Electio Vexilliferi.
Tribus Scradiana.
Transarnina.

Eodem quoque anno primùm in civitate conſtitutum eſt, ne quiſquam, qui Prior fuiſſet, forétve intra triennium, ab eo tempore quo Magiſtratum abierit, ſumi ad Prioratum rurſus poſſet, cùm antè quidem nulla lex vetaret, ſed pudor tantùm homines à petitione compeſceret. Id interim tempus, quoniam lege vetatur, vetitum vulgò nuncupatum eſt. Cauſa verò legis fuit, ut pluribus ad honores pateret via, neque ob gratiam aut potentiam continuaretur. Ea tamen lex magis neceſſaria fuit ſortitionibus Magiſtratuum, quàm petitionibus. Hæc domi foriſque eo anno geſta ſunt.

Prior intra triennium ad Magiſtratum reaſſumi non poterat.
Tempus vetitū.

Proximâ deinde æſtate Florentini ante maturationem ſegetum, ſuas ſociorumque contractus copias rurſus in Aretinos duxére, ſperantes longis bellis, calamitatibus, ac ternâ jam frumenti amiſſione fatigatos, manus tandem eſſe daturos. Hac igitur intentione profecti Aretio copias admoverunt. Sub ipſas urbis portas crebris præliis commiſſis, cùm nihil ad extremum profeciſſent, nec ullus intra urbem motus ad res novandas ſuſcitaretur, ad vaſtationem agrorum converſi, omnia circa urbem hoſtiliter populati ſunt, nec ſegetes modò, verùm etiam vites & arbores: demum vaſtatis omnibus atque incenſis, Caſentinati viâ remeantes, caſtella quædam Novelli comitis expugnare adorti, pleraque everterunt. Inde Florentiam exercitus reductus.

Florentini rurſus copias in Aretinos ducunt.
Omnia circa urbem hoſtiliter populantur.

Eodem anno Florentini & Lucenſes, & aliæ ſociæ civitates, renovato Genuenſi fœdere contra Piſanos copias duxere. Genuenſes mari aderant, claſſem habentes navium longarum (quadraginta *). Ab his innumeræ propè clades terrâ marique ſunt illatæ Piſanis. Cùm enim hi terrâ, illi mari conveniſſent, nihil reſiſtere poterat. Itaque & Liburnum, proximum portui oppidum ab his captum eſt atque incenſum. Et portum ingreſsi, turres ejus everterunt. Onerarias inſuper naves lapidibus gravatas, in ipſis faucibus portus dimiſére, quo illius uſus receptuſque impediretur. Inde cùm in ſua quique diſceſsiſſent, Florentini ſecus Heram fluvium redeuntes, caſtella quædam per ea loca Piſanis ademerunt, & præſidio militum munierunt.

** In MS. Pal. omiſſum.*
Piſanis innumeræ propè clades inferuntur.
Liburnum capitur, & ejus uſitur à Genuenſ. & Hera fluvium.

His peractis rebus, cùm Florentiam exercitus rediiſſet, Guido Feretranus, qui per ea tempora Dux Piſanorum erat, caſtella ipſa improviſo impetu adortus, pari facilitate, quâ amiſſa fuerant, pleraq; recuperavit. Quod poſtquàm Florentiæ au-

Guido Feretranus Dux Piſanorum.

ditum eſt, equites pedites que rurſus egreſſi, Volaterras uſque rapto agmine contenderunt: Ibi cognitâ amiſſione caſtellorum, & hoſtium receſſu, non ultrà profecti rediêre.

Guido, Pontem quem Florentini occuparant, cepit fraude.

Altero mox anno Piſani Duce Guidone Feretrano pontem ad Heram fluvium, quem Florentini per ſuperiora bella occupatum egregio muniverant opere, arcemq; ſuper impoſuerant turribus foſſisq; inexpugnabilem, nocturnâ ceperunt fraude. Cum enim Præfecti caſtello, ei ves duo hi erant, partim avaritiâ, partim ignaviâ, vix tertiam partem militum ſub vexillis haberent, & hi ipſi qui aderant, confiſi munitionibus, negligenter obirent munera vigiliarum, ea res per hoſtem cognita, ad tentandam fraudem invitavit. Itaque Guido Feretranus eâ ſpe tractus per ſilentium illò copias duxit, ad octavum Calend Januar. * nactus ex induſtria, ventoſam & gelidam noctem, quò minus vigiles intentè cuſtodirent. Ubi verò ad foſſas, quibus arx circumdabatur, latas quidem, & aquarum plenas, devenit, lintre, quam ea de cauſa jumentis advexerat, in aquam demiſsâ milites ad ulteriorem aggerem trajecit. Inde ſcalis in proximam evadentes turrim, nemine penitus ſentiente, cùm ſatis magnus numerus introiſſet, cuſtodes, ſomno graves Præfectosque ipſos, nil tale ſuſpicantes, invaſerunt, magnâ parte eorum interfectâ, reliquis verò captis, ponte & caſtello munitiſſimo potiuntur.

* Iunctur. M S. Palat.

Florentini contra Piſanos bellum velut proprium ſuſcipiunt.

Hujus amiſſionem loci, cum ob eximiam opportunitatem ad bellum, tum ob verecundiam ſociorum Florentinus Populus graviter tulit. Itaque irâ & indignatione accenſus, bellum contra Piſanos, veluti proprium ſuſcepit, cum antea Lucenſium magis id bellum auſpiciis gereretur, Florentinus tantùm ſubmittere auxilia ſolitus eſſet. Sed tunc, quaſi ad eos vindicta ſpectaret, Florentini ipſi per ſe in maturo adhuc anno fines Piſanorum cum exercitu ingrediuntur. Ibi vaſtando per iram agro, expugnandiſque infeſtiùs caſtellis, dum minabundi contendunt, tanti ſubinde imbres multos dies continuarunt, ut ſuperantibus aquis, vi ipsâ Ducibus militibusque abeundi retrò exprimeretur neceſſitas. Reductis igitur copiis expectare placuit maturitatem ſegetum, ac tunc demùm in hoſtes reverti. Itaque omnibus edictum eſt, tunc ab armis diſcederent, Calendis verò Juniis rurſus adeſſent.

Imbres continuate Florentinos repellunt.

Gentilis Urſinus Dux Florentin.

Interea apparatus inſignes facti, atque Dux ad id bellum delectus, Gentilis Urſinus, vir egregius bello, ac ſtudio partium eximius. Is Florentiam cum aliqua manu equitum Romanorum Campanorumque adveniens, copias omnes Florentinorum duxit in Piſanos: Sociæ quoq; civitates ob ſtudium Florentinorum auxilia miſêre. Ingreſſi Piſanorum fines, cum hoſtis nuſquam prodiret, quàm proximè Piſis admoverunt copias. Nec uſquam tanta pugnandi aviditas Florentinis fuit. Quippe ſic ardebant animi ob fœdam amiſſionem munitiſſimi loci; ut etiam in ipſis hoſtium portis diſcrimen pugnæ ſubituri, vel cupientiſſimè depoſcerent.

Guido Feretranus ad certamina parum audax.

Erat intra urbem Guido Feretranus, vir ut calliditate quidem, & aſtu profundiſſimus artifex: ſic ad aperta certamina parum audax. Is quanquam equitatu peditatuque abundaret, (nam præter urbanos ad octingentos equites mercede conducti intra mœnia erant, Populi verò multitudo ingens) tamen nedum in aciem prodire, ſed ne eruptionem quidem ullam facere tentavit. Quare aliquot dies circa Piſas commorati, quando etiam confeſſione hoſtium apparebat, detrectare eos pugnam, nec dimicandi poteſtatem facere velle, omnia circa urbem ferro igneque populati, retrò moverunt caſtra. Poſt hæc pervagati licentius agros, cunctiſque hoſtiliter vaſtatis atque incenſis, tandem copias reduxêre, prælio quidem nullo contra Piſanos cōmiſſo, cæterum eâ opinione, & alacritate hominum, ut hoſtes pro victis haberentur, ob apertam detrectationem pugnæ, ac patientiam fœdiſſimæ vaſtitatis.

Fundamenta infinitarum novitatum Florentiæ iacta. Reipub. forma inſtituta. Nobilitas non ſatis aquam ſocietatem exercet.

Circa finem ejus anni fundamenta primùm jacta ſunt infinitarum domi novitatum, ac forma Reip. quâ jam trigeſimo ſupra centeſimum utimur anno, tunc primùm inſtituta. Aretino enim, ut ſupra diximus, bello cum proſperi finis eſſet impoſitus, ac victoria inde parta majorem in modum auxiſſet civitatem, mox & Piſano bello haud dubiè ſuperior Florentinus haberetur, major ad ſe Populus ſapere cœpit, ac ab externis bellis ad inteſtinam libertatem reſpicere. Nobilitas enim, quæ ad eam diem Princeps in civitate fuerat, non ſatis æ-

quam

quam ſocietatem cum populo exercebat, præpotens ſiquidem opibus, & animis, plus quàm liberæ civitati conveniret, elata, haud facilè temperabat ab injuriis inferendis. Homines longis ſtipati clientelis, & multis, ut par erat, propinquitatibus ſubnixi, imbecillos honeſtâ veluti ſervitute premebant, frequentes ab his pulſatos mediocris fortunæ homines, frequentes bonis ſpoliatos, prædiis ejectos fuiſſe conſtabat. Quæ etſi interdum vindicare pergebat civitas, tamen & favore propinquorum immodico ſuſtentabantur, & horrebant homines eorum injurias deferre, veriti potentiam familiarum, & cædes ac vulnera plus, quàm jacturam patrimonii formidantes. Nec ſanè plenam ad ſervitutem plebis quicquam aliùd obſtare videbatur, quàm quòd nobilitas ipſa inter ſeſe variè diviſa, æmulatione & invidiâ concertabat.

Nobilitas inter ſeſe invidia concertat.

Hanc igitur deformitatem & labem Reip. tollere aggreſſus eſt vir unus, (per eam tempeſtatem *) magnitudine animi, & conſilio pollens, Janus Labella, claris quidem majoribus ortus; ſed ipſe modicus civis, & apprimè popularis. Is ſeorſim primò cum ſingulis queſtus de potentia nobilitatis, ſegnitiem patientiamque Populi increpabat, quòd ſingulorum injurias tolerando, non intelligeret, univerſis ſimul turpiſſimam ſervitutem impendere. *Perſtultum quidem putare, ad ſe quoque vim non eſſe perventuram, cùm domitis quibusque primis, ad alteros ſubinde vis tanquam incendium tranſeat. At enim occurrendum eſſe jam, nec uti plus creſcat, patiendum. Adoleviſſe id certè malum, nondum tamen ita roboratum, ut medicari non poſſit: Quòd ſi ultrà negligant, ac alteros alteri reſpiciant, fruſtra tandem auxilium contra inveteratam peſtem optaturos.* Hæc & iſtiusmodi jactando, atque iterando, ſtudia hominum incendit, menteſque erexit ad Remp. capeſſendam. Aſſurgentibus ergo Popularibus, ac ejus cœpto faventibus rem ad Magiſtratum detulêre. Tandemque multitudine plebis advocatâ, cum de hoc ipſo conſultaretur, ac variæ ſententiæ pro cujusque ingenio dicerentur, aſſurgens ipſe in hunc maximè modum propoſita de re coràm diſſeruit: Semper ejusdem mentis ſum, ô cives, & quanto magis de Rep. mecum ipſe cogito, tanto in hac magis firmor ſententia; neceſſarium fore aut ſuperbiam præpotentium familiarum retundere, aut libertatem omnino amittere. Eò quidem res deductas cerno, *ut patientia veſtra & libertas ſtare ſimul non poſſint*: utram verò ex his retinere debeatis, neminem ſanæ mentis dubitaturum crediderim. Nec porrò me præterit, quanto cum periculo meo ſim iſta dicturus: *Verùm boni civis eſſe nequaquam arbitror, dum Patria conſilium poſcit, in proprium utilitatem intuitum retorquere, ac ex ſuo privato commodo publicis conſiliis moderari.* Dicam igitur liberè, quod ſentio. mihi quidem videtur libertas Populi duabus rebus contineri, Legibus ſcilicet atque Judiciis. Quoties enim illa duo plus poſſunt in civitate, quàm ſinguli cives, libertas ſervatur: Quoties autem reperiuntur, quibus leges & judicia contemnere liceat impunè, actum quidem eſſe putandum eſt de libertate. Quid enim tibi liberum fuerit ab iis, qui, ſi modò libeat, poſſunt absque judiciorum metu, in te atque in tua violentas manus injicere? Conſiderate nunc demum conditionem veſtram, ac nobilitatis facinora vobiſcum percurrite: tunc mihi dicat aliquis, liberáne civitas ſit, vel jam pridem oppreſſa? Id verò faciliùs reſpondebit, ſi vel in urbe, vel in agro vicinum aliquem ex illo potentium globo habuerit. Quid enim usq; adeo noſtrū eſt, quod illi non concupiverint? Aut quid concupiverunt, quod non mox perſequantur? aut quid perſequuntur, quod non per fas & nefas ſe debere conſequi putent? Ne corpora quidem noſtra, ſi vera fateri volumus, jam libera ſunt: pulſatos cives, poſſeſsionibus ejectos, incendia, rapinas, vulnera, deniq; & cædes complurium per hoſce annos commiſſas à potentioribus meminiſtis. Horum verò facinorum autores, patratoresque partim ſic aperti, ut infitiari non curent, partim ſic manifeſti, ut nequeant infitiari, ante oculos verſantur noſtros, & quos carcer ac ſupplicium coërcuiſſe debuerat, hos catervis armatorum ſtipatos magnificè per urbem incedere videmus, & nobis jam, & Magiſtratui formidandos. Hanc igitur mihi libertatem quisquam vocabit? *Et quâ aliâ conditione Tyranni utuntur quàm ut occidant, ut pellant, ut auferant, quæ libitum eſt, ſine judiciorum metu?* Quòd ſi unus ejuscemodi in ſingulis civitatibus libertatē perimit: quid in noſtra à tot ſimul evenire exiſtimandū eſt? Oppreſſi, credite mihi, jam pridem ſumus, & libertatē ſpe-

** In MS. Pal. omiſſa.*

Janus Labella Reipub. deformitatem tollere aggreditur.

Jani Labellæ oratio ad cives de Rep. reformanda.

Libertas duabus rebus continetur, Legibus & Iudiciis.

Florentinæ nobilitatis facinora.

Tyrannorum conditiones.

cioſam inani verbo, ſervitutem revera turpiſſimam, ſuſtinemus. Sed hæc ita eſſe, dicet quiſpiam, nemo ambigit: At remedium te, non deplorationem, flagitamus. Hujus ergò tam fœdæ ſervitutis depulſio unde ſumenda eſt, non admodum cognitu difficile reor. Ut enim ex legum judiciorumque lapſu interiiſſe libertatem videmus: ſic ex eorum ipſorum ejectione vobis illa reviviſcet. Quare ſi libertatem cupitis (*cupere autem pariter, ac vitam, omnes debemus*) illa duo vobis in ſuam autoritatem reſtituenda ſunt, & omni nixu diligentique firmanda. Et leges quidem vobis multæ ſunt de vi, de cæde, de latrociniis, de injuriis, de cæteris denique maleficiis coërcendis. Has itaque leges ſingulari notâ contra potentiores innovandas cenſeo, & alias inſuper adjungendas. *Cùm enim malignitas hominum dietim creſcat, novâ inſuper proſpicientiâ opus eſſe quis ignorat.* Sed illud inprimis neceſſarium puto, ut delictorum pœnæ contra potentiores augeantur. *Ut enim, ſi quis gigantem ac puſillum hominem ligare velit, non eodem (credo) vinculo uteretur, ſed gigantem quidem non niſi catenis, aut rudentibus; alterum verò chordâ vel loro putaret compeſcendum:* Sic pœnæ, quæ legum vincula ſunt, longè fortiores contra grandes iſtos, & potentes conſtituendæ videntur. Nam quæ nunc ſunt in legibus, eos non tenent. Unum præterea his adjungo, ut proximi atque familia eisdem pœnis obligentur. *Semper enim participes maleficii gentiles agnatosq́ fuiſſe putandum eſt; quorum fiduciâ quis elatus maleficia commiſerit.* Judiciorum autem vim duo maximè impedire ſolent, probationum difficultas, & exequendi defectus. Nam & teſtes formidant contra potentiores deponere, quo uno metu cuncta penè judicia ſubvertuntur: & ſi quando probatur, Magiſtratus exequi horret. His niſi provideritis, ſcitote, vos nullam Remp. habituros. *Nam quid prodeſt leges vel optimas in civitate eſſe, ſi judicia irritentur?* Primùm igitur teſtium difficultatem reſecandam cenſeo, ac famam ipsam contra potentiores admittendam. Cùm enim maleficium eſſe patratum conſtet, & publica vox hominum finitimorum, agri denique ipſi, & ſaltus, à potentiori aliquo factū clament, non mihi anxias probationes quærat Judex, quos novit metu potentiæ deterreri, & fama ipſa illi ſatis eſto. Ad exequendi verò difficultatem, quæſo, animos advertite. Quippe majus quiddam eſſe cerno, quàm homines opinentur, nec tàm à Magiſtratu, quàm à Populi robore dependere. Si enim Populus, quemadmodum decet, præſtantiam in Rep. retinere volet, executio judiciorū etiam contra potentiſsimos facillima erit. Sin alios admirabitur, & ſupra ſe putabit, Magiſtratus ſimul roſtraq; tepeſcent. Ea nimirū res dudū animadverſa, depræhenſaq; effecit, ut Vexillifer juſtitiæ crearetur, cujus ego vim tam brevi antiquatam eſſe admiror. *Sed ſtultū eſt, ut arbitror, cùm Populus ipſe remiſſus ac negligens fuerit, vicarios ejus conqueri, non acres fuiſſe.* Et ſimul tam multa tunc omiſsa fuerunt, ut inchoata potiùs res, quàm perfecta videretur. Ego igitur Vexilliferi autoritatem cenſeo majorem in modum eſſe roborandam. Itaque primum illud decerno, ut non mille armati, ut ante, ſed quater mille toto viciſsim è Populo deſcripti Vexillifero tribuantur. Deinde Vexilliferum ipſum, unà cum Prioribus, publicis ædibus collocandum eſſe dico, ut præſens querelas civium intueatur & ſentiat, præſtoq; ſit Reip. neceſsitatibus: *ne, ſi domi degat, aut non maturè intelligat, aut privatorum interceſſionibus, quod hactenus factum ſcimus, illius opera retardetur.* Tertium inſuper & hoc ipſum tunc prætermiſſum adjungo, ne quisquàm è potentioribus, etiamſi artificio ſe contexerit, ad Prioratum ſumi poſsit, ne favendi reis, impediendiq; juſtitiam habeat facultatem. *Satis enim ſuperq́ illorum potentia per ſe ipſa oneroſa eſt, niſi inſuper publicâ poteſtate armetur.* Ita legibus, quæ paſſim jacebant, erectis, pœnisq; acrioribus adverſus potentes conſtitutis, judiciisq; roboratis; ceſſare illos à tyrannide compelletis, vel certè, ſi effrenes eſſe pergent, tanquam peſtiferam corporis partem, ac ſanitatem minimè recepturam, ferro igneque exterminabitis, poſitâ hac nimiâ ſuperfluâq; patientiâ, quæ videntes ſentientesq; vos in ſervitutem perducit. Dixi ferè quæ ſalutaria Reip. & ſimul nobis neceſſaria puto ad libertatē. Quæ, ſi difficilima factu eſſent, ac magno labore, magnisq; ſumtibus comparanda: tamen propter utilitatē ſuaderē capeſſenda. *Nunc autē cùm ſint facilia, & in manibus repoſita veſtris, quis uſque adeò diſſolutus erit, ut malit per injuriam turpiter ſervire, quàm per jus & honeſtatem par cæteris fore? Majores noſtri, ne imperatoribus quidem Romanis ſervire ſuſtinuerunt, quanquam & titulum prætendentibus, & dignitate hominū ſervitutē honeſtante: Vos viliſſimis hominū ſervire ſuſtinebitis? Illi cædes ac vulnera, & patrimoni-

Fama loco probationis eſt.

† compeſcenda. MS. Pal.

& patrimoniorum jacturas, ac infinitas penè contentiones pro dignitate, & præſtãtia ſubierunt: Vos præ metu & ignavia, quos vobis ſubeſſe decet, eos ſponte veſtra Tyrannos vobis ſuperponetis? Nec pudet Populum unum, id eſt, multitudinem tantam fortium virorum, quæ omnes finitimos virtute bellicâ ſuperavit, & mille hoſtium perfregit cuneos, eam domi reverſam hujus vel illius familiæ potentiam pertimeſcere, ac deſpectum ſuperbiamque illorum, qua veluti mancipia jam premimini, tam ignavè perferre? Dicendi finem faciam, ne me longiùs abripiat impetus. Nam & objurgare Populum reverentiâ præpedior: & hanc degenerem patientiam veſtram reminiſcens, æquo animo præterire non valeo. Vos tantùm quæſo jam, ut libertati veſtræ ſaluti que conſulatis.

Magno aſſenſu audita eſt oratio, & laudarunt omnes celſam viri præſtantiam. Ita inflammatis cunctorũ animis lex perfertur contra potentiores familias, quæ ordinamenta juſtitiæ vocitarunt, propterea quòd quemadmodum illæ ſubderentur juſtitiæ, certâ viâ & ordine conſtitutum eſt. Quæ verò forent potentiores familiæ, adverſus quas ferebatur lex, ſubinde exprimitur. Fuerunt intra urbem duo de quadraginta familiæ per eam legem annotatæ: Extra urbem verò complures, quæ prædiis ſuis conſiſtentes haud æquam vicinitatẽ cum imbecillioribus exercebant. Poteſtas etiam Prioribus tradita, alios quoque, ſi eis videretur, annotandi. Ita perculsâ nobilitate, poteſtas & arbitrium Reip. ad Populum rediit.

Lex contra potẽtiores familias fertur.

Reipub. Florentina poteſtas ad populum redit.

Proximis deinde comitiis Janus ipſe legis autor, jubente populo, ad Prioratum aſſumitur. Is unà cum collegis Vexilliferum juſtitiæ creavit, & in conſeſſum recepit. Primus omnium poſt hanc legem Vexillifer juſtitiæ fuit Baldus Ruffulus, vir nequaquam ſegnis: ſed qualem prima illa tempora flagitabant, ad reprimendos potentiores, autoritatemque Populi aſſerendam. Hic, nunciatâ cæde plebei hominis à quodam ex his familiis, quæ notatæ fuerunt, perpetratâ, confeſtim prodiens cum Vexillo populares in arma excivit, ſecutâq; multitudine ædes Gallorum (ex ea nãque familia erat, qui cædem fecerat) circumſtetit, gentileſq; & agnatos homicidæ perſecutus, extorres Patriâ egit, ædes diruit, prædia vaſtavit. Ex eo tantus terror injectus eſt nobilitati, ut non minùs jam formidarent populares, quàm ipſi quondam fuerant à popularibus formidati.

Ianus ad Prioratum aſſumitur.

Baldus Ruffulus Vexillifer iuſtitia poſt novam legem primus creatur.

Gallorum familia.

Terror iniicitur nobilitati.

Conſtitutâ per hunc modum Rep. domi, externam ad quietem verſæ mentes, de pace cum Piſanis agere cœperunt. Fuerant enim Piſani longo jam bello plus, quàm dici queat, afflicti; atque ita vires eorum contritæ, ut diutiùs reſiſtere poſſe nequaquàm viderentur. Sed ne nobilitas, quæ bello clareſcere ſolebat, per occaſionem militiæ aliquid moliretur, & plebs nuſquam à Reip. cuſtodia abſcederet, pacem potiùs viſum eſt, quàm bellum expedire, teneris adhuc legibus, & Reip. ſtatu nondum ſolidè ſtabilito. Legati duo ea de cauſa miſſi, Melior Guadagnius, & Arrigus Paradiſius, cum Piſanorum legatis Piſtorii convenerunt. Difficilior ejus pacis conventio fuit: quia ſocii omnes, inprimiſque Lucenſes, & Ugolinus Galluræ judex pacem longè improbabant, victoriam in manibus eſſe putantes. Sed pervicit Florentinorum voluntas, paxque tandem proximo dehinc anno perfecta eſt, ſociis quoque omnibus eam pacem recipientibus, ne ſine Florentinis cogerentur bellum ſupra vires proprias ſufferre. Conditiones hujuſmodi dictæ, receptæque, ut Piſani Ugolinum Galluræ judicem, cæteroſq; Piſanos cives ejus factionis, qui per id tempus exulantes, Lucenſibus ſe, Florentiniſq; conjunxerant, in urbẽ atq; in ſua omnia reciperent. Captivos ejus factionis quotcunq; haberent ex civibus aut clientibus, liberè dimitterent, ac eſſe in urbe morarive paterentur æquo jure cum aliis civibus. Mœnia & arcẽ pontis ad Heram fluviũ, quem nuper Florentinis abſtulerant, funditùs everterent. Guidonem Feretranum, ejuſq; cõmilitones, & ſocios Piſis dimitterent. Magiſtratũ, qui urbi juſtitiæq; præeſſet, biennio Piſani deligerent, nõ ex aliis civitatib⁹ opidiſvè, quàm quæ in ſocietate Florentinorũ Lucenſiũq; fuiſſent ad bellũ Piſis inferendũ. Additũ præterea eſt, ne ex his locis damnatũ exulẽ ejectũve quenquã deligerent: Florẽtinis perpetua apud Piſanos importandis, exportandiſq; rebus, mari terraq; immunitas foret. Si Guelfus & Lottus Ugolini cõitis filii, quẽ Piſani fame necaverãt, eo in fœdere adſcribi vellẽt, licere illis intra ſextum menſem. Id ſi facerent, eandem illis conditionem fore, quæ Ugolino Galluræ Judici cæteriſque ejus factionis circa reſtitutionem in urbem, liberationem-

Melior Guadagnius & Arrigus Paradiſius Legati.

Vgolinus Galluræ Iudex.

Pax cum Piſanis perficitur.

Guelfus & Lottus Vgolini Comitis filii.

Pecciole caſtellum.

liberationemque captivorum, ut ſuprà expreſſum eſt. Hæ Piſanis conditiones dictæ. Florentini Pecciole caſtellum reddere Piſanis promiſerunt. Pax certè fuit honorificentiſſima omnium, & tanquàm victis impoſitæ leges. Sed evenit Piſanis, quod in ancipiti malo evenire plerunque ſolet. Ante fœdus enim pericula belli proſpicientes, eaque formidantes, pacem facere properârunt: Poſt fœdus autem ictum, ceſſantibus jam belli periculis, pacis pericula ſolùm intuebantur. Redire exules in urbem, Magiſtratum ex hoſtibus præeſſe ſibi, periculoſum exiſtimabant: Crudelitas nuper in Ugolinum comitem expreſſa, & filiorum reditus ac potentia ante oculos verſabantur. Hoc igitur metu anxii, nec Ferettanum dimittebant, ut convenerat in fœdere, neque captivos liberabant. Turres ſolùm & mœnia ad Heram fluvii diruere cœperant; verùm ita ſegniter & otioſè, ut appareret, eos de pace ſimul belloq; cogitare. Ea cunctatio cùm longiùs traheretur, Ugolinus Gallutæ Judex, per literas Florentiam miſſas querebatur, neq; captivos dimitti, neq; ſibi aliisq; exulibus facultatem remeandi Piſas fieri, neq; impleri cætera, quæ Piſani ſpoſpodiſſent. Itaq; videret Florentinus Populus, ne circumveniri ſocios, ac deriſui fore adverſariis patiatur. Ob eam ſuſpicionem oratores miſſi duo, Rogerius Ugonis Albici, & Cambius Ildebrandini Bellintionis. Hisque mandatum eſt, ut ſe Piſas conferrent, peterentq; conventa ex fœdere adimpleri. Cùm illa eſſent perfecta, tunc Pecciole illis traderent, promiſſione ab his receptâ, erga incolas ejus caſtri ſe benignè amiceque habituros, nec illis in fraudem verſuros, quòd Florentinorum ſociorumque in eo bello faviſſent partibus. Profecti oratores, cùm apud Piſanos mandata peregiſſent, movetunt ſtudia hominum ad ea, quæ in fœdere convenerant, adimplenda. Itaq; paulò pòſt per literas renunciârunt, proclamatum eſſe Piſis, reditum exulibus patere: Mœnia & turres ad Heram fluvium magna ex parte everſa fuiſſe, & quod ſupereſt aſſiduo jam opere demoliri: ac cætera eſſe impleta omnia, præter captivos, qui nondum libertati forent. Conveniſſe autem, ut illis poſitis apud Heram, traditisque, ipſi Pecciole redderent intra dies octo, vel captivos eodem in loco reſtituerent. Ita demum recepti ſunt captivi ex fœdere, & Pecciole redditum Piſanis. Magiſtratum autem ex Colle opidò fœderato Piſani tunc delegêre, ut convenerat in pace. Per hunc modum finis bello Piſano tunc impoſitus eſt.

Ferettanus.

Rogerius Ugonis Albici, Cambius Ildebrandini Bellintionis.

Pecciole Piſanis redditur. Colles opidum.

Altero dehinc anno, nihil dignum memoriâ foris geſtum reperio. Nam & Aretini exules, conſpectâ Florentinorum voluntate, pactiones quaſdam, duras ſanè & aſperas, cum his qui urbem tenebant, inierant, ac redditis quibuſdam caſtellis ipſi, in exilio, ſub reductionis ſpe irritâ, remanſerunt. Itaque neque contra Piſanos, propter recentem pacem: neque contra Aretinos, ob exulum deſperationem, eo anno quicquam geſtum eſt. Annus tamen inſignis fuit duobus Pontificibus Romanis ſubinde creatis: Cæleſtino Peruſiæ à Patribus ſupra biennium jam incluſis, mox ſexto ferè poſt menſe eo ſe abdicante: Bonifacio octavo, apud Neapolim à Cardinalibus in Pontificem aſſumto.

Pontifices duo creantur. A Patribus Cæleſtinus. A Cardinalibus Bonifacius.

Per idem ferè tempus baſilica ſanctæ crucis in ea, quâ nunc eſt, forma ædificari Florentiæ cœpta eſt, cùm priùs breve admodum eo in loco ſacellum foret, longè diſpar ab illa, quam nunc videmus, magnificentia.

Baſilica ſanctæ Crucis ædificari incipitur.

Externam mox pacem inteſtinæ diſcordiæ ſecutæ civitatem concuſſêre. Janus enim Labella poſt legem contra nobilitatem latam, malevolentiâ potentiorum, & invidiâ parium agitatus, tandem in exilium pulſus eſt, non diſſimili exemplo, ac cæterorum hominũ, *qui beneficiis ingratorum Populorum fundamenta ſua ſtabilitatis collocârunt*. Geſta verò eſt res in hunc modum. Rixâ inter agnatos familiæ nobilis coortâ, quidam è minima plebe homo, dum alterutri favet, ex ceptolethali vulnere, oppetierat. Hic etſi non ſatis conſtabat cujus manu cecidiſſet; tamen ejus delicti fama in autorem certum jactabatur. Cùm igitur hic, ſeu gratiæ, ſeu innocentiæ fiduciâ ad Magiſtratum veniſſet, ac ſe præſens purgaret, tandem abſolvitur. At plebs, quæ jam erecta vindictam cædis expectabat, ubi abſolutum ſenſit, itam à reo in judicem vertit, raptisque confeſtim armis ad ædes Jani Labellæ multitudo convenit, cum videlicet patronum libertatis, autorem legis, vindicem tyrannorum ſuccurrere adverſus potentiam nobilium, ſordesque corrupti Magiſtratus clamitabat. Janus hunc motum plebis neque comprimere ſtuduit, cùm facilè id poſſet, nec rurſus ſeſe Ducem illis præbuit: ſed ad Priores ire monuit, ac vexillum juſtitiæ ſequi. Non tamen

Florentiam inteſtina diſcordia concutiunt. Janus Labella in exilium pellitur.

tamen paruit multitudo, ſed protinus à Jani ædibus ad prætorium oppugnandum perrexit. Ibi incenſis, refractisque foribus, non priùs deſtitit, quàm violentiâ & rapinis, fœdo quidem exemplo, ſeſe contaminarit. Hic populi furor, quoniam ibi ab initio convenerat, ex ædibus Jani Labellæ manaſſe videbatur. Et movebat pleroſque invidia, quòd eſſet ad hunc potiſsimùm urbanæ multitudinis facta concurſio, quòdque patronus libertatis fuerat appellatus. Denique carpere potentiam hominis, criminarique non nobilitas modò, verùm etiam plebei quidam cœperunt, & quanquam in cæteris adverſi, in hoc tamen uno pari voluntate cõſpirantes. Cæterùm diverſis rationibus, nobilitas quidem, ob leges in ſe promulgatas, hominem malè oderat: populares autem, etſi periculum Reip. ſimulabant, nulla tamen alia re, quàm invidiâ, torquebantur. Igitur proximis comitiis ferociſſimo quoq; ad Prioratum aſſumto, Janus ipſe de vi publica accuſatur, quòd multitudinem armatam privato conſilio domi habuiſſet, quodq; eadem multitudo illius juſſu prætorium oppugnaſſet. Ob eam accuſationem civitas confeſtim erecta, atq; ſollicita animis, pro tanto rerum motu, in diverſum abiit. Nam plebs quidem, ac omnis multitudo urbana rem pergraviter ferebat, & concurrebat frequens ad Jani ædes, parata pro illius ſalute ferro decernere, hortabaturq;, uti bono aſſet animo, nec inimicos, invidosque metueret. Tantum enim vis, tantumq; potentiæ Florentina plebe ineſſe, ut eâ ſibi conjunctâ terrori ipſe potiùs inimicis eſſe debeat, quàm ab illis terreri. At nobilitas contrà implacabili odio in illum exarſerat, veniſſeq; tempus vindictæ exiſtimabat, quæ cum per ſe multum poſſet, additâ populàrium manu, Priorumq; autoritate, inexpugnabilis videbatur. Certamen procul dubio futurum erat maximum, ſi ad manus ventum eſſet: Sed non permiſit Janus civile bellũ ſui causâ moveri. Cedamus, inquit, potiùs inimicorum calumniis, & locum invidiæ permittamus. Me quidem, judiciorum autorem aſſertoremq;, nemo unquam dixerit vim contra judicia paraviſſe: Nec meo quisquam exemplo civis adverſus publicã autoritatem capiet arma. Innocentia mea, & beneficia in Populum collata benè de reditu ſperare jubent. Ita amiciſsimum quemq; complexus, urbe exceſsit, abſensq; capitis damnatus eſt. Damnati ſunt item cum eo Taldus frater, & Rainerius nepos, ædesq; & prædia eorum vaſtata. Ex hujus viri exilio, quanto Populus, in ſe ipſo diviſus, factus eſt imbecillior, tantum nobilitati ſpes, & animi creverunt: quod non multò poſt clarè oſtendit.

Janus accuſatur de vi publica.

Janus non permittit civile bellum ſui causa moveri.

Janus capitis damnatur.

Taldus frater Jani.

Rainerius nepos.

Tertius jam intrârat annus poſt Remp. in arbitrium populi redactam. Nobilitas verò indignè ferens leges contra ſe latas, præſertim cùm in dies magis experiretur, ſe potentiâ ſimul, autoritateq; ſpoliari, premiq; ab iis, quos ipſa paulò ante premere exagitareq; conſueviſſet, tandem ſibi proſpicere cœpit. Quæ cùm intelligeret, vulnus acceptũ ex propriis diſcordiis initium fomentaq; ſumſiſſe, redintegrare animos primò, inde cõmuni cõſilio rebus ſuis mederi ſtatuit. Itaq; ſublatis inter ſe, quibus jam perierat, odiis, in gratiã redierunt principes familiarũ, pacemq; fecerunt ex diuturnis certationibus. Inde mox de cõmuni ſalute cõſultantes, decreverunt Magiſtratũ adire, & palàm cõqueri de legis iniquitate, ad extremũ autem quoquo modo adniti. Cœtu igitur ſui ordinis facto cùm Priores adiiſſent, tolli contra ſe dudùm conſtituta poſtularunt. Plebs autem ſimul atq; nobilitatẽ cœtus agere conſpexit, ſtudio retinendi juris erecta perſtabat, rata (id quod erat) nobilitatem ad extremũ vi eſſe conaturam. Suſpicionibus igitur & certaminibus coortis, quando his quidem obtinere, illis verò negare propoſitum erat, tandem itur ad arma, & magno tumultu per urbem diſcurritur. Nobilitas equis inſignibus ſtragulâ veſte ornatis, ut ejus tẽporis magnificentia, & dedita gloriæ belli ætas conſuerat, ſuarum quiſq; familiarũ inſignibus magnâ multitudine convenerat. E prædiis quoq;, & clientelis evocata peditum ingens manus, facinoroſorum inſuper, & audacium hominum turba, militare ſimul conſueta. Cum his copiis nobilitas tribus urbis locis conſtitit, rata per hunc modum faciliùs urbem diſcurrere, & plebem, ne ſe moveret, diſtinere poſſe.
Una ſtetit acies apud Martis templum: altera apud forum novum: Tertia trans Ar- 1.
num, apud ſuperiorem pontem. Plebs autem & ipſa raptis armis in unum convene- 2.
rat, & frequentia per vias ad prohibendam equitum vim impedimenta conjecerat, 3.
ſaxis inſuper teliſque & domos communiverat. Tantusq; fuit apparatus populi, ut nobilitas ſpe vincendi dubiâ invadere nõ auderet, ſed in illis ipſis, quibus cõvenerat locis, armata ſtructaq; perſtaret. Tandem intercedentibus bonis viris, pacemq; ſuadentibus

Nobilitas ſibi proſpicere incipit.

Tumultus inter nobilitatem & plebem.

Nobilitas tribus Urbis locis conſiſtit.

Plebs in unum convenit.

Digitized by Google

dentibus arma depoſita ſunt, à nobilitate, paucis admodum eorum, quæ prius ſtatuta fuerant, abrogatis: & ea magis ex autoritate Priorum, quàm ex Populi voluntate. Tunc igitur ab armis diſceſſum eſt. Cæterùm animi civium armati manſerunt, nec unquam poſt hac ceſſatum vel à popularibus nobilitatem deprimere, vel à nobilitate, conari pro recuperanda dignitate. Prioribus, qui tunc erant, Populus ſuccenſuit, quòd nobilitati faviſſent, itaq; in abeuntes Magiſtratu convicia ſunt dicta, & illa ipſa pauca, quæ nobilitati condonârant, paulò pòſt in priſtinam normam revocata ſunt.

Prioribus convitia dicuntur.

Agitatum præterea eſt, plebe annitente, de Jano Labella in urbem revocando, quòd is ſolus civis ad conterendam nobilitatis vim unicè natus videbatur. Et fecerat planè deſiderium ejus conſpecta nuper in nobilitate audacia, & attentata legum abrogatio. Cùm igitur de illo revocando agitaretur, adverſarii ad Bonifacium Pontificem confugerunt. Illi per literas Magiſtratui Populoque præcepit, ne Janum Labellam, nevè Taldum fratrem aut Rainerium nepotem ab exilio revocarent, neve ad dignitatem aliquam vel honorem admitterent, neu in urbem reciperent. Ea ſi contrà fieret, autores, adjutoreſque, civitatem denique totam, graviſſimis obligavit pœnis. Cauſa in literis exprimitur, quoniam ille ſator diſcordiarum inter cives fuiſſet. Eas ob literas reductio Jani impedita eſt. Ita civis benè meritus, à Populo ipſo, cujus autoritatem contra potentiores aſſeruerat, ingratè deſertus, in exilio diem obiit.

Pontifex Bonifacius Magiſtratui præcepit, ne Ianus Taldus aut Rainerius revocetur.
Ianus in exilio diem obiit.
Civis bene meritus.

Per idem ferè tempus renovata ſocietas eſt inter civitates, fœduſque denuò ictum. Nec multò poſt aliud fœdus initum eſt cum Peruſinis, & in amicitiam ſocietatemque recepti, multa ſibi auxilio promiſêre.

Verſus dehinc ad magnificentiam Populus, regionem ſimul & urbem decorare aggreſſus, medio fermè ſpatio inter Aretium ac Florentiam duo condidit opida, ut forent ſimul ornamento, ſimul belli præſidio. Et alterum quidem in ſiniſtra Arni ripa ſitum, cui nomen dedêre à patrono civitatis: alterum trans Arnum à dextra fluminis parte, quod Francum appellarunt. Intra urbem verò, quoniam ædes, quibus tunc Priores inhabitabant, neque publicæ, neque dignæ Florentino Populo videbantur, & formidabantur ſæpè à Prioribus ob potentiam nobilitatis; his de cauſis ædificium publicum inſigni magnificentiâ, atque faſtigio ædificare ſtatuerunt. Locus ad hoc delectus eſt eminentiſsimus cis Arnum, inter Scradii templum, ac theatrum vetus. Ejus ædificandi causâ privatarum ædium redemtio facta eſt à dominis locorum, multiſque emtionibus cùm ſolum publicum effeciſſent, dirutis privatis ædificiis, Palatium fundârunt. Area verò quæ circumſtat Palatium, magna ex parte Ubertorum fuit, quorum jampridem dirutæ ædes, purgatis tandem ruderibus ſoloque æquato aream in uſum publicum præbuêre. Jacta ſunt autem ejus palatii fundamenta biennio ante milleſimum trecenteſimum annum, turriſq; egregiâ magnitudine in illo erecta. Nova poſt hæc urbis mœnia ædificare adorti, quæ prius deſignata magis fuerant, quàm cœpta, ab inferiore Arni ripa, viâ Piſtorienſi longo & ſinuoſo ambitu, ad ſuperiorem uſque ripam, perpetua mœnia cum inſigni turrium altitudine produxerunt, ut non ſolùm muniretur urbs, verùm etiam ornaretur.

Florentia duo condidit opida.
S. Iohann: opidum.
Francum opidū.
Scradii templum.
Palatium fundatur.
ANNO 1298.

Carcer quoque per hæc ipſa tempora ædificari cœptus eſt, ad portam Gibellinum in ſolo Ubertorum: ejus ambitus quadrato fermè ſpatio muris undiq; cinctus, intuſque diſtinctio facta tricliniorum diætarumque. Ad eum ædificandum primo ſtatim tempore quinque millia æris publici decreta ſunt. In his conficiendis biennium ferè conſumtum.

Carcer ædificatur.

Per idem tempus Bononienſes Ferrarienſeſque bello jam pridem conflictati, arbitrium pacis concordiæque in Florentinum Populum contulêre. Earum civitatum autoritas quia à Romana ſede pendere credebatur, viſum eſt non abſque Pontifice Romano quicquam agere, ſed eo præſente atque volente. Ita miſſi ad Pontificem ejus rei gratiâ oratores ſeptem, mixti ex nobilitate plebeque, Rainerius Bondelmontes, Burnetus Burnellettius, Bingerius Tornaquincius, Albicius Corbinellus, Baldus Agulio, Gentilis Altovita, Borgus Rinaldi. Hi ex autoritate Pontificis, Florentini Populi nomine pacem inter populos ex arbitrio pronunciarunt.

Rainerius Bondelmontes.
Burnetus Burnellettius.
Bingerius Tornaquincius.
Albicius Corbinellus.
Baldus Agulio.
Gentilis Altovita.
Borgus Rinaldi, Oratores.
ANNO 1300.
Annus iubilæus à Pontif. Bonifacio inſtitutus.

Sequitur poſt hæc annus Chriſtianæ ſalutis trecenteſimus ſupra mille, in quo Jubilæus à Bonifacio Pontifice inſtitutus eſt, cum incredibili concurſu fidelium populorum.

In eo

In eo rurſus anno nova turbatio Florentinos pervaſit, ac neſcio an maxima omnium ſuperiorum, initio hujus mali in hunc modum coorto. Genus erat Piſtorii per eam tempeſtatem admodum florens, nec divitiis modò, verùm etiam virorum multitudine conſpicuum: vulgo Cancellarios nominabant, ab autore ejus generis ita vocitato. Hujus familiæ homines, natis inter ſe diſcordiis, in diverſum abierant, jamque inimicitiæ graves & rixæ ad plagas uſque, & vulnera, manus impulerant, fœdati proximorum ſanguine, atque polluti per varios favores totam diviſerant civitatem, vulgoque, ut fit, nominibus inditis hi Albi, illi Nigri appellabantur. Cùm ob eas ſectas in extremum penè diſcrimen Piſtorium deveniſſet, ſuſceptâ civitatis curâ Florentini, quo id malum apertè jam erumpens, ſi quâ poſſet ope, comprimeretur, capita factionum amovenda, quoad refrigeſceret impetus, factu optimum judicârunt. Itaque deditâ operâ ambæ partes Florentiam deducuntur. Enim verò ea res non tam Piſtoriam purgavit, quàm Florentiam infecit. Nam ſimul atque Florentiam pervenerunt homines nobiles, multisque ac magnis affinitatib' in ea ſubnixi, à propinquis hoſpitio variè ſuſcepti, ac mox favore ſublevati, eaſdem quoque incendii faces in proximam civitatem injecerunt. Ea quidem labes nobilitatem primò irrepſit, alio aliis favente, nec ulla fuit domus paulò inſignior, quæ non bifariam ſcinderetur. Inde quoniam hujusmodi controverſiæ in Rep. tractandæ ſæpius erant, in populares quoque, veluti tabes aliqua, diffuſa eò validiùs exarſit, quò ampliorem Florentiæ quàm Piſtorii fuerat materiam conſecuta. Igitur diviſa civitas, diviſæ domus, diviſæ familiæ, fratres quoque reperti ſunt, quorum alius alia ſentiret. Ita factio illa, quos vocitabant Guelfos, anceps diſcinditur, duæque factiones ex una conſurgunt.

Turbatio nova Florentinos invadit. *Piſtoris genus florens.* *Cancellarii.* *Albi.* *Nigri.* *Alborum & Nigrorum ſecta Florentiam infecit.* *Guelfi.*

Erant jam pridem contentiones quædam inter Circulos & Donatos, ex vicinitate, quâ ſe penè intra urbem, extraque, in prædiis contingebant, exortæ. Ad eas incendendas aptiſſima fuit diſcordiarū flamma Piſtorio allatarum. Nam ea Piſtorienſium pars, qui Nigri vocabantur, plurimum apud Donatos diverſata, immodico familiæ ejus favore, ut propinqua & hoſpitio ſuſcepta, juvabatur. Ea res effecit, ut quicunque Albis favebant, ad Circulos jampridem notos, Donatorum adverſarios, ſe conferrent. Ita his aut illis omnes cohæſerunt. Et Circulorum quidem familia erat ad pacem aptior, tranquilli homines, maximis præditi divitiis, civili moderatione, & innocentiâ: Donatis autem vetuſtior nobilitas, mediocris opulentia, belli aptior natura, quàm pacis artibus. His contentionibus cùm tota civitas diviſa eſſet, cladesque inde proventura haud dubiè timeretur, veriti Duces Guelfarum partium, ne ob hanc diviſionem, inter ſuos homines coortam, Gibellinorum factio in civitate reſurgeret, ad Bonifacium Pontificem confugerunt, monſtratoque periculo flagitârunt, ut huic naſcenti malo autoritate occurreret. Pontifex intellectâ re, Verium Circulum, principem ejus familiæ, ad ſe vocatum multis verbis cohortatus eſt, ut depoſitâ contentione in gratiam rediret cum Curſio Donato principe familiæ Donatorum. Neque enim dubitare ſe, reconciliatâ inter eos gratiâ, cæteros quoque fore ſecuturos. Ad hæc, multa licet pollicitus, flectere hominem nequivit, aſſerentem, ſe adverſus neminem prorſus inimicitias exercere. Ita per Verium ſtetit, quo minùs res interventu Pontificis componerentur: quod ad magnum ſibi erratum plerique imputârunt. Mentem certè Pontificis non mediocriter offendit, præſertim cùm adverſarius ejus Curſius paulò ante hoc ipſum à Pontifice rogatus, ſe totum in poteſtate ſua reſpondiſſet futurum. Simultatibus igitur in dies creſcentibus, fortè fortuna Calendis Majis juvenes utriusque familiæ per urbem de more equitabant, comitatum habentes æqualium, & amicorum equitum circiter trecentos. Cum in area, quæ eſt ad Trinitatis ædem, mulierum choream feſtum diem celebrantium inſpecturi, utrique conſtitiſſent, torvè ſe conſpicientes primò, mox quia mixtis erant equis, alteri alteros urgentes, rixa tandem exoritur, & gladiis apertè geritur res, quædam utrinque inferuntur vulnera. Uni etiam Circulorum (Recoverino illi nomen fuit,) in ea rixa naſus abſcinditur. Fit ſubitò concurſus hominum alterutris faventium, non ſine tumultu, & trepidatione civitatis, ægreque tandem pugna dirimitur. Natis hinc jam gravioribus odiis, armata pars utraque longis agminibus per urbem incedebat, & tota civitas erecta, ac ſolicita, graviſſimo in metu verſabatur.

Contentio inter Circulos & Donatos. *Nigri Donatorū favore iuvantur.* *Albis Circuli favent.* *Circulorum familia ad pacem aptior.* *Verius Circulus princeps eius familia.* *Curſius Donatus princeps familia.* *Recoverino ex familia Circulorum naſus abſcinditur.*

His de cauſis Pontifex non ultrà cunctandum ratus, Legatum ſuum Florentiam miſit Matthæum Oſtienſem.

Matthæus Oſtienſis à Pontifice Florentiam mittitur ad ſedandos Circulorum & Donatorum motus.

Is cùm urbem intraſſet, liberum ſibi arbitrium tradi poſtulavit, quo Remp. ſtabilire, ſimultatesq; tollere commodiùs poſſet. Circuli & factio eorum per illa tempora multum in Rep. prævalebant, itaque veriti, ne voluntas Legati ad adverſarios inclinaret, operam ejus in conſtituenda Rep. aſpernati ſunt. Itaque decedens urbe Legatus interdicto illam ſubjecit.

Contentiones graviores ortæ.

Secutæ dehinc graviores contentiones. Nam haud multò poſt cùm pars utraque armata funeri mulieris nobilis adeſſet, è contraria regione ſe minabundi aſpicientes, gladios ſtringere, ac invadere alterutros voluerunt. Ob eam rem animadverſam trepidatio exorta eſt multitudini, quæ ad funus convenerat, & fuga paſſim per urbem facta. Ipſi tamen illo in loco non depugnârunt, ſed interventu ſeparati, diverſis viis domos ſuas rediêre. Circuli eâ die concurſu factionis ſuæ adjuti, Donatos invadere ſtatuerunt.

Circuli Donatos invadere ſtatuunt.

Et aderant cæterarum familiarum homines, qui nuper unà cum illis ad Trinitatis ædem aut vulnerati fuerant, aut graviter offenſi. Hi non clam, neque per inſidias, ſed quaſi juſtam ad pugnam profecturi, equis cataphractis inſidentes, peditum multitudine circumfuſâ, Donatorum ædes adierunt. Illi auditâ vi, quæ contra ſe parabatur, apud Curſii ædes convenerant, & acciverant amicorum manum, factoque armatorum globo, venientes adverſarios non inviti expectabant, confiſi præcipuâ Curſii virtute;

Donati confidūt Curſii virtute.

cujus tanta erat conſtantia, & magnitudo animi, ut eo præſente adverſariorum conatus omnes facilè ſe arcere poſſe arbitrarentur, quod & planè accidit. Nam ubi eò pervenerunt adverſarii, ac magno clamore faces, & arma inferre cœperunt, ruens non minori impetu in eos Curſius aciem venientium perfregit, multisque vulneribus rejectos terga vertere ad extremum coëgit.

Curſius aciem Circulorum frāgit.

His ergò & hujuſmodi crebrò emergentibus, tota civitas erecta, ſuſpicionibus, rumoribusque obnoxia erat. Crimina verò, & delicta interdum vindicabat, interdum etiam multitudine delinquentium ſubſiſtebat. Circuli tamen, eaque pars civium, qui Albi vocabantur, longè plus poterant in Rep. Priores quidem, & Magiſtratus plurimum ex illorum numero legebantur. Igitur adverſarii graviter id ferentes, ac ſæpius inter ſe queſti, demum conſultandi gratiâ in Trinitatis æde convenerunt. Interfuerunt ei conſilio quidam è Ducibus partium optimarum. Ibi multis dictis, agitatisque ſumma conſilii tandem fuit,

Summa conſilij Circulorum.

Pontificem adire, poſtulareque uti Principem aliquem Regii generis Florentiam mittere curaret, ad ſtatum civitatis componendum. Id conſilium, quia privatim erat habitum de Rep. confeſtim ubi reſcitum eſt diverſæ factionis homines carpendo, atque indignando, ad Magiſtratum, quaſi conſpirationem adverſus Remp. libertatemque Populi, initam detulêre: Ipſi verò per ſpeciem imminentis periculi ex agro, clientelisque armatorum ingentem numerum contraxerunt. Contrà verò alia factio, & ipſa ſeſe munierat, (& collecta armatorum manu, quos è prædiis item agroque evocarat, *) Magiſtratus, Prioresque adiens minabunda reclamabat.

** Iſte in MS. Palati. non reperiebantur.*

Cùm igitur illi quidem conſpirationem initam contra Remp. Hi autem vim, & arma publicè contra leges ſumta, puniendum eſſe clamitarent, & utraque pars armata Magiſtratibus minaretur, confuſio erat, & dedecus in Rep. & neque leges, neque pudor quicquam valebant.

Confuſio & dedecus in Repub. Florent.

Dantes Poeta in numero Priorum erat.

Erat per id tempus in numero Priorum Dantes poëta, qui offenſus conſilio illo, quod de evocando Principe aliquo in urbe habuerant, cùm id planè ad everſionem libertatis pertinere exiſtimaret, in diverſam partem inclinare ferebatur.

Dantis Conſiliū.

Quod autem ingenio & eloquentiâ inter collegas eminebat, voluntatem ejus unius nutumque omnes maximè ſpectabant. Is igitur hanc deformitatem labemque Reip. abominatus, commotus etiam minis, quæ contra Priores jactabantur, collegis ſuadet, uti animos capeſſant, Populum pro libertate, ac tutela Reip. in arma excitent. Eo facto cùm principes utriusque factionis ponere arma compuliſſent, tumultus autores dejiciendos urbe amovendosque cenſuerunt; quaſi eorum præſentiâ tranquillitas Reip. turbaretur. Ergo Curſius Donatus, quem principem conſilii fuiſſe, & poſtea ſtipatum armatorum catervâ per urbem inceſſiſſe, Prioribusque comminatum fuiſſe conſtabat, publicatis bonis in exilium agitur. Cæteri verò ejus factionis pecuniis multati,

Curſius Donatus in exilium agitur.

Cæteri eius factionis relegantur.

ad tempus

ad tempus relegantur. Fuerunt autem hi Sinebaldus Donatus Curſii frater, Rubeus Toſa, Giaginotus Pactius, Gerius Spina: hi omnes equites per eam tempeſtatem inſignes, ac ſuarum familiatum principes, & cum his agnati quidam, & proximi ſingulorum ſatis magno numero, ex ea parte, qui Nigri dicebantur, in agrum Peruſinum relegati ſunt, & conſiſtere illic juſsi, donec à Populo vocarentur.

Sinebaldus Donatus Curſii Frater. Rubeus Toſa. Giaginotus Pactius. Gerius Spina.

Ex altera verò factione multati pecuniis & relegati fuerunt Gentilis & Torrigianus, Circuli equites, & agnati quidam ejus familiæ, Baſcherius Toſa, Baldinatius Adimar, Naldus Lotti filius, Gerardinus, Guido Chavalcantis, Johannes Maleſpina. Hi Serazanam eodem modo ire juſsi, & revocationem Populi expectare. Cæterùm hæc pars citò revocata eſt ſub prætextu gravioris zeli, ex quibus Guido Chavalcantis morbo confectus interiit. Haud multò poſtea, quàm reverſus eſt, vir Philoſophus, & imprimis bonarum artium ſtudiis per ea tempora eruditus.

Ex Alborum factione relegantur Gentilis. Torrigianus. Baſcherius Toſa. Baldinatius Adimar. Naldus Lotti filius. Gerardinus. Guido Chavalcantis. Johannes Maleſpina. Serazana. Pars Alborum revocatur cito. Guido Chavalcantis interit.

Curſius poſtquam urbe aufugit, nullum intermiſit tempus, quin ad Pontificem ſe conferret, ut ea quæ conſultata fuerant ſedulò adimpleret. Ubi verò ad Pontificem pervenit, inſtando atque rogando, illius mentem incendere non ceſſabat. Et erat facundus vir, lætâ atque hilari fronte, & in tractandis agendisque rebus admodum ſagax. His artibus tandem effecit, ut Pontifex ad rem Florentinam emendandam, mentem animumque converteret. Cùm itaque Siciliam, quæ contra Romanæ ſedis voluntatem ab Arragonibus occupabatur, recipere Pontifex ſtatuiſſet, & in Hetruria quoque multa forent emendanda, Carolum Valoſianum, Regis Francorum fratrem, evocare in Italiam perrexit, multa promittens atque oſtentans, quò ille venire non cunctaretur. Hæc eo anno foris domique geſta.

Curſius Pontificem adit. Sicilia ab Arragonibus contra Pontif. voluntatem occupatur. Carolus Valoſianus Regis Francorum frater in Italiam per Pontificem vocatur.

Proximo dehinc anno Piſtorienſes adiuti ab ea parte, quæ Florentiæ prævalebat, Nigros expulerunt urbe, domosque eorum diruerunt. Autor novarum rerum Piſtorienſibus fuit Andreas Gerardinus eques Florentinus, qui Piſtorium miſſus præerat civitati. Is ut erat Florentiæ Albarum partium, eam quoque Piſtorii factionem avidè complexus, arma corripere juſſit. Mox vocatis adverſariis, cùm illi metu armorum deterriti, non parerent, domos incendit, ac ſubvertit, bona diripuit, hoſtes judicavit.

Piſtorienſes Nigros expellunt urbe.

Lucæ quoque eadem peſtis factionum convaluit: itaque per eundem favorē inſurgentes Albi Ducibus Interminellis, pellere Nigros tentaverunt, & Obitium quendam diverſæ factionis primarium hominem interfecerunt. Sed Nigri raptis confeſtim armis, non ſe ſolùm tutati ſunt, verùm etiam adverſarios pepulere. Ita malum ſuccreſcens per ſingulas civitates ſpargebatur.

Albi Lucæ Nigros pellere tentant. Obitium interficiunt. Nigri ſe tutati Albos pellunt.

Eodem anno, circiter Calendas Septemb. fulgor, quem Cometen dicunt, in cœlo apparuit. Nec multò poſt adventus Caroli Valoſiani in Italiam ſecutus eſt, qui cùm ad Bonifacium Pontificem tunc Ananiæ reſidentem magno procerum comitatu veniſſet, receptus ab eo ſplendidè, ac titulis honeſtatus, magnam ſpem attulerat rerum præclarè gerendarum. Ad Siciliam igitur invadendam apparatus fieri placuit, quò proximo vere in eam trajiceretur. Interea verò dum hiems obſtat, ad placandam Florentiam, à Pontifice miſſus eſt. Is ergo cùm Romam peteret, ac inde Florentiam venturus nunciaretur, variæ conſultationes ab his, qui Reip. gubernacula tenebant, habitæ ſunt, variæ inſuper curæ, ut magis ac magis appropinquaret, ſuſceptæ. Erat omnino hujus adventus toti factioni eorum, qui Albi dicebantur, moleſtiſsimus. Nam pulſis adverſariis eorum autoritate Reſp. nitebatur, & nihil innovari conducebat. Sed contra impellebat Pontificis ſimul ac Regiæ domus autoritas, quibus obviare ac reſiſtere, præſertim eos, qui Guelfos ſe haberi vellent, inter nefaria putabatur. Et accedebat perhumana Caroli pollicitatio, non niſi commodum & pacem eorum ipſorum, hoc adventu ſuo, quærere affirmantis. Quibus tandem adducti rationibus, qui Remp. tenebant, recipiendum in urbem cenſuerunt. Ingredienti denique honores magnificos, ſolemneſque impenderunt, Magiſtratibus obviam euntibus, & juventute ludicra equorum haſtiliumque exhibente. Ingreſſus eſt autem Florentiam die ipſo Calendarum Novembrium: Nec multo poſt concionem petens aſtantibus Magiſtratibus, & Populi multitudine, ſe pacis causâ veniſſe confirmavit: id quo perficere poſſet, liberam ad hoc poteſtatem ſibi per Populū con-

Cometes in cœlo apparuit. Caroli Valoſiani adventus. Anania. Carolus Valoſianus ad placandam Florentiam à Pontifice mittitur. Caroli adventus factioni Alborū moleſtus eſt. Reſpub: autoritate Alborum nititur. Carolus recipitur in urbem.

Digitized by Google

ceđi oportere. Poſtquam id quoque permiſſum eſt, jure jurando edixit, ſe rectè pacatèque ſine cujuſquam injuria poteſtatem illam habiturum. Sed illo mox è concione abeunte, publicâ poteſtate ſuſceptâ, milites ejus armati prodierunt, cùm in ipſo urbis ingreſſu, aliiſque ſuperioribus diebus inermes circa ſe habere conſueſſet. Ea res præſertim repentina & inſueta, ſpeciem Tyranni magis præbuit, quàm principis. Itaque ſuſpicionibus coortis, itur confeſtim ad arma. Maxima pars Populi ad Priorum ædes convenit, obices multis in locis per vias opponuntur. Sed apud nobilitatem, & plebem magna erat diſſenſio, & mirifica quædam voluntatum, opinionumque confuſio, aliis mutationem Reip. optantibus, aliis formidantibus. His curis anxii neque Ducem neque propoſitum certum ullum habebant.

Caroli milites armati prodierunt.

Populus it ad arma.

Cùm in hoc tumultu civitas eſſet, Curſius Donatus cum aliqua manu urbem acceſsit. Ingreſſus nova mœnia cùm veterum murorum portas clauſas, obſeratasque offendiſſet, circumdatâ urbe ad Feſulanam portulam, devenit ædibus ſuis vicinam. Cùm fores perfringeret, amici ejus re cognitâ concurrerunt, portâque intus refractâ gratulabundi ſuſceperunt. Ille poſtquàm ingreſſus eſt, cumulata ſuorum manu ad Priorum ædes profectus (diverſæ factionis hi erant) confeſtim publico deturbat, exutoſque poteſtate in privatam redigit formam. Carolus verò, dum hæc agerentur, milites ſuos circa ſe continuit, neque ob ea, quæ nunciabantur, unquàm commotus eſt, non cùm portas effringi, non cum Priores pelli, non poſtea cùm totam urbem incendiis rapiniſque miſceri ſentiret. Nam poſt Priores ejectos, eadem illa manus quæ Curſium ſecuta fuerat, per ſe jam ipſa ſuo motu per urbem diffuſa, cædes & incendia pluribus locis perpetravit, quæ patiendo Carolus, totam rem compoſuiſſe creditus eſt, non ſine gravi querela eorum, quibus paulò antè pacem quietemque juraverat.

Curſius Donatus in tumultu ad urbem accedit.

Carolus Curſii facta permittit.

Eadem quoque clades per agrum vagata latiùs, à nullo genere maleficii temperavit: crematæ locupletum hominum villæ, homicidia pluribus locis facta, rapinis & vulneribus omnia fœdata.

Poſt aliquot dies poſita ſunt arma, & novi Priores ſubinde creati, qui reliquū temporis adimplerent.

Priores novi creantur.

Per hoc idem tempus Legatus, de quo ſupra diximus, Florentiam rediit. Eo autore & adjutore pax facta eſt inter Circulos & Donatos, aliaſque familias utriuſque factionis. Conanti deinde Legato gubernationem Reip. communem utrique facere, Curſius, & hi, qui cum illo ſentiebant, (& ob recentem reditum *) plus poterant, parere Legato in ea re noluerunt. Itaque, uti prius Alborum, ſic poſtea Nigrorum facto offenſus, urbi interdixit, atque abivit. Quâ Legati aſperitate etiam priùs inter familias compoſita, viſa ſunt, irritari; *itaq; nec privata quidem pax inter publica duravit odia.* Nam haud multo pòſt Simon adoleſcens, Curſii filius, Nicolaum Circulum equitem rus iter facientem ſecutus, non longè à porta, Caſentinati viâ invaſit. Erant utrique comites aliqui, & pugnatum eſt egregiè ab utriſque. Tandem pugnæ hic exitus fuit, ut Nicolaus interficeretur: Simon verò ipſe accepto lethali vulnere proximâ nocte expiraret. Ob hæc facta, cùm rurſus odia graviſsima ſuſcitata eſſent, & in peius quotidiè laberentur res, ſtante adhuc in urbe Carolo, ſumma tandem calamitas in apertum prorupit. Quidam enim principes diverſæ factionis contra ſtatum Reip. conjuraſſe dicebantur, & Petrum quēdam Ferantis, unum ex proceribus Caroli ad res novandas magnis pollicitationibus pellexiſſe. Horum ſigilla proferebantur, pacta conventa legebantur: Rem tamen pleríque compoſitam fictamque putaverunt. Alii invitatos deceptoſque à Gallo exiſtimabant fuiſſe. Ob eam conjurationem ſeu fictam ſeu veram, tres nobiliſſimi & potentiſſimi cives in periculum vocabantur, Baldinatius Adimar, Naldus Gerardinus, Baſcherius Toſa. Tangebat quoque ea ſuſpicio Verium Circulum, ac cæteros ejus familiæ homines, quorum opera & conſilio id factum promiſſumque fuiſſe inimici jactabant. Hi omnes ad Magiſtratum vocati, cùm, adverſariorum metu, parére non auſi, profugiſſent ex urbe, abſentes damnati ſunt. Nec poſthac modus aliquis fuit in damnandis, pellendiſque civibus diverſæ factionis, boniſque eorum vaſtandis.

Pontificis Legatus Florentiam redit.

Pax inter Circulos & Donatos.

* Non habebant MS. Palati.

Legatus Alborū & Nigrorum facto offenſus urbi interdicit, & abit.

Simō adoleſcens Curſii filius Nicolaum Circulū invadit.

Nicolaus Circulus interficitur.

Simon Curſius expirat accepto vulnere.

Conjuratio principum diverſæ factionis contra Rempubl.

Petrus Ferantis.

Baldinatius Adimar.

Naldus Gerardinus.

Baſcherius Toſa.

Verius Circulus.

Per hæc ipſa tempora, Dantes poëta in exilium actus eſt, ob eam, quam ſuo Prioratu, contraxerat invidiam, cujus ſupra mentionem fecimus. Erat autem per id

Dantes poeta in exilium agitur.

tempus

tempus ad Pontificem orator, concordiæ gratiâ, miſſus. Sed mox novis exortis rebus, pulſisque ex urbe civibus ejusdem factionis, cùm ipſe reus poſtularetur, abſens damnatus eſt, domusque ejus direpta, prædia vaſtata. Qui Albas ſecuti erant partes, per hunc modum pulſi exulârunt. Carolus quinque menſibus Florentiæ commoratus, tandem abſceſſit, in Siciliam tranſiturus.

Albas partes ſecuti, pulſi exulare coguntur.

Proximâ dehinc æſtate Florentini & Lucenſes, conjunctis in unum copiis, Piſtorium obſederunt, quod nuper pulſis, ut doculmus, adverſariis, Albi duntaxat urbem tenebant, ac eò Lucenſium Flotentinorumque exules magno ſe numero contulerunt. Dum circa Piſtorium eſſent Florentinorum copiæ, manus quædam exulum ſuperiore Arno bellum tumultuoſius commovit, quo non vicina modò, verùm etiam remotiora infeſtabantur loca. Ob eum tumultum duæ partes earum copiarum, quæ Piſtorium miſſæ fuerant, confeſtim in ſuperiorem Arnum traductæ, non pepulcrunt modò hoſtem æquis locis, verùm etiam caſtellum quod occupatũ fuerat ab exulibus, recuperârunt; non ſine ingenti detrimento eorum, qui ſe illo recluſerant.

Piſtorium obſidetur à Florentinis & Lucenſibus. Albi tenent Piſtorium.

Inde contra Ubaldinos exercitus ductus, quòd hi receptis exulibus quibusdam ex caſtellis bellum haud ſegniter inferre cœperant. His quoque in locis res proſperè geſta eſt, ac fugatis dejectisque hoſtibus omnia circa Apenninum loca & Mugellanum agrum, quæ hoſtis tenebat, vaſtaverunt.

Ubaldini.

Inde mox circa Gravem fluvium tradnctæ copiæ Alliarium & Acutum caſtella (qnæ & ipſa defecerant, *) in poteſtatem reducta everterunt. Copiæ victrices eo anno omnibus ex locis benè ac feliciter geſtis rebus Florentiam rediêre.

Graves fluvius. Alliarium & Acutum caſtella evertuntur

** Non erant in MS. Palatin.*

Circa finem hujus anni ob easdem ſeditiones Florentini quidã cives ex præcipuis familiis intra urbem capti, quaſi contra Remp. conjuraſſent, ſupplicio afficiuntur. Quo metu & alii complures in ſuſpicionem vocati, ſponte ſuâ abierunt, abſentesque damnati ſunt.

Florentini cives ob ſeditiones ſupplicio afficiuntur.

Cùm eſſet ſic ſtatus rerum urbanarum, ac omnia ſuſpicionibus intra mœnia redundarent, exules per eam occaſionem, coactis, undique ſuis amicorumque viribus, & à Bononienſibus, quæ civitas & ipſa jam hauſerat ſtudia factionum, adiuti, magnas copias equitum peditumq; confecerunt. Cum his copiis in agrum Mugellanum deſcendentes, regionem occupârunt, ſperantes ſe alia ex aliis appetendo loca, urbem tandem, invitis adverſariis, intraturos. Et vulgo jactabant, eos, qui in urbe erant, ob novitates domi exortas, nunquam auſuros obviam exire. Hæc ſeu crudelitas, ſeu jactantia, multum admodum illis obfuit. Nam ſimul atque Florentiam ipiorum adventus nunciatus eſt, civitas confeſtim in armis fuit, & Lucenſium cæterorumque ſociorum auxilia evocarunt, quæ cùm properè adveniſſent, præſidio ſatis valido, ne quis motus ſuſcitaretur, domi relicto, reliquas omnes copias ad hoſtem duxêre.

Exules per id tempus ad Pollicianum caſtra habebant, qui, adventu Florentinorum Lucenſiumque cognito, cum præter opinionem, urbem, in quâ metu novarum rerum diſtineri putabant, reliquiſſe auſos in ſe valentiùs ruere viderent, tanta repentè in caſtris trepidatio eſt coorta, ut magna pars auxiliorum è veſtigio dilaberetur, ac exules ipſi deſperatis rebus arriperent fugam, impedimentis omnibus amiſſis, nonnulli etiam abjectis armis. In hac fuga quidam exulum capti Florentiam ducuntur; In his fuit Donatus Alberti filius, vir in Rep. magnæ autoritatis, & Inarcus Ruffolus, ejus frater, qui primus Vexillifer juſtitiæ fuit & alii præcipuarum familiarum, de quibus pleriſq; civitas ſupplicium ſumſit.

Pollicianum. Exules fugam arripiunt. Exules capti Florentiam ducuntur. Donatus Alberti filius. Inarcus Ruffolus primus Vexillifer juſtitiæ.

Proximo dehinc anno Florentini & Lucenſes, conjunctis inter ſe copiis, rurſus Piſtorium obſederunt. Cùm mœnia dumtaxat tutaretur hoſtis, nec fortunam prælii tentare vellet, nihil aliud profectum eſt, quàm ut agri hoſtiliter vaſtarentur.

Piſtorium rurſus obſidetur à Florentinis & Lucenſib.

Caritas eo anno ingens annonæ fuit, & ſuſtentata multitudo eſt importato externoque frumento, curam adhibente civitate, ut è Sicilia, atque Calabria ſupra viginti ſeptem millia modiorum Florentiam adveherentur, pecuniis ad hoc ipſum largiter contributis.

Annonæ caritas ingens. E Sicilia atq; Calabria ſuper 27000. modii Florentiam advehuntur.

Cùm & bello & fame civitas premeretur, inteſtina inſuper oritur ſeditio, haud minor ſanè peſtis, quàm duo ſuperiora incommoda. Curſius enim Donatus poſt reditum in urbẽ, ac pulſos diverſæ factionis homines, non ſatis gratiæ ſibi exiſtimabat à civibus ſuæ factionis referri, multosq; inferiori virtute honoribus accumulari, ſe

Florentia belloq; fame premitur. Seditio inteſtina oritur.

autem præteriri, ac nomen ſuum velut antiquari, pergraviter ferebat. Hac igitur indignatione permotus, quo res novas ſuſcitaret, autor erat, ut pecuniarum publicarum, quas magni quidam in Rep. viri non abſq; infami adminiſtratione tractaverant, ratio poſceretur. Hoc ipſum, & diverſæ factionis homines, quot aut occulti, aut ſuſtentati in urbe remanſerant, & alii, quicunq; præſentem civitatis ſtatum vel invidiâ potentiorum, vel injuriâ oderant, malevolentiâ potiùs, quàm bono aliquo publico flagitabant. Itaq; nullis opinantibus repentè conjunctio facta eſt inter eos homines & Curſiũ Donatum ad rationem depoſcendam. Ea poſtulatio apertè erat contra illos, qui per id tẽpus Remp. gubernabant. Et addixerat ſe poſtulationi Lottarius Præſul, vir magnæ autoritatis, cæterum ſatis ſinceri in Remp. animi. Poſtulatio quidem honeſtam ſpeciem prætendebat: ſed vexatio, dejectioq; gubernatorũ Reip. & novarum rerum ſemina quærebantur. Ea res intellecta (neq; enim erat obſcura) ad reſiſtendum poſtulationi cives animavit. Contentio tandem ad arma prorupit. Hinc populares ejus factionis, quæ poſt adventum Caroli Valoſiani Remp. gubernabant: Inde Curſius Donatus alienior factus, cùm antea princeps ejus factionis eſſet: Hunc omnes, qui præſentem Reip. ſtatum vel occultè vel palàm graviter ferebant, ſectabantur. Crebra ab his prælia intra urbem commiſſa. Priores enim, ac populares ejus factionis arcem tenebant, & armatorum multitudine aditus tutabantur. In hos crebri impetus ab adverſariis facti ſunt, cædesque & vulnera pluribus locis commiſſa. Confluxerant namque in urbem ruſticorum turbæ, reorumque ac damnatorum, ac præterea latronum & ſicariorum multitudo ingens, homicidiis rapinisque omnia fœdabantur.

Pecuniarum publicarum ratio poſcitur.

Lottarius Præſul.

Poſtulationi reſiſtitur.

Prælia crebra intra urbem committuntur.

Homicidiis & rapinis omnia fœdantur.

Multos dies cùm ea peſtis viguiſſet, nec modus aut finis ullus turbationibus cerneretur, & utraque pars obſtinatè perſtaret in armis, tandem unicum per id tempus remedium ſupervenit Lucenſium multitudo civium. Hi verò utrum ſuopte ingenio commoti pro ſociorum ſalute, an rogati poſtularique advenerint, non ſatis exploratum eſt mihi: Verùm magno illos numero veniſſe Florentiam conſtat, magnasq; equitum peditumq; copias adduxiſſe, ut cuivis parti adhærerent, ad illã haud dubiè victoriam inclinarent. Intra mœnia recepti, partim rogando, partim minitando cùm prælium diremiſſent, per præconem ſuo nomine edixerunt, uti damnati, ac facinoroſi urbem purgarent, nemo rapinam, nemo cædem, aliúdve maleficium patraret. Inde ad pacandos civium animos converſi, novos Magiſtratus creari per Populum ſuaſerunt, ac Reip. conſtituerunt ſtatum. Duodecim Priores tunc primùm creati ſunt, cùm anteà ſex duntaxat creari mos eſſet: idque altero quoque bimeſtri ſervatum eſt. Lucenſes compoſitis Florentiæ rebus, bonum ac ſociale operati opus, abiêre.

Lucenſes Florentiam advenẽre.

Lucenſium ſuaſu novi Magiſtratus creàtur. Priores 12. creantur.

Per hæc ipſa tempora Benedictus Pontifex Romanus, qui Bonifacio paulò antè defuncto ſucceſſerat, auditis Florentinorum diſcordiis, Legatum ad pacandam Hetruriam Florentiamq; delegit Nicolaum Pratenſem Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, virum ſagacem, atque induſtrium: qui etſi res compoſitas à Lucenſibus cognoviſſet, tamen complura ſupereſſe ratus, & præſertim reductionem exulum mente cogitans, Florentiam venit, tribus ferè menſibus poſtquã Lucenſes abierant. Ingreſſus urbem, cùm arbitrium liberum poſtulaſſet, ſibi haud difficulter conceſſit civitas, ſentiens adhuc morbi reliquias nequaquam contemnendas intra viſcera remanſiſſe, quibus medelam cupiebat afferri. Legatus igitur proſpectâ ſagaciter naturâ civium, cùm multifariam civitatem diviſam, principem tamen diviſionem inter nobilitatem & plebem animadverteret, partes animo complexus eſt plebis, ſentiens id genus hominum minùs pertinax adverſus reductionem exulum, minus acre ſtudiis partium reperiri. Confeſtim igitur huic factioni adhærens, multa providere ac moliri cœpit, quo nobilitatis frangeret animos, plebis verò autoritatem, dominatumq; aſſereret: ſic enim obnoxiam ſibi futuram multitudinem, & nutum ejus ſecuturam arbitratus eſt. Conſiderans igitur nobilitatem per ſe ipſam haud multum poſſe, niſi clientelis & amicitiis plebeiorum hominum ad eos concurrere ſolitorum, juvaretur: Plebeios autem ipſos haud imbecillos fore, ſi injuriæ ſingulis illatæ ad multos pertinerent, unico utrique rei conſilio proſpicere feſtinavit. Eâ de causâ ſolerti quidem ingenio autor fuit viginti ſocietates in urbe creandi, in quas plebem diſtribuit univerſam. Harum ſocietatum TransArnina tribus continuit quatuor, totidem Scradiana, reliquæ deinceps tribus ſingulæ tres. Ita viginti

Benedictus Pontifex.

Nicolaus Pratenſis Roman. Eccleſ. Cardinalis ad pacandam Florentiam à Pontifice delegitur.

Legatus adhæret Plebi.

Florentina Plebs in Viginti ſocietates diſtribuitur.

Transarnina Tribus.

Scradiana tribus.

ginti ſocietates intra urbem factæ. Singulis verò ſocietatibus Signiferi; ſingulis Præfecti, hisque vexilla ſunt tradita, variis diſtincta inſignibus, quo quisque ſua & internoſcere aſpiciens, & cōſequi poſſet. Mandatumq; his eſt, ut, quoties opus foret, cum vexillis proditent, & armatam quisque ſuam adduceret ſocietatem. Deſignatio autem ſocietatū per vicos, Parœciasq; eſt facta, civesq; omnes è plebe deſcripti, pœna graviſſima conſtituta, ſi univerſi in armis non eſſent, nec vexilla ſua, quoties illa proditent, ſequerentur. Tempus Signifero conſtitutum fuit menſiū ſex, & illud additum, ne quisquam ex nobilitate in ſocietatibus cenſeretur, neu ſe immiſceret, néve domo abiret, dum vexilla promerentur. Si quis è plebe homo à potentioribus illo tempore invaderetur, Signiferum ſocietatis, ex qua is foret, auxilium ferre lex jubebat, ac vim armis repellere. Si quis è nobilitate plebeium occidiſſet, ad vindictam, proximo agnato ſocietatem aſſiſtere, pecuniâ, ſi opus foret, ac propinquus egeret, communi ſocietatis impensâ perſequendam vindictam ſtatuebat. Si plebejus plebejum invaderet, aut occideret, nullæ erant partes Signiferi, neque ſocietatis. Ex quo apparebat, & popularium ſocietates eſſe ſolùm, & contra potentiam nobilitatis conſtitutas ſolùm. Fertutque vox illa Legati, cum ſocietates creaſſet, non jam poſthac recipiendam fore plebei hominis vocem, contra potentiam nobilitatis conquerentis, cum quivis è plebe longè plures habeat injuriarum vindictæq; conſortes, quàm ulli ex familiis, modò ſocietatum jura inſtitutaque ſervarent. Eodem ferè ordine extra urbem quoq; per Florentinum agrum vexillationes quædam ſunt inſtitutæ, magis ne quisquam ex his locis ad nobilitatem concurreret, quàm ut per mutuam ſeſe opem agricolæ tutarentur.

Singulis ſocietatibus ſigniferi, præfecti & vexilla traduntur.
Leges ſocietatum.
** parochias M. S. Pal.*
Vexillationes inſtituuntur extra urbem.

Roborato plebis ſtatu, ac multitudine in ſuum favorem traductâ, Legatus jam tempus maturum adeſſe ratus, ea quæ cogitaverat, adimplendi, traductionem exulum aggreditur. Ejus rei causâ liberum ab exulibus arbitrium (nam civitas antè conceſſerat) poſtulavit, exulum pluribus locis conventibus actis. Summa tamen omnium ad eos, qui Aretii erant, referebatur: ibi namque Verius Circulus, & omnis illa factio ingenti multitudine reſederat, Ducemque ſuarum partium ſibi conſtituerat Alexandrum Romenæ comitem, conſiliariosque & præfectos ex ſui corporis civibus. Hi ergo publicâ deliberatione arbitrium poteſtatemque rerum ſuarum permiſerunt Legato. Fuit in eo conſilio Dantes Poëta, unus è Præfectis, & Petrachæ poſtea incliti Poëtæ futuri pater, qui ambo ſimili æſtu partium ejecti Florentiâ, Aretii exulabant, ubi & Petracha ipſe mox natus eſt. Accepto exulum decreto Legatus, ſyndicis quoque eorum arceſſitis, propoſitum intentat, reductionem ſimul & concordiam enixè aggreditur. Rem per ſe difficilem, longè difficiliorem faciebat, quòd ille univerſam rationem exulum reducendorum ingrediebatur. Hi autem partim erant Albi, recens pulſi: partim Gibellini, quorum ſanè durior erat cauſa, difficultatesque maximæ oriebantur, vel reſtituendorum bonorum gratiâ, vel inimicitiarum privatarum. Quod ſi Albis ſolùm reducendis conatum diligentiamque Legatus adhibuiſſet, haud difficulter ea res videbatur effectum, quem optaverat, habitura. Sed ille magnitudine animi, & favore multitudinis elatus, dum utrumque ſimul aſſequi vult, neutrum aſſecutus eſt. Adhæſerant tamen familiæ quædam potentiorum Legato, poſtquam propoſitum ejus cognoverunt, ac ejus factum vehementer juvabant. Populares etiam multi, pacis avidi, ejus cœpto favebant, quorum ille fiduciâ erectus nitebatur.

Legatus reductionem exulum aggreditur.
Aretii, exules, Verius Circulus, & omnis illa factio reſidebat.
Alexander Romena exulum Dux.
Dantes Poëta Petrarchæ pater.

Miſſi ergo ab exulibus ſyndici, cum Florentiam veniſſent, ac frequentem conſultationem apud Legatum agerent, resque boni profectò exitus ſpem habere videretur, nova repentè turbatio exorta cuncta priùs compoſita diſſipavit. Civibus enim, nihil minùs, quàm tale aliquid ſuſpicantibus, repentè nunciatum eſt, maximâ exules multitudine, juſſu Legati, adventare, quaſi urbem concedētibus, repugnantibúsve civibus intraturos. Id cū pluribus ſimul ex locis nunciaretur, trepida civitas arma ſumſit, ac magnis in ſuſpicionibus verſabatur: Legatū verò, parùm ſincerum hominem, ac fictè compoſitū formidabat, multi etiā ſubdolā ejus verſutiā criminabantur. Enimvero Legatus ſe conſtantiſſimè purgans neminē à ſe vocatū fuiſſe exulū per ſacra aſſeverabat; totā rē ab adverſariis, & malevolis pacisq; & quietis publicæ hoſtib⁹ quadā arte cōpoſitā querebatur. Atq cōſtabat li-

Turbatio nova exoritur.
Legatus ſe purgat cōſtantiſſimè.

teras, Legati nomine ſcriptas, exules accepiſſe: Sed an veræ vel fictæ fuerint literæ, ambigebatur. Nec deerant, qui prædicarent à Principibus nobilitatis, reditum adverſariorum graviter ferentibus, ad pariendas turbas falsò literas fuiſſe ſubmiſſas. Nos, utrum illorum verum fuerit, in medio relinquimus. Sed qui exulum nomine advenerant, conterriti eâ novitate, è veſtigio abierunt. Ita negotium pacis interruptum eſt. Legatus quoque, ut ſuſpicionem minueret, tunc relictâ urbe, Pratum conceſſit, opidum ingreſſus cum eadem poſtulaſſet (nam Pratenſes quoq; iisdem ſeditionibus agitabantur) nihil ad extremum proficere valuit. Quin etiam dum acrius urgeret, inſurgente factione, Prato expellitur. Quare Florentiam reverſus, expeditionem contra Pratenſes indixit. Ad eam rem, cum voluntarios milites rogaret, & profiterentur multi, copiæque jam in urbe creſcerent, ſuſpicio iterum coorta eſt, ne ſub alio prætextu militem cogere, ac res novare aggrederetur. Itaque adverſantibus civibus, & arma ponere jubentibus, conatus Legati in irritum redierunt. Eâ tandem indignatione permotus, Florentiæ ſimul ac Prato interdixit: ipſe irrito labore ad Pontificem rediit.

Pacis negotium interrumpitur.
Pratum opidũ.
Praten es indẽ ſeditionibus ac Florentini agitantur.
Legatus Prato expellitur.
Legatus Florentiæ ac Prato interdicit.
Pons ad Carariam corruit.

Eodem anno pons, qui ad Carariam dicitur, nimio pondere multitudinis quæ ad ludos incubuerat ſpectandos, corruit. Erat verò per id tempus non quemadmodum nunc lapideus eſt, ſed ſublicius. Ejus ruina multos afflixit.

Receſſum Legati magnæ contentiones ſecutæ fuerunt: Pars enim quædam nobilitatis, ſtante nuper in urbe Legato, ſeſe illi conjunxerat, ac reductionem exulum intemperanter concupiſſe viſa fuerat. Erat verò ferè ex iis familiis, quæ ad Albas partes inclinare putabantur, ea de cauſa cæterarum familiarum in ſe contraxerat odia. Ut ergo abiit Legatus, reliqua omnis nobilitas in illos ſurrexit, præter Curſium Donatum, qui amicis infenſus contra naturam ſuam quieſcebat. Hos, popularium quoque duæ inſignes familiæ, Nigrarum partium aſſertrices, ſectabantur Junii & Medices. Creſcentibus igitur contentionibus, pugna tandem conſeritur. Principium verò pugnæ ortum eſt apud Circulorum Garbenſium ædes. Mox à privatis ædibus in forum delata. Cum ergo novum inter vetusque forum, & circa porticum frumentariam pugnaretur, & invicem modò pellerent, modò pellerentur; Nerius quidam Abbas, qui ſuorum inimicus è tota Abbatum familia in urbe reſtiterat, & contra Circulos, atque alios hujus factionis, in pugna ſtabat, contemplatus Boreæ vim in adverſarios perflantem: fax & malleoli afferantur, inquit, jam ego hos cum domibus propriis extorres agam. Nec mora, delatum ignem in gentilium agnatorumque ædes injecit, quæ non longè à porticu frumentaria ſitæ fuerunt. Inde cum eâdem face diſcurrens ad caput veteris fori, Caponſaccorum ædes incendit. Is ignis inter miſſilia, ac tela vires aſſumens, flatu inſuper Boreæ adjutus, latè pervagatus eſt, domos & ſingula carpendo appræhendit. Tabernæ venalium rerum magni precii in his erant locis, eas cum ignis invaderet, vel incendio cremabantur, vel à prædonibus diripiebantur. Urbs eodem tempore ardebat, & vicatim oppugnabatur, non ſecus ac ſi hoſtis intraſſet. Quo minus homines ferre opem poterant, eò latius vagatus inter duo fora primùm & circa porticum frumentariam omnia conſumſit. Inde rurſus vires aſſumens, uſque ad Arnum pervenit, nec prius finis cremandi eſt factus, quàm ſupra mille & ſeptingentas ædes uno incendio conflagrarint. Medicatum fuiſſe ignem vulgo creditum eſt: nec equidem abs re ſuſceptam credulitatem exiſtimârim, cernens etiam nunc admirabilem, ac propè ſtupendam illius vim, in parietes etiam ipſos ac lapides, quod reliquiæ monſtrant, ſævientem. Ob hujus incendii damna, pars illa, quæ Circulis favebat, ſuccubuit, abſumtis Cavalcantum, Gerardinorumque, & Pulcrorum ædibus, quibus ea factio plurimum nitebatur, & vicinis etiam, qui unà ſentiebant, everſis.

Nobilitas in Albos ſurgit.
Iunii & Medices Nigrarum partium aſſertrices.
Pugna oritur apud Circulorum Garbenſium ædes.
Nerius Abbas ignem in gentilium agnatorum ædes injecit.
Caponſaccorum ædes incenduntur.
Florentia ardet & vicatim oppugnatur.
1700. ædes uno incendio conflagrant.
Medicatus ignis.
Pars quæ Circulis favebat, ob incendii damna ſuccumbit.

Cedentibus igitur victis, & civitate ad aliquem modum compoſitâ, novum rurſus periculum, novaque turbatio exoritur. Legato enim, de quo ſupra diximus, ſiniſtra admodum, ac perverſa referente, cum de ſuis ipſe facinoribus tacens aliena facinora in crimen vocaret, ac Pontifici, qui illum miſerat, quaſi ejus honor ſpretus eſſet, ac deriſui habitus, veluti faces quaſdam indignationis admoveret, commotus Pontifex duodecim potentiſſimos eâ tempeſtate cives, principes ejus factionis, quæ tunc urbē tenebat, corripiēdos ſtatuit. Eos igitur cū ad ſe citas-

Nova turbatio ex Legati relatione exoritur.
Pontifex duodecim cives corripiendos ſtatuit.

ſe citaſſet, varia conſultatio fuit: & contemnere ſimul, & parére formidabant, quod in altero famæ, in altero ſtatus periculum verſaretur: famæ, ſi, quaſi delictorum conſcii, non irent: ſtatus, ſi per eorum abſentiam motus aliquis in urbe ſuſcitaretur. Omnibus tandem penſitatis, & ad honeſtatem, & ad magnanimitatem, potiùs viſum eſt Pontificem adire. Quare profecti omnes, ut vocati erant, viri ampliſſimi principes civitatis, Curſius Donatus, Rubetus Toſa, Gerius Spina, ac cæteri potentiſſimarum familiarum ſupremi, honeſtum ac decentem comitatum ducentes, Peruſiam, quòd ibi tum Pontifex reſidebat, pervenerunt.

Curſius Donatus, Rubetus Toſa Gerius Spina Pontificem citati adeunt.

Cum Pontificem Patresque adiiſſent, ac purgandis diluendiſque criminibus intenderent; Nicolaus Pratenſis, quem Legatum in Hetruria fuiſſe docuimus, inter hæc dolum commentus, exulibus clam perſcripſit, uti repentè Florentiam invaderent: Nullum quidem tempus rei patrandæ aptiùs fore, cũ principes omnes diverſæ factionis de induſtria evocati abeſſent, quibus detractis, ne auſuros quidem eſſe reliquos cives manum contrà attollere, maximâ præſertim multitudinis parte, (quod pridem experimento viderit) illorum reditum affectante.

Nicolai Pratenſis Legati dolus.

Hanc exhortationem avidè complexi exules, cum alii aliis celeriter ſignificaſſent, conſtitutâ die Florentiam verſus undiquaque contendere, ita improviſo atque ſecreto, ut nil præſentiretur, ita magnâ multitudine, ut cuncti expaveſcerent. Fuerunt enim peditum ſupra novem millia, equites verò ad mille ſeptingentos.

Exules Florentiam verſus undiquaq; contendunt.

Hæ copiæ, magnâ ex parte Aretinorum Bononienſiumque fuerunt, quæ civitates iiſdem infectæ partibus, Albis favebant. Cum igitur vergente jam in occaſum ſole, non procul ab urbe viâ Bononienſi primæ exulum copiæ apparuiſſent, civitas repentè in armis fuit, vigiliæque eâ nocte propè vicatim actæ. Addebat terrorem debilitas urbis, quæ nondum abſolutis novis mœnibus, & antiquis propter ſpem novorum neglectis, non ſatis valida contra oppugnationem putabatur. Exules primâ luce bifariam partitis copiis, ad primum ferè lapidem, Bononienſes in ſubſidio reliquêre: Ipſi verò cum Aretinis ad urbem deſcendentes, nullo negotio nova transgrediuntur mœnia.

Exules transgrediuntur nova mœnia.

Inde levia quædam prælia commiſſa ſunt, in quibus ſuperante multitudine, cum cives dimoviſſent, ad lævam tenentes iter, non longè à ſervorum templo patentiori loco aciem ſtruxerunt. Signo dato, cum ad vetuſta mœnia diſcurriſſent, contra viam gladiariam, & portulam, quâ via illa claudebatur maximè impetum fecerunt. Eam cùm repulſis defenſoribus perfregiſſent, ingreſſi anteſignani uſque ad Martis templum prælIantes pervenerunt, & vexilla quædam intra portam illata, magnum terrorem præbuerunt civibus.

Uſq; ad Martis Templum exules perveniunt.

Nec ambigitur, quin eodem impetu, ſi ſecuta fuiſſet acies, exules illa die victores fuiſſent. Sed cunctando extra portam, ac exitum pugnæ expectando, concurrendi, ac ſe conglobandi, civibus facultatem præbuêre. Itaque concurſu poſtea ad eum locum facto, quo hoſtem intraſſe clamabatur, ſeſe cohortantes cives, invadenteſque extra portam dejecerunt.

Florentini, Cives invadentes exules extra portam dejiciunt.

Sunt, qui putent, exules non ſat unanimes fuiſſe ad urbem invadendam, & Albos Gibellinorum vires expaviſſe. Nam quâ ratione à viris militaribus, ac bellorum expertis omiſſum fuerit vel aciẽ totam primo impetu irrumpere, vel, cùm uno in loco pugnaretur, aliis ſubinde locis admovere? Jam verò Bononienſium copias, quæ in urbe conſpectæ magnum terrorem afferre potuerunt civibus, quo tandem conſilio procul ab urbe reliquerunt? Hæc & hujuſmodi errata ſuſpicionem præbent, quaſi mallent quidã exulum urbe non potiri; ſed aciem dumtaxat admovere, quo ipſi per pactionem reciperentur. Nam pulſos nuper cives, quos vocabant Albos, non tã voluntas, quàm neceſſitas Gibellinis conjunxerat, nec ſi facultas eſſet, paſſuri ſeſe invicem videbantur. Et relictam de induſtria, procul ab urbe Bononienſium putant aciem; quoniam illa maximè cum Ubaldinis & aliis Gibellinæ factionis hominibus veniſſet. Ego verò, quid animi habuerit unuſquiſque exulum, haud facilè exiſtimo quenquam eſſe dicturum. Verùm hæc, & hujuſmodi *errata, in re militari evenire, non alienum puto, ubi non unus Dux, ſed multi Ductores præſunt, nec miles eſt, qui poſt ſigna ingreditur*, ſed collectitia turba nominis * unius imperio conſueta: quæ omnia tunc aderant. Nam & multi æquales inter ſe Duces erant, & manus tumultuaria, atque nova. Bononienſes ſimul atque repulſos, qui urbem intraverant, cognovere, & nunciabant quidam aciem quoque extra

* nominis M S. Pal.

Bononienſes Exules qui urbem intraverant: abeunt.

extra portam eſſe profligatam, confeſtim ſigna moventes, abiêre. Qui verò ante portam in acie ſtabant, cumà prima luce ad meridiem conſtitiſſent, ſiti atque calore fatigati, labaſcere jam pridem cœperant. Itaque poſtquam abiiſſe Bononienſes audiverunt, quaſi deſerti à ſuis, è veſtigio ſecuti ſunt, tantâ trepidatione, ut fuga magis, quàm profectio videretur. Pauci ex civibus poſt eos egreſſi, quoſdam poſtremo agmine interfecerunt: reliqui ea ipſa, qua venerant viâ, remearunt. Cùm ſuperato colle in agrũ Mugellanſi deſcenderent, obviam illis fuerunt Piſtorienſium copiæ, quas Toloſanus Ubertus Florentinus eques, & ipſe exul, eadem ex cauſa adducebat. Erant autem equites trecenti, pedites verò circiter octingentos. Ab his Toloſanus cognovit, quid actum eſſet, & quid ſpei ſuperforet: itaque converſo itinere Piſtorium reduxit.

Toloſanus Ubertus.

Benedictus Pontifex vita deceſſit.

Per eoſdem ferè dies, quibus hæc ab exulibus attentata ſunt, Benedictus Pontifex Romanus vitâ deceſſit, magnæque ſunt Patrum diſcordiæ in eligendo ſecutæ. Itaque cives nuper ad Pontificem evocati, cognitâ Legati fraude, & apud Patres conqueſti, Florentiam illicò redierunt. Verſi dehinc ad Remp. ſtatumque civitatis roborandum, quoniam apparebat magna ſupereſſe certamina, ſocietatem renovârunt cum aliis Hetruriæ Populis, qui eaſdem per id tempus ſectabantur partes. Hi fuerunt Lucenſes, Volaterrani, Senenſes, Pratenſes, Geminianenſes, Collenſes, Tiſernates, quos Caſtellanos vulgo dicunt. Omnes hi ſimul uno fœdere colligati, Ducem ſibi præficere aliquem majoris autoritatis ſtatuerunt, cujus auſpiciis bellum inferrent.

Florentini ſocietatem renovant cum aliis Hetruriæ populis. Hi fuerunt. Lucenſes. Volaterrani. Senenſes. Pratenſes. Geminianenſes. Collenſes. Tiſernates vulgo Caſtellani dicti.

Robertus Caroli Regis in Italia filius.

Rainerius Foreſii.

Borgus Rinaldi.

Robertus Dux deligitur.

Robertus erat per id tempus filiorum Caroli Regis in Italia maximus, inſigni jam tunc indole, ac magnæ ſpei juvenis: hunc deligere Ducem placuit. Ejus rei gratiâ miſſi Neapolim oratores duo, Rainerius Foreſii, & Borgus Rinaldi. Iverunt & à Lucenſibus Senenſibuſque oratores alii, qui Regem primò, mox juvenem allocuti, tandem illius adventum in Hetruriam impetrârunt, hujuſmodi conditionibus, receptiſque, uti Robertus in Hetruriam veniret, exercitum Florentinorum ſociorumque ductaret: Nullam in urbibus opidiſve poteſtatem haberet: In exercitu verò animadvertendi in eos, qui non parêrent, ſibi jus eſſet. Si pecuniâ damnaret, ærario civitatis opidive, cujus damnatus civis opidanùsve foret, applicaretur: annum integrum in Hetruria gerendo bello perſtaret, nec inde abiret, niſi aut evidens periculum Regni paterni aut Pontificis juſſus moram ejus impediret. Contrà verò Florentini ſociique ſtipendia equitibus, quos adduxiſſet, in menſes ſingulos darent, ſibique & familiæ diurnam penſionem. Harum pecuniarum maximam omnium partem Florentini ex fœdere conferebant, proximam Lucenſes, pauciorem Senenſes, perexiguam deinde Pratenſes, Tiſernates, Geminianenſes & Collenſes.

Robertus in Hetruriam venit.

His ergo compoſitis, proximi anni vere primò, Robertus in Hetruriam venit, ducens equites non amplo quidem numero; ſed viros nobiles ad bellum delectos. Civitates jam conſilio habito Piſtorium obſidere conſtituerant, quòd ea urbs per id tempus ab adverſariis tenebatur, Florentiniſque, & Lucenſibus bellum aſſiduum inferebat. Igitur poſtquam Florentiam venit Robertus, coactum paulò poſt exercitum in Piſtorienſes duxit. Venerunt alia ex parte Lucenſes magnâ multitudine, ac ſe Florentinis cæteriſque ſociis conjunxerunt. Caſtris non longè poſitis, cum undique Piſtorium cinxiſſent, expugnare urbem aggrediuntur: ſed reſiſtebatur acerrimè ab his, qui in urbe erant, Piſtorienſibus. Et aderant Florentinorum exulum non contemnenda manus, & conducti equites mercede, circiter trecentos. Hi cum urbem egregiè defenderent, ac ob eam rem longior interceſſura videretur mora, Florentini & ſocii obſtinatis animis vallo & foſsâ urbem circumdarunt, caſtelliſque & turribus opportunis locis muniverunt, ut nemo ingredi, egredive poſſet. Crebra verò quotidie prælia inter mœnia urbis, foſſaſque committebantur.

Roberti exercitus in Piſtorienſes ducitur.

Florentini & ſocii vallo & foſſa Piſtorium cingunt.

Clemens Pontifex Romanus. Duo ſimul Legati in Hetruriam mittuntur à Pontifice.

Dum ea geruntur apud Piſtorium, Clemens Pontifex Romanus (is enim Benedicto nuper defuncto in Pontificatu ſucceſſerat) hortatu Nicolai Pratenſis, duos ſimul Legatos in Hetruriam miſit. Hi quartum fere menſem, poſtquam obſidio cœpta fuerat, cum in caſtra veniſſent, Roberto Duci, exercituique ex autoritate Pontificis edixerunt; uti ab armis diſcederent, obſidionemq; diſſolverent: his

niſi

niſi parerent, cenſuras graviſſimas protulerunt. Robertus dicto Pontificis audiens fuit: id enim ab initio nominatim exceperat. Cæteri quoque Populi longiorem militiam veriti, deſtiterunt: Florentini ſolum, & Lucenſes obſtinatis animis obſidionem perſecuti ſunt, conſcii: non tàm ex animo Pontificis, quàm ex procuratione adverſariorum præcepta illa comminationesque prodire, ac paulò antè in Principibus experti civibus, *nihil neque firmi, neq; ſinceri curiam habere.* Ea indignatione Legatorum præcepta contemnere, nec tantis laboribus cœptam, protractamque obſidionem diſſolvere, ſtatuerunt. Legati, quoniam dicto non parebatur, in Florentinorum Lucenſiumque Præſides ſententiam tulerunt: urbibus autem eorum interdixerunt ſacris. Robertus igitur relictâ apud Piſtorium maximâ parte equitatus, quem veniens in Hetruriam duxerat, ipſe tenui comitatu in provinciam primo, mox in Galliam tranſiit, Pontificem pro aſſumtione gratulatum. Florentini verò, & Lucenſes in obſidione perſeverantes urbem arctius indies preſſerunt. Milites, ne longiori afficerentur militiâ, viciſſim mutabantur, ut novi veteribus, & integri ſuccederent feſſis. Ad undecimum uſque menſem protracta obſidio eſt. Tandem, cùm jam neceſſaria deficerent, qui obſidebantur, turbam mulierum, & inutilium bello hominum exigere cœperunt. Sed hi cum ad munitiones pervenerant, non minus acerbè à militibus, qui ſtabant pro vallo, in urbem rejiciebantur. Ita longitudine belli domiti Piſtorienſes, in poteſtatem venerunt, exulibus qui intus erant incolumibus pactis: civibus autem impunitate conceſsâ.

Legati urbibus interdicunt ſacris.

Florentini & Lucenſes Piſtorium arctius indies premunt.

Poſtquam urbe potiti ſunt Florentini, & Lucenſes, mœnia undiquaq; diruerunt, foſſas compleverunt, agrum & regionem inter ſe partiti ſunt. Urbi verò afflictæ, ac ſemirutæ communiter imperitârunt. Captum eſt autem Piſtorium V. Idus Aprilis, anno Chriſtianæ ſalutis trecenteſimo ſexto ſupra mille, cum ſuperiori Majo obſideri cœptum eſſet, finemque habuit Piſtorienſe bellum.

Piſtorium capitur
Anno ſalut. 1306.
Piſtorienſe bellum finem habet.

Haud multò poſt reductas Piſtorio copias, Florentini in agrum Mugellanum profecti, Accianicum obſederunt. Id erat caſtellum Ubaldinæ gentis, & ſitu loci & ſtructurâ murorum longè munitiſſimum. Cauſa obſidendi illa fuit, quòd maxima vis exulum eo in caſtello conſederat; à quibus non terrores modò, verùm etiam damna finitimis inferebantur. Tribus menſibus omni conatu Florentinus circa illud commoratus, tormentis maximè & cuniculis oppugnationem tentavit. Verùm conatus omnes in irritum caſuri erant, aſpernante munitiſſimo loco; niſi ſuſpicio inter principes ejus familiæ coorta, certatim compuliſſet ad deditionem faciendam. Quare pecunia ex promiſſa caſtellum tandem receptum eſt, & ad ſolum everſum. Incolatum autem pars in ſubjectam planitiem * redacta, & opidum ibi conditum, quod poſtea Scarpariam vocitarunt.

Accianicum à Florentinis obſidetur.
Cauſa obſidendi.
Accianicum deditur, & ad ſolum evertitur.
* *materiam M S. Palat.*
Scarparia opidum.

Eodem anno Magiſtratus noviter creari in urbe cœptus eſt contra nobilitatem, quem Executorem juſtitiæ dixerunt. In hunc Magiſtratum magna pars ejus curæ, quæ prius ad officium Vexilliferi juſtitiæ pertinebat, tranſlata eſt. Et quò gratiæ metusque abeſſet ſuſpicio, peregrinum ſumere placuit, & quidem extra Hetruriam oriundum.

Executor juſtitiæ noviter creatur.

Societates etiam Populi eodem anno renovatæ, unâ detractâ ex tribu Scradiana: eo factum eſt, ut pro X X. ſocietatibus decem & novem inſtituerentur. Ac ſecuti tunc primum vexilla cives ante diem octavum Calendas Sextiles tranſmiſerunt.

Societates Populi renovant.

Per hæc ipſa tempora Nepoleonem Urſinum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Clemens Pontifex in Italiam miſit, ad diſcordias Hetruriæ componendas. Hujus enim Legatio eodem autore manaſſe creditur, quo ſuperiorum Legatorum. Nicolaus enim Pratenſis nuper his contentionibus, imbutus, vel acerrimum patrocinium apud Pontificem agebat pro exulibus reducendis. Gratiâ verò maximâ apud Clementem poterat, quoniam ejus Pontificis electio ex ſinu conſiliorum ſuorum fluxiſſe credebatur. Nam incluſi nuper apud Peruſiam Patres, cum magnis inter ſe diſcordiis certarent, hujus præcipuâ calliditate in Burdegalenſem Archiepiſcopum conſenſerunt, cui mox Clementi placuit appellari. Ea de cauſa recenti gratiâ potens, ubi priores legati re infectâ redierunt; Nepoleonem fiduciâ quadam generis, in Hetruriam perſuaſit legandum. Ille igitur Pontificis juſſu Lugduni movens, cum ſuperatis Alpibus in Italiam perveniſſet,

Nepoleo Urſinus Cardinalis à Pontifice mittitur ad componendas diſcordias Hetruriæ.
Patres in eligendo Pontifice inter ſe diſcordiis certant.

perveniſſet, ac jam Hetturiæ propinquaret, præmiſſis Florentiam nunciis adventum ſuum Populo ſignificavit, & ſibi parari locum in urbe petiit. Frequenti ſuper ea re conſultatione habitâ, cum varia variis placerent, tandem vicit eorum ſententia, qui non recipiendum in urbem cenſebant, ob ſuperiorum exempla legatorum, à quibus auctæ fuerant potius civium diſcordiæ, quàm aut deminutæ, aut ſublatæ.

Nepoleo Legatus à Florentinis recuſatur. Ceſena.

Legatus exules vi reducere, & Florentiam ingredi cupit.

Ambra fluvius. Florentini Gargonſam circumſident.

Nepoleo igitur à Florentinis recuſatus, Ceſenam ſe contulit. Inde cum fruſtra ſæpius rem tentaſſet; & principes quosdam civitatis coërcere, metu cenſuræ, niteretur, non parentibus civibus interdicto urbem ſubjecit. Sed cum minimum eâ quoque re proficeret, quoniam aſſueta jam pridem civitas longè aſpernabatur, vi & armis conandum ratus, parare copias, ac bellum inferre conſtituit. Ea de cauſa principio ſequentis anni Ceſenâ movens per Sarſinatem agrum ſuperato Apennini jugo Aretium venit, quòd eam urbem ad bellum inferendum, parandasque copias aptiſſimam judicabat. Receptis ab Aretinis præter Florentinorũ exules, qui ad eum undiq; confluxerant, magnũ inſuper equitum numerum, non ex Hetruria modò, verùm etiam ex Latio, & Sabinia, & Umbria contraxit. Cum his copiis ingredi Florentinum agrum, exulesque vi reducere conſtituerat. At civitas cognito Legati conſilio, copias impigrè paravit, & ſocios, amicosq; rogavit auxilia, quibus undique affluentibus cum aliquantò ſuperior copiarum multitudine videretur, minimè expectandum putavit, quoad Legatus fines ejus intraret, ſed obviam profectas in agrum Aretinum copias miſit. Hæ per Ambram fluvium euntes, ſuperato ad extremum colle, Gargonſam circumſederunt, quòd in eo caſtello paulò antè exules Florentini magnos conventus egiſſe dicebantur, & conſilia iniiſſe in urbem redeundi. Quare honeſtum magis viſum eſt, copias eò ducere, quàm ſi contra legatum ipſum, nullâ prius laceſſiti injuriâ, conarentur.

Florentiam verſus Legatus exercitum ducere contendit.

Legatus Aretium copias reducit.

Legatus imperfecta re in Galliam abit.

Florentini eccleſiaſticis perſonis grandia tributa ſuperponunt.

Dum circa Gargonſam moratur Florentinorũ exercitus, & oppugnationi intẽdit Legatus omnibus copiis Aretio profectus, diverſâ ab hoſte regione, Caſẽtinati viâ Florentiam verſus ducere contendit. Ejus rei tanta repentè trepidatio civitatem pervaſit, ut qui domi remanſerant, confeſtim exercitum revocarent, & qui in exercitu erant, auditâ profectione hoſtium ſine ullo ordine proriperent ſe atq; abirent. Legatus cum in media jam eſſet via, reverſionem Florentini exercitus cognovit, quare & ipſe mutato conſilio Aretium copias reduxit. Moratus poſt hæc aliquantò circa ea loca, cum ſpe vana pacis deſtineretur, tandem nullâ notabili perfectâ re in Galliam abiit. Civitas gravibus cenſuris obnoxia remanſit, nec abſolutionis ſpes in præſentia ſuberat, nec ſanè apud cives petendi voluntas. Contumaciter enim maximè per id tempus degebant, experti *Pontificum voluntates inſinceras planè, nec tam pro ratione, quæ perpetua eſt, quàm pro eorum, qui præſidebant, cupiditate mutari.* Et accedebat indignatio, quòd cum ipſi fautores Romanorum Pontificum fuiſſent: illorum tamen patrocinium ingratè quidem, ac perversè pro inimicis ſtare cernebant. Quamobrem & ipſi quoque dolore conciti, quoniam belli ſumtus, culpâ eccleſiaſticorum hominum, provenire exiſtimabant, grandia eccleſiaſticis, religioſisque locis, perſonisque tributa ſuperpoſuere. Eorum tam acerbè facta per id tempus exactio eſt, ut plus cladis inferret vexatio exactorum, quàm perſolutio ipſa pecuniarum.

Quies eſt ab externis bellis. Domi ſeditiones graves.

Proximo dehinc anno quies fuit ab externis bellis: domi autem ſeditiones inſuper coortæ graves, & à civibus arma ſumta ex hujuſmodi cauſa. Curſium Donatum jam pridem alieno fuiſſe animo in cives ſuæ factionis diximus. *Videtur porrò id maximè periculoſum in præſtantibus viris, quòd virtutis meritorumq; ſuorum conſcii, arroganter potius requirere honores, quàm ambitioſè petere ſuſtinerent: At Populorum ea ferè natura eſt, ut rogantibus & ambientibus magis concedant.* Ea contentio ad arma plerumque, & civile bellum prorumpere conſuevit, cum & præſtantes viri adverſus ingratitudinem civium ſuorum conciti, impetum animi regere nequiverunt; & cives ſuperbiam, ac faſtidium ſummotum virorum cavillati, non jam pro civibus, ſed pro tyrannis gerere criminantur, quod tunc Florentiæ accidit. Neque enim priùs ceſſatum eſt, vel à Curſio indignatione provehi, vel à quibusdam civibus illius ſuperbiam, inquietudinemque accuſari, quàm ad arma, & ſanguinem, ac civile diſſidium res prorupit.

Cœperat enim jam pridẽ Curſius motum omnẽ Reip. non cunctanter arripere

ut

ut in poſtulandis rationibus publicarum pecuniarum ſuprà monſtravimus. Eò fiebat, ut quicunq; magnis in Rep. viris infenſi reſiſtere vellent, omnes ad ipſum, tanquàm ad patronum calamitoſorum, prohibitoremque injuriarum concurrerent. Ille verò palam loqui, inſectari, protegere, denique laceſſere non formidabat. Per has quidem artes nomen ejus viri, quod nobilitatis columen eſſe conſueverat populare jam, & plauſibile factum erat. Et delectabat plebem excelſa quædam, & invicta magnitudo animi, quâ cæteris omnibus illâ tempeſtate præcellere, imminereq; videbatur. Ipſe quoq;, hac ſublevatus aurâ, novas res crebrò ſuſcitare, tela promere, armatorum catervas domi habere, adverſarios deterrere pergebat. His rurſus in civitate ſic prævalebat, ut cunctos, & autoritate, & potentiâ ſuperaret. Creſcentem indies virum, multaque molientem adverſarii tandem, quaſi tyrannidis affectatorem criminari cœperunt, occaſione freti, quòd ille haud multò priùs defunctâ uxore, affinitate novâ Uguitionem Fagiolanum, hominem potentem domi, ac diverſarum partium vel præcipuum aſſertorem ſibi ſocerum adſciviſſet. Hanc igitur affinitatem, ſtatim ubi de illa auditum eſt, carpentes adverſarii, perinde quaſi immineret libertatis periculum, arma properè invaſerunt. Ille vim contra ſe parari ſentiens, arma corripuit, & vicinas domui ſuæ partes cõmunivit. Sed plebis animos ab eo averterant inimicorum voces, miſſa profectò auxilia venire à ſocero aſſerentes, quibus Remp. occupaturus eſſet. Itaq; convenit apud eum non multitudo quanta ſolebat: ſed familiarium duntaxat, & amicorum manus, quâ etſi exiguâ fretus, ſe contra vim Populi tutabatur, nec Magiſtratui parebat vocanti, formidans inimicorum calumniam contra ſe jactatam. Magiſtratus igitur Inimicorum vocibus, rumoribusque exagitatus, quoniam ille haud quaquam parebat, armis etiã ſe tutabatur, quaſi reum damnavit, adeo judiciorum ordine intermiſſo, ut eodem die accuſatum, eodem citatum, eodem condemnatum fuiſſe conſtet. Ad ſententiam mox exequendam ire placuit, ac Populi manus ad eam rem ex ordine juſtitiæ arceſſitâ, quæ poſtquam apud eum convenit, Magiſtratus à prætorio movens, præeunte Vexillifero juſtitiæ cum multitudine armatorum & ſocietatibus, item ſub vexillis ſequentibus, populari impetu domos Curſii adierunt. Ille nihil magis deterritus, omnem vim Populi parvâ ipſe manu diſtinere audebat. Et muniverat aditus non armatâ modò acie: verùm etiam impedimentis, quo faciliùs ruentis in ſe multitudinis impetum arceret. Ad ea loca poſtquam Magiſtratus pervenit, aliquot horis acriter pugnatum eſt. Tandem redundante multitudine Populi, & cuncta undique complente, effractis proximorum domorum, hortorumq; parietibus, cùm alii aliunde intra munitiones penetraſſent, qui contrà ſtabant, omiſsâ defenſione, aufugerunt: Curſius ipſe cum paucis egreſſus urbe Caſentinati viâ fugam arripuit. Verùm, miſsa poſt eum confeſtim equitum turma, non longè ab urbe fugientem conſequitur, & prælianḍo ſiſtere compellit. Ita circumventus inimicorum multitudine, demùm occiditur. Interfecti ſunt & alii cum eo, totaque illius factio profligata. Hunc finem habuit Curſius Donatus, vir procul dubio egregius, cæterùm inquietior civis, quàm bonæ Reip. conveniret. Fuiſſe verò ſuſpicionem, vel calumniam potiùs, quòd de tyrannide objiciebatur, vel ex hoc intelligi licet; quòd apud collegium partium optimarum nunquam ejus nomen, ut inimicum, vel adverſum fuerit annotatum, cùm in cæteris hujuſmodi damnatis id fieri conſueſſet, quodq; agnati & familia nil deminutâ gratiâ in civitate remanſerũt, nec multò pòſt illius necem ulti ſunt, tanquam privatam injuriam publicâ manu factam.

Curſii nomen populare & plauſibile fit.

Curſius Donatus Tyrannidis affectatæ criminatur.

Uguitio Fagiolanus ſocer Curſii.

Curſius Magiſtratui vocanti non paret.

Curſius uno die accuſatur citatur & condemnatur.

Curſius cum Magiſtratu pugnat.

Curſius fugam arripit.

Curſius occiditur.

Tota factio Curſii profligatur.

Per idem ferè tempus Aretini Tarlatum genus, ſic potens opibus, ut penè dominaretur ſeditione factâ pepulerunt, & Guelfarum partium homines, qui jam diu exularant, in urbẽ revocarunt, quibus Remp. capeſſentibus celeriter pax & ſocietas inita eſt cum Florentino populo, ac ſuperiori contentioni finis impoſitus.

Principio inſequentis anni ortis apud Pratenſes ſeditionibus, altera factio opido pellitur. Eam rem in tàm propinquo loco minimè ferendam cenſuit Florentinus Populus; ſed patrocinio ſuſcepto pulſos reſtituit. Conſtabat verò eam turbationem Piſtorienſes quoque finitimos commoviſſe; qui non has modò, ſed & quaſcunque rerum novarum occaſiones percupidè arrepturi videbantur, infenſi maximè Lucenſium dominatui, in quos & veteri odio, & recenti dolore, incendebãtur. Itaque id veriti Lucenſes (eos namque & Florentinos urbem partitos diximus) delendum funditùs Piſtorium cenſebant, & Florentinos ad eam rẽ pro-

Aretini Tarlatum genus pellunt. Guelfarum partium homines revocant.

Societas inter Aretinos & Florentinos initur.

Apud Pratenſes ſeditio.

Piſtorienſes mœnia deuuo reparant. (?)

vocabant. Sed prævaluit manſuetudo apud Florentinum Populum, miſertusq́; anti-quorū ſociorum caſum, non modò non cōſenſit Lucenſium iræ, verùm etiā Piſto-rienſibus fecit animos ad ſe tutandum. Itaque demto Florentinorum metu, *non viri modò ſed & fœminæ & pueri, & religioſi, omnis deniq; ſexus, atq; ætatis, die noctúq; operi incumbentes, foſſas purgare urbis, ac diruta nuper mœnia feſtino reficere conatu aggreſſi ſunt*; ſummâ deniq; vigilantiâ & labore urbem ad aliquem modum communitam à Lucenſibus defenderunt. Ita Piſtorium in ſuā rediit poteſtatem. Nec facilè dixerim majori ne animo Florentinus Populus eam urbem ceperit, an dimiſerit.

Piſtorium in ſuam redit poteſtatem.

Tarlati Aretio pulſi in urbem redeunt.

Eodem anno bellum contra Aretinos renovatum eſt. Tarlati enim diverſæ factionis principes, quos ſuperiori anno pulſos Aretio diximus, operâ maximè Uguitionis Fagiolani in urbem redierunt, & diverſarum partium homines, qui nuper reverſi fœdus cū Florentino Populo renovarant, improvisò egreſſi, poſt multā cædē ejecerunt. Ea de cauſa miſſæ confeſtim equitum peditumq́; copiæ in agrum Aretinum, exulibus conjunctæ, magnas regioni intulerunt clades, incendiisque & rapinis cuncta fœdarunt. Ita bellum ex integro renaſcitur.

Bellum inter Florentinos & Aretinos ex integro renaſcitur.

Florentini auxilia mittunt contra Venetos Legato Romanæ ſedis.

Civitati reſtituuntur ſacra.

Per idem tempus Legato Romanæ ſedis contra Venetos bellum gerenti, auxilia equitum Florentini miſerunt. Id ſuóne ipſi motu, an Legati illius fecerint, quo gratiam reconciliationemque prometerent, haud ſatis compertum habeo. Cæterùm is Legatus paulò pòſt Venetis magno fuſis prælio, beneficentiæ memor, interdictum ſuſtulit, & civitati reſtituit ſacra. Hoc tandem modo reconciliata urbs in gratiam rediit.

Contentiones inter Geminianenſes ac Volaterranos.

Eodem anno copiæ in fines Volaterranorū deductæ, graviſſimas contentiones inter Geminianenſes, ac Volaterranos pro finibus agrorum coortas, de quibus jam ſimul digladiabantur, removerūt, ac limites agris ex arbitrio poſuerunt, ne ampliùs de his ambigeretur.

Tiſernatibus Florentini opem ferunt.

Cortona.

Extremo ejus anni, equites trecenti ac pedites circiter ſexcentos Florentiâ profecti, per medios Aretinorum fines iter facere pertexerunt, ut Tiſernatibus ſociis & amicis, qui per id tēpus ab Aretinis premebantur, opē ferrent. Audax cœptū, ac penè temerarium finem habuit proſperum. Nam cùm relicto ad lævam Arno in viam Peruſinam deſcendiſſent, & Cortonam verſus iter facerent, Aretini raptis poſt eas copiis, quia paucitatem ſpernebant, nullo neque ordine neque Duce, ſed ſolâ voluntate, ut quisque celeritatis habuit, delati ſunt. Ita rari, & imparati ruentes, aliquot eâ die detrimenta ſuſceperunt. Et ceciderunt præcipui nominis duo, Vannes Tarlati filius è familia nobili; & Uguitio Gerardinus exul Florentinus. Signa militaria Aretinorum tria victores capta retulerunt.

Vannes Tarlati filius.

Uguitio Gerardinus Exul Florentinus.

Carolus Rex ſecundus decedit.

Ad Robertum filium Regnum pervenit.

Carolus Rex ſecundus hoc anno deceſſit. Regnum ad Robertum ejus filium pervenit.

Aretium oppugnatur.

Herrici oratores Florentiam veniunt.

Proximâ de hinc æſtate Florentini, & ſocii cōtractis undiq; copiis in Aretinos duxere. Cùm in agrū Aretinū perveniſſent conjunctis Aretinis exulibus, apud domum veterē poſuerunt caſtra. Inde crebris præliis urbē aggreſſi expugnare nitebantur. Dum apud Aretium eſſet Florentinorum exercitus, oratores Herrici, nuper ad Imperium delecti, Florentiam venerunt. Hi cùm publicum ſibi auditorium poſtulaſſent, Priores civitatis vocato ampliſſimorum civium conſilio, dicendi quæ afferrent, fecerunt poteſtatem. Oratores pleraq; oratione in laudandis, tollendisq; virtutibus novi Principis abſumtâ, cum verborū grandiloquentiâ divino ſimul, humanoq; conſenſu provectū tantæ dignitatis ad faſtigium demonſtraſſent, tria ſubinde propoſuerunt. Adventum ejus in Italiam cum validiſſimo, tremendoq; exercitu ex junctiſſimis * illis, aſperrimisq; nationibus, proximo tempore futurum. Eſſe præterea ſui propoſiti Florentiam adire, pacis cōſtituendæq; urbis causâ. Itaq; parari ſibi receptum jam inde cōmonuère. Inſuper moleſtum eſſe Principi, Aretinos bello premi, cùm, ſi quid ab illis ſecus, quàm deberetur, admiſſum fuiſſet, ad ipſum potiùs deferendum judicem, & ſic vindictam expoſcere conveniat, quàm propriâ autoritate ultū ire: Quapropter jubere, uti diſcedant ab armis, Aretinosq; ultrà proſequi deſiſtant. Reſponſum eſt oratoribus datum in hunc maximè modum: Lætitiæ cunctis eſſe debere talis Principis, qualē ipſi prædicent, aſſumtionem. Quod verò nuncietur ejusdem in Italiam tranſitus cum ferociſſimarum gentium exercitu, id porro vix credibile videri, Imperatorem Romanum tantam vim Barbarorum in Italiam quaſi in hoſtilem terram, adducere. *Convenire quidem Romano Principi, Italos contra*

Tria ab Oratoribus proponuntur.

** invictiſſimis Ms. Pal.*

Reſponſum oratoribus datum.

Barbaros

Barbaros, non Barbaros contra Italos ſecum trahere. Sperare tamen ſe, quâ moderatione, quâ juſtitiâ eſſe dicitur, benè cuncta proviſurum. Quod autem ſibi Florentiæ parari jubeat, ſuper ea re ita proviſurum Florentinum Populum, uti ſaluti, dignitatiq; ſuæ expedire, cenſebit. Exercitum verò Aretium miſiſſe, ut Aretinos cives, ſocios & amicos Florentini Populi, quos diverſa factio immaniter pepuliſſet, in urbem reſtituerent. Hujus tam juſti operis causâ neminem ſibi ſuccenſere poſſe, præſertim cùm ea factio, quæ urbem teneat, pacem fregerit, & ultro intulerit bellum, & ad tyrannidem, everſionemq; ejus civitatis manifeſtè contendat: Juſtum Principem ſi eam rem cognoverit, laudaturum eſſe potiùs Florentinorum factum, quàm repræhenſurum. Sed expectare, quoad illi deferantur querelæ, in eo certiſſimam fore ſociorum perniciem, quibus poſtea, etſi cupiat Princeps mederi, non poſſit.

Aretium oratores proficiſcuntur.

Accepto reſponſo oratores Aretium profecti, ante quàm urbem intrarent, in caſtra pervenerunt. Ubi quoq; ex Principis autoritate cũ eadem præcepiſſent, tantũ abfuit, ut dicto pareretur, ut etiam in ipſorum oculis ſolito infeſtiùs cuncta hoſtilia contra urbem intentarent. Et oratores quidem novi Principis in hunc modum abiêre. Florentini verò aliquandiu circa Aretium commorati, tandem cum vanum appareret expugnationẽ tentaſſe, præſidio apud Turritã, duobus ferè paſſuum millibus ab urbe, opportuniſſimo loco communito, Aretinisq; exulibus in eo relictis, ut inde bellum inferrent, ipſi vaſtato circa urbem agro, omnibusq; vicis exuſtis, Florentiam copias reduxêre.

Oratores novi Principis abeunt.

Turrita.

Herrici fama creſcit.

Rhodanus.

Lemanus lacus.

Herrici fama per id tempus indies magis creſcebat, variiq; rumores afferebantur: Et jam ex Germania in Galliam tranſiiſſe aſſeverabant, circaq; Rhodanum Lemanumq; lacum audiendis civitatum legationibus, comparandisq; copiis quas traduceret, immorari. Legati verò frequentes ab Italia ad illum currebant, exules Florentini, quoscunq; non impediebat egeſtas, ad eũ confluere dicebãtur. In hac ſuſpicione civitas, quid agendum foret, conſultabat. Erant quibus optimũ videretur, legationem mittere, ne Principis majorem in modum alienaretur animus. Inclinare quidem illius mentem haud difficile fore, præſertim pecuniarum indigentem, quas ab exulibus ſperare nequaquam poſſit, *Barbarorum animos cupiditate, & auro ſingula metiri.* Aliis periculoſum id conſilium videbatur, quoniam nomen ipſum Imperii alienum, inimicumq; ſuis nationibus eſſet, neq; cõduceret pacis reconciliationisq; autorem illum aſſumere, miſſioq; ipſa Legatorum hanc præbere anſam videretur. Præterea ſi receptum in urbem petat, quod antè autores ſui denunciarunt, negaturíne ſint Legati, an conceſſuri? Atqui ſi negaturi ſint, ad manifeſtam indignationem: ſi conceſſuri, ad manifeſtam perniciẽ mittere. Nam ſi urbem introeat, quis temperaturum confidat? Hujus deliberationis cum utraq; pars rationẽ haberet probabilem, utraq; ſuo tempore pervicit. Nam ab initio prævaluit eorum ſententia, qui mittendam legationem cenſebant. Itaq; non delecti modò oratores, verùm etiam apparatus omnes facti. Ad extremum mutata ſententia, & non mittere decretum. Inclinavit autem maximè ad id conſilium Roberti Siciliæ Regis cognita voluntas, qui inimico eſſe animo in Herricum ferebatur. Itaq; perinde quaſi ageretur de partiũ ſtudiis, huic inhærendũ, illi repugnandum eſſe ſtatuerunt. Robertus autẽ ipſe haud multò poſt Florentiam venit: Redibat autem à Pontifice tunc in Gallia commorante à quo nuperrimè defuncto patre Carolo conceſſionem Regni, coronamq; ſuſceperat. Is igitur & ſuâ gratiâ, quòd antea Piſtorienſi bello propenſiſſimâ cognitus fuerat benevolentiâ in Florentinos, & paterno ſimul, avitoq; favore, ſummis honoribus à civitate recipitur. Confirmandis civium animis contra novi Principis terrorem, ſimultatibusq; tollendis menſe ferè integro Florentiæ commoratus, ſocietatem, fœdusq; renovandi autor fuit civitatibus adverſus Herrici potentiam, & ſe miſſurum auxilia, cùm tempus expeteret, pollicitus eſt.

Robertus regnum & Coronam à Pontifice ſuſcepit.

Robertus autor eſt fœderis renovandi adverſus Herrici potentiam.

Hoſtes præſidium expugnare adoriuntur.

Dum hæc Florentiæ geruntur, Aretini exules, qui in præſidio contra urbẽ munito relicti erãt, quotidianis propè incurſibus uſq; ad Aretii mœnia infeſtabãt. Horum aſſiduam vexationem non ultrà ferendam hoſtes rati, præſidiũ expugnare adoriuntur. Cum fortiter ab exulibus reſiſteretur, neq; capi præſidium poſſet, fame, & obſidione pervincere conſtituerunt, putantes (id quod erat) non multum commeatus intra munitiones teneri, ſed dietim ferè ex proximis caſtellis, quæ ad exules defecerant, importari Hac igitur fiduciâ circumſiſtentes præſidium obſidebant, telisque, & machinis impugnabant. Ob id periculum ſociorum miſſa rurſus à Florenti-

Florentini obſeſſos liberare pergunt.
Exules ad Florentinum equitatum deſertis munitionibus evadunt incolumes.

nis auxilia equitum: cum ex amicis opidis peditem coëgiſſent, liberare obſeſſos pergunt. Cum jam appropinquarent præſidio, & hi qui obſidebant, ſeſe unum in locum conglobaſſent exules deſertis munitionibus incolumes ad Florentinum equitatum evaſerunt. Ita liberati periculo, in proxima caſtella deducuntur: Hoſtes quoq; incenſo ac diruto præſidio redierunt in urbem. Et bellum quidem ab Aretinis exulibus acriter inferebatur: Florentini verò auxilia ſubmittebant. Interdum quoque majoribus copiis profecti, uſque ad Aretii mœnia, infeſto agmine, populabantur.

Ad Herricum exules Florentini concurrunt.
Dantes Poeta epiſtola contra Florentinos.

Cæterum ab hoc Aretino bello major inſuper cura, mentes hominum avocabat. Herricus ſiquidem, ſuperatis Alpibus, in citeriorem Galliam deſcendiſſe nunciabatur, & quidquid ubiq; fuerat exulum Florentinorum, ad illum concurriſſe, adeò ſpe firmâ victoriæ, ut jam inde bona inimicorum inter ſe partirentur. Extat Dantis poetæ epiſtola amariſſimis referta contumeliis, quam ipſe hac inani fiduciâ exultans, contra Florentinos, ut ipſe vocat, intrinſecos ſcripſit. Et quos ante id tempus honorificentiſſimis compellare ſolebat verbis, tunc hujus ſpe ſupra modum elatus, acerbiſſimè inſectari non dubitat: Quod equidem nec levitati, nec malignitati præſtantis ingenio, & doctrinâ viri tribuendum puto, ſed tempori *Eſt enim natura proximum, ut victores cum aliquâ increpatione verborum ulciſcantur.* Ille verò in hoc deceptus, quod ſe jam inde putabat victorem. Exules ergò Florentini certâ ſpe tenebantur: civitas autem ſuſpenſa metu comparandis ſocietatibus, delectibusq; habendis, opidisq; firmandis magno opere intendebat. Harum verò conficiendarum rerum facultatem maximam præbuit implicatio hoſtis, annum ferè totum circa Mediolanum, & Cremonam, & Brixiam, commorantis.

Mediolanum. Cremona. Brixia.
Proviſio circa exules reducendos.
Baldus Agulio iuriſperitus.
Formula Proviſionis.

Principio inſequentis anni ſalutaris proviſio facta eſt à civitate circa exules reducendos. Cùm enim magna civiũ multitudo exularet, ac diverſa multorum conditio eſſet; cuncti tamen ad Herricum, deſiderio reditus cohæſuri viderentur, ad minuendam eam manum placuit decreto publico revocare eos, quorum nec inſigne odium in præſentem Reip. ſtatum, nec periculoſa reductio foret. Prioribus igitur poteſtas à Populo tradita, uti unà cum XII. viris à ſe delectis nominationes facerent eorũm, qui reducendi ab exilio viderentur, paciq; & concordiæ civium providerent. Fuit tunc in numero Priorum Baldus Agulio juriſperitus. Is privatim odio in quoſdam accenſus, *ut eſt id genus hominum ſubtile, ac maleficum*, deprahendit, poſſe etiam in beneficio Populi locum eſſe nocendi, ſi non ii nominarentur, quibus dabatur beneficium, ſed ii, & ipſorum genera quibus adimebatur, ut ſic perpetua illis nota inureretur. Hac itaq; mente formulã proviſionis ſic inſtituit, ut & reditum ab exilio, & cætera pacis, concordiæq; beneficia omnibus tribueret, præter eos, qui exciperentur. Ita in prima legis parte, quâ beneficium datur, neminem expreſſit: *In ſecunda verò qua adimitur, nomina ſingulorum, & familias longo & ſinuoſo ordine per tribus annotavit.* Ea res poſteris temporibus multis nocumento fuit.

Exules revocati in urbem redeunt.
Pars rejecta remanet in exilio.
Societas renovatur inter Florentinos, Lucenſes, Senenſes, Piſtorienſes, Volaterranos, Tifernates, Bononienſes, Horum omnium Princeps Robertus Siciliæ Rex.

Exulum igitur pars beneficio Populi revocata in urbem rediit: Alia pars rejecta in exilio remanſit. In ea fuerunt omnes jam inde poſt primi adventum Caroli ex prioribus illis ſeditionibus exules, quorum nemini penitùs lex proſpexit. Et præterea recens pulſi, quos vocitârunt Albos; Horum longè mitior erat cauſa. Deniq; nõ ſtudio partium contra iſtos, ſed privatis ferè ſimultatibus certabatur. Itaque horum pars tunc reſtituta in urbem rediit: pars verò omninò rejecta, in qua Circulorum Adimariorum & Toſingorum vel Guelfiſſimarum quondam gentium aliqui remanſerunt. Filii præterea Baldi Ruffoli, quem primum Vexilliferum juſtitiæ fuiſſe oſtendimus: Fratres inſuper & nepotes Jani Labella, Dantes Alagerii, Palmerius Altovita, & alii permulti ex nobilitate & plebe, quos nominare longum eſſet.

Poſthæc renovata ſocietas eſt inter civitates. Fuerunt autem hæ: Florentini, Lucẽſes, Senẽſes, Piſtorienſes, Volaterrani, & cæteri qui in ſuperiore ſocietate nominantur. Acceſſerunt Tifernates & Bononienſes, & horum omnium Princeps Robertus Siciliæ Rex. Hi omnes unanimiter fœderati bellum contra novum Principem apertè ſuſceperunt.

HISTOR

HISTORIARUM FLORENTINARUM

LIBER QUINTUS.

COmmorante adhuc in citeriori Gallia Herrico, Florentini & ſocii Bononiam copias miſêre, ut adventum ejus, ſi fortè ab ea parte tranſire in Hetruriam conaretur, pro viribus, impedirent. Ille peractâ circa Brixiam obſidione, cùm ſingulis ferè civitatibus ſingulos Præſides impoſuiſſet, circiter idus Octob. in Ligures tranſiit. Illic omni honore ſuſceptus, tres ferè menſes, dum hiems deſæviret, Genuæ hibernavit. Inde Tyrrhenum ingreſſus mare cum XXX. navibus longis, quas ei Genuenſes Saonenſesq; paraverant, circiter Nonas Martias Piſas devenit. Nec Florentini ſociiq; interea ſegnes. Nam ubi per Ligures iter facere cognoverunt, nuper auxilia Bononienſibus miſſa in Lunenſem traduxerunt agrum, ut ex ea parte venienti obſiſterent, fineſq; Lucenſium tutarentur; Dum Piſis moratur Herricus, crebras incurſiones in Lucenſem, Miniatenſemq; agrū Præfecti ejus fecerunt. Sed neque pugna ulla memoratu digna in his locis commiſſa eſt, neq; opida ulla grandiora capta. Ipſe paratis quæ paranda fuerant proximi anni principio (is erat annus duodecimus ſupra milleſimum trecenteſimum) Piſis profectus juxta litus inferi maris Romā verſus ire cōtendit. Quacunq; incedebat, ſtudia partiū ingenteſq; rerū motus ſuſcitabantur. Ut enim quæq; civitas diviſa per factiones erat: ita illius appropinquatio alios ſpe, alios metu, concitabat. Itaq; Viterbiū ingreſſus eſt pulsâ diverſâ factione, eoq; præcupidè intromiſſo & apud Urbevetanos diverſâ fortunâ freti ejus fautores, dum res novas attentant, prævalentibus adverſariis urbe pelluntur. Romæ quoq; ſeditiones, & tumultus majorem in modum augentur. Robertum enim Siciliæ Regem magna pars Romanorum civium ſectabatur, præcipuæ verò autoritatis Urſinum genus, opibus & gratiâ longè potentiſſimum. Et miſerat eò Robertus Johannem fratrem, cum valida equitum manu, qui Urſinis, cæteriſq; ejus factionis conjunctis Capitolio & Janiculo, & Adriani mole, cunctiſq; trans Tyberim locis & Vaticani occupatis, arcere ab ingreſſu Herricum ſuoſq; conſtituerant. Altera verò factio Imperatorii fautrix nominis, Ducibus Columnenſibus Aventinum, & Cælium, & Quirinalem montes, ac totas Exquilias cum Viminali & Suburra tenebat, crebraque inter eos prælia committebantur. Ob has contentiones aliquot dies Viterbii commoratus, tandem Romam petens, quia rectà introire urbem non dabatur, per Milvium pontem traductis copiis, portà Flamminiâ ingreſſus eſt inde mediâ vadens urbe, in Aretino poſuit caſtra.

Herricus ſingulis civitatibus ſingulos Præſides imponit.
Herrici iter.
ANN. 1312.
Viterbium.
Romæ ſeditiones & tumultus augentur.
Robertum magna pars Romanorum civium ſectatur.
Urſinum genus opibus & gratia potens.
Johannes Roberti frater.
Mons Aventinus.
Calius.
Quirinalis.
Exquilia.
Viminalis.
Suburra.

Florentini auditis certaminibus, quæ Romæ parabantur, ne communi partiū ſtudio deeſſent, equites quingentos, & pedites mille inſigni apparatu Romā miſêre. Miſerunt & Seneſes & Lucenſes, & alii ſocii, ut vires cuiq; animique fuêre. Romæ verò crebra prælia commiſſa ſunt. Quippe cum intra unius urbis mœnia tantæ copiæ, ſibique invicem adverſariæ clauderentur, ac Populus ipſe Romanus intra ſe diviſus, ut cuiusque factionis erat, his vel illis inhæreret, eveniebat ſingulis, ferè diebus, ut per vicos & compita pugnaretur. Id certamen tribus ferè menſibus duravit. Tandem verò cum ad baſilicam Vaticani, in qua mos erat coronandi Principes, advenire Herricus nequiret; quoniam hoſtis potentior longè ab his locis arcebat, contra decus Imperii cedens, Laterani coronam aſſumſit, pauloque pòſt relictâ urbe indignabundus Tybur ſe contulit. Erat Imperator pro illatis ſibi Romæ impedimentis, quantum vix dici poteſt, adverſariis inſenſus: Præcipuè tamen in Robertum Regem, ac Florentinos, ut principes injuriarum, illius ardebat animus. Robertum ulciſci è veſtigio non videbatur poſſe, defeſſo milite, ac longis contentionibus afflicto: Itaque in Florentinos converſus, per Sabinos, & Umbros ducens, Hetruriam ingreditur. Inde per Peruſinum & Cortonenſem & Aretinum agrum Florentiam petere contendit. Dum id molitur iter, univerſi exules, qui ubiq; terrarum erant, ad eū confluxerunt. Florentini ſimul atq; vergere in ſe totam belli molem intellexêre, revocatis properè copiis, novoq; inſuper delectu habito contra hoſtem miſêre, jubentes, ut à prælio quidem abſtinerent, regionē tantum, & opida

Romæ crebra prælia committuntur.
Duravit certamen menſibus tribus.
Baſilica Vaticani.
Herricus infenſus eſt Roberto Regi & Florentinis.
Sabini.
Umbri.
Herricus Florentiam petit.

Varicum ab Herrico expugnatum. Varicum deditur.

tutarentur. Imperator, quo primum die Florentinorum fines intravit, non longè à Varico metatus caſtra, expugnare opidũ aggreditur. Triduo cõtinuata oppugnatio eſt, & acerrimè pro mœnibus foſſisque dimicatum: Tandem fatigatis opidanis, humilitatique murorum diffiſis, opidum deditur. Cætera ſubinde opida eodem terrore capit. Anciſam inde ventum eſt.

Anciſa.

In eo loco Florentinorum copiæ obviam miſſæ conſtiterant. Cùm igitur in conſpectum veniſſet hoſtis, copiasque adeſſe cognoſſet, ſtruxit confeſtim aciem, dimicandique his fecit poteſtatem. Florentini pugnæ fortunam minimè experiundam cenſebant, ſatisque putabant fore, ſi hoſtem detinerent. Itaque intra munitiones ſe continentes, iter quod eſt inter flumen, & opidum, nitebantur. Cum neq; dimicandi poteſtas, neq; tranſeundi fieret, propterea quod imminens viæ caſtellũ præruptis rupibus facilè tranſitu arcebat, doctus ab exulibus Imperator, per proximos ad lævã montes difficilimis ſaltibus traducere cœpit. Quod cùm vidiſſent, qui Anciſæ erant, veriti ne ipſi poſt terga ab hoſte relinquerentur, ſigna illicò moventes, citato agmine, Florentiã verſus ire cõtenderunt. Eos ſuperiori, de loco cõſpicati hoſtes, (jã enim pars quædã opidũ prætervecta erat) magno impetu invadũt. Saltus erat admodũ impeditus, & undiquaq; ſtrepebat hoſtis, ſuperiori de loco pugnaturus adventabat. At Florentinis nequaquã propoſitũ fuerat pugnâ decernere; ſed rapto agmine ad urbem pervenire: itaque ubi ruere in ſe hoſtem ſenſêre, confeſtim verſo agmine retulerunt pedem.

Florentini verſo agmine referũt pedem.

Accelerata paulo magis eſt receptio, ut fuga protinus videri poſſet. Et fuit auxilio propinquitas opidi, ne inſignis illâ die acciperetur calamitas. Nec ſanè magnus cæſorum, aut captivorum numerus fuit: verùm ita fractæ mentes, quaſi ad extremum victi eſſent. Imperator prætervectus Anciſæ opidum, relictiſque poſt ſe Florentinorum copiis, non longè ab eo loco nocte illâ conſedit, apud vicum, Padule nuncupatum.

Padule vicus.

Poſtridie verò luce primâ movens, ingenti terrore ad urbem duxit, nec longè à porta Caſentinati viâ poſuit caſtra, doctus ab exulibus, eam urbis partem minus eſſe munitam, propterea quòd nondum abſolutis novis mœnibus, vetuſtiſq; neglectis, vallo tantùm, & foſsâ ab ea parte urbs claudebatur.

Florentia trepidatur ſub adventu Herrici.

Trepida quidem, primo ſub adventu, civitas fuit, increbreſcente rumore, copias omnes nuper contra hoſtẽ miſſas apud Anciſam deletas fuiſſe. Et ſane præſentia hoſtis, ac ſuorum abſentia fidem ſiniſtro rumori videbatur afferre. Nam quo tandem pacto, niſi oppreſſi, tuliſſent ad vacuam præſidio urbem hoſtem venire? Itaque & luctus privatim, & publicè metus cunctos pervaſerat.

Populus contra Herricum arma ſumit.

Sumſit tamen arma Populus, & ad tutandas eas urbis partes, quas contra hoſtis conſtiterat, ſub vexillis concurrit. Ibi diſtributa loca, regionesque defendendæ ſingulis ſocietatibus attributæ: Vallum neque die, neque noctu intermiſſo opere inſtauratum eſt, ex omni genere contignationis, turres & propugnacula debilioribus locis excitatæ, armatiſque hominibus complet... Imperator ab oppugnatione urbis, incertum, qua de cauſa abſtinuit, cùm, ſi primum ſub adventum trepidâ adhuc civitate, rumore profligationis ſuorum conſternatâ, tentaſſet, vix reſiſti potuiſſe credatur, præſertim abſentibus copiis, & murorum tutelâ ab ea parte deficiente. Sed cunctando, ac differendo, cives animos reſumsêre, ſimulque copiæ poſt tergum relictæ, biduo pòſt diverſis itineribus redierunt, quorum adventu ſublatis lætitiâ animis, minas jam hoſtium longè aſpernabantur.

Ad Herricum infinita pene vis hominum confluit.

Imperatorem verò ſuæ & ipſum ſpes retinebant. Poſt adventum ſiquidem ejus, & caſtra apud urbem poſita, infinita pænè vis hominum ex Florentino agro ad eum confluxerat, nec ſolùm Imperatorii fautors nominis; verùm etiam cæteri permulti, ſive metu, ſive novarum cupiditate rerum ſeſe illi conjunxerant.

Anciſa ad Imperatorem deficit.

Nam & Anciſa, quod opidum præſens nequiverat obtinere, confeſtim poſt receſſum copiarum ad Imperatorem defecit, ac cæteri fermè omnes Populi, qui Arnum ſuperiorem accolunt, ſe ultrò dederunt. Per Mugellanum quoq; Caſentinatumq; agrũ multi rebellarant, omiſſaq; urbe, caſtra hoſtiũ frequẽtabant. & cõmeatũ exercitui deferebãt. Intra urbẽ quoq; permulti cives, præſenti Reip. ſtatui infenſi, favere hoſtibus credebantur.

Florentinis auxilia ſociorum ſuperveniunt.

Inter hæc ſociorũ auxilia opportuniſſimè ſupervenerunt, Lucenſium tria millia peditum, equites ſexcenti. Senenſiũ totidem equites, peditum duo millia: aliorum quoque ſociorum pro cujusque facultatibus, ex quibus factus eſt magnus equitũ peditumq; numerus. Caſtra verò intra urbẽ contra hoſtiũ caſtra, quo die noctuque præſtò foret defenſor, per infrequentia ædificiorum

ciorum loca poſuerunt. Intus armati cives ſociiq; perſtabant. cæteræ verò urbis partes ſic tranquillæ erant, ut ne ſentire quidem obſidionem viderentur. Dies continuos apud Salvianum templum Imperator habuit caſtra, procul ab urbe, non amplius trecentis paſſibus. Tandem cùm fruſtra teri ab eo tempus appareret, & quotidie magis in urbe creſcerent amicorum auxilia, pridie Calend. Novemb. de tertia vigilia fermè retro caſtra movit, ac transmiſſo Arno duobus paſſuum millibus ab urbe ſuper Emam fluvium caſtra fecit. Qua nocte hoſtis receſſit, cùm ex more tabernacula incenſa à militibus, & vaſa concremata eſſent, civitas tota excita eo tumultu in armis fuit: Ubi verò abire hoſtem cognovit, tacita reſedit, lucemque armata expectavit.

Herricus Imperator apud templũ Salvianum caſtra habet.

Ema fluvius.

Herricus Florentia recedit.

Poſterà mox luce egreſſi equites, prælium leve cum equitatu hoſtium commiſêre. Hoſtis inde ſecundis caſtris ad Caſianum pervenit viâ Senenſi, octo millibus paſſuum ab urbe. In his locis cùm eſſet Imperator, Piſanorum auxiliares ad illum venerunt, peditum tria millia, equites verò quingenti: Genuenſium quoque ſagittarii expugnationibus utiliſsimi ad mille. His copiis iterum confirmatus apud Caſsianum obſtinatus conſedit.

Imperator apud Caſsianum conſidet.

Florentini poſthac ſuburbiis ea ex parte, quæ ad hoſtem verſa erat (jam enim ædificia longè ſe extenderant) communitis, ſociorumque auxiliaribus remiſsis, ipſi per ſe geſsêre bellum. Hinc diſcurſiones crebrò factæ ab hoſtibus, leviaque ſunt prælia frequenter commiſſa: ſignis tamen collatis nunquam pugnatum eſt, verùm incendia, & clades multipliciter attriverunt agrum, ſementesque eo anno impeditæ, annonæ caritatem protendebant futuram.

Supra duos menſes apud Caſsianum Imperator habuit caſtra, & quidem per mediam hiemem. * Demum Caſsiano profectus Bonicium petiit. Eò cùm perveniſſet, pulchritudinem opportunitatemque montis admiratus, opidum in eum locum reſtituit, unde à Carolo Rege fuerat ante dejectum: In eoque opido quod reliquum erat hiemis hibernavit. Nec hiberna ſanè illi quieta fuerunt, cùm à Senenſibus, & Collenſibus, & Geminiarienſibus finitimis Bonicio Populis laceſſeretur ſedulò, & ipſe ultus in eorum fines omnifariam bella, & clades inferret.

** MS Pal. urbem.*

Herricus Caſsiano profectus Bonicium petet.

Per hoc tempus Florentini, jam pridem vaſtato circa urbem agro, frequentibus verò opidis, quæ nuper ad Imperatorem defecerant, bellum urbi inferentibus, hoſteque ipſo prævalido obſtinatoque incubante, ac, ut fama erat in proximum annum violentiùs incubaturo, magnitudine periculorum coacti ſunt ad Robertum Regem, ejusque opem reſpicere. Oratores ea de cauſa miſsi duo, Jacobus Bardius eques Florentinus, è familia nobili; & Dardanus Acciajolus, vir per id tempus magnæ in Rep. autoritatis. Hi Senas primò, inde Peruſium profecti, utraque ex civitate legatos ſibi conjungi ſuaſerunt. Et ſupervenerunt Lucenſium, Bononienſiumque legati omnes ad Regem unà profecti, quanto in periculo ſorent civitates Hetruriæ docuerunt, ſubvenirique poſtularunt. Rex placidè, commendatâ Tuſcorum fide ſeſe Ducem futurum civitatibus, ac venturum in Hetruriam, ſi modò per negotia Regni liceat, pollicitus eſt: Interim verò Petrum fratrem cum equitatu præmiſſurum. Ea res Florentiæ ſedulò nunciata erexit cunctorum animos, & afflictis in rebus lucem quandam optimæ ſpei viſa eſt attuliſſe. Sed turbavit paulò pòſt hanc ipſam lætitiam pecuniarum flagitatio. Rex enim pro his, quæ mittebantur, copiis trimeſtria exhiberi ſtipendia poſtulabat. Eorum præſtatio multas magnasque difficultates continere videbatur. Primò enim ærarium publicum, longis erat ſumtibus inanitum: patrimonia verò ſingulorum crebrâ, & importunâ tributorum penſione exhauſta. His accedebat, quòd Peruſini, & Bononienſes, & Lucenſes, qui longiùs aberant ab hoſte, non perinde ſeſe oneribus offerebant. Ita ad Florentinos modò tota penſio recidebat. Quærebatur hoc ipſum à Rege mutuum: ſed negabat conſtanter, apparebatque in ea re ſanè durior. His de cauſis dilatus eſt copiarum adventus. Parte denique pecuniarum equitibus perſolutâ, reliqua expectabatur. Quod, cùm in longum traheretur, hoſtisque indies formido augeſceret, nihil potiùs tantis ut in malis viſum eſt, quàm plenum urbis Regem in Imperium transferre. Facto igitur Populi decreto, in quo poteſtas, uti è Rep. exiſtimarent, Prioribus dabatur, Priores conſilio priùs

Florentini coguntur ad Roberti Regis opem reſpicere.

Jacobus Bardius. Dardanus Acciajolus.

Robertus Rex ſe Ducem futurum civitatibus pollicetur.

Robertus Rex pro copiis quæ mittebantur poſtulat ſtipendia.

Priores Florentinorũ gubernationẽ Regi in quinquennium tradunt

Traditionis conditiones.

habito, gubernationem dominatumque civitatis Regi in quinquennium autoritate publicâ tradiderunt. Traditio autem ipſa his verbis facta: Cernentes belli pericula prementia nunc; & in poſterum i[m]minentia, ut Populus Florentinus, urbsque & ager in viam ſalutis reducatur, ſolenni deliberatione habitâ, Robertum Regem Siciliæ rectorem, protectorem, gubernatorem, & dominum civitatis Populique Florentini in quinquennium deligimus. Conditiones verò hæ adjectæ: Rex per ſe ipſum præſens, vel per aliquem ex fratribus, filiisvè civitatem gubernabit, exulem nullũ reſtituet, Populum ſuis uti legibus permittet, Prioratus officium, uti nunc eſt, ita poſthac fore in civitate patietur. Hæc nominatim excepta: cæterorũ fermè omnium Rege eſt poteſtas permiſſa. Decretum hoc electionis Jacobo & Dardano oratoribus, tunc Neapoli commorantibus, offerendum Regi transmiſerunt. Rex lætus audivit recepitque. Primum Regis factum non magna ex re, benevolentiam ſibi civium ingentem paravit. Cùm enim Priores ipſi, qui autores nominandi deligendique Regem fuerant, immunitatem ſibi fratribusque, & parentibus, cæteraque privilegia quædam præter Populi ſcitum excepiſſent, Rex aliis comprobatis, quæ in decreto continebantur, hoc unum ita rejecit, ut Priorum ipſorum impudentiam, pravitatemque vultu & verbis deteſtaretur. Ex hoc Regis laus apud cives crevit, quaſi juſti Principis, nec ad gratiam magis, quàm ad honeſtatem proclivis. Et civitatis quidem negotia ſic traducebantur.

Decretum electionis oratoribus offerendum Regi, transmittitur.

Iacobus, Dardanus oratores.

Roberti Regis laus apud Cives crevit.

Legati Federici ad Herricum Imperatorem veniunt

Societas & affinitas initur ab Herrico cum Federico Siciliæ Rege.

Fœdus contra Robertum.

Imperator autem cùm Bonitii eſſet, Legati Federici, qui per id tempus Siciliam tenebat, ad eum venerunt, novam belli materiam afferentes, de qua paulò ſuperiùs repetita dicemus. Nuper dum Romæ eſſet Herricus, ac permultæ ſibi intra urbem moleſtiæ inferrentur, ſocietas ſimul, & affinitas ab eo inita eſt cum Federico Siciliæ Rege. Id quidem procuratum de induſtria fuerat, quo Robertum ulciſcerentur, Regnoque ſpoliarent. Ea ſiquidem unica peragendi via eſt viſa, ſi Federicus aſſumeretur ſocius, ac tam validæ potentiæ in unum coirent. Federicum vetuſta Siciliæ controverſia, ſæpiusque jam tentata dejectio inimiciſsimum faciebat Roberto. Convenerat autem in eo fœdere, uti proximâ æſtate terrâ marique Roberti Regnum invaderent, cujus rei gratiâ pecuniæ quædam à Federico fuerant conferendæ. Legati igitur tunc Bonitium venientes, pecuniasque à Rege tulerunt, ac poſtularunt ex fœdere, ut ſe contra Robertum præpararet. Ob eorum adventum Legatorum novæ ſubinde curæ, novaque certamina ſuſcipiuntur. Imperator, cùm multa ſibi providenda forent, ac ejus rei gratiâ Piſas redire ſtatuiſſet, Bonitio quidem & his locis Brancham Scolarium exulem Florentinum: Anciſæ verò ac ſuperioris Arni opidis Guidonem Caprariam Piſanum vicarios præfecit, & gubernare populos juſſit. Ipſe haud multò pòſt Piſas profectus, novas inde copias è Germania convocat: claſſem Genuenſibus permagnam imperat. Dum hæc expectat, contra Robertum Regem, ac Florentinos cæterasque ſocias civitates edicta graviſſima imponit, multos etiam inſignes per eam tempeſtatem homines ab adverſariis æmulisq;, ut cuiq; libuit, nominatos ſententiis annotat. Interea quoq; ne torperet otio miles, per Præfectos ejus, viros militares, bellicarumque rerum gnaros, quotidiana quoque prælia cum Lucenſibus finitimis exercebat.

Brancha Scolaris Bonitio perficitur.

Guido Capraria Anciſæ

Edicta contra Robertum Regem, Florentinos & ſocias civitates Imperator imponit.

Prælia quotidiana cum Lucenſibus exercentur.

Florentinorum copiæ Lucam transmittuntur.

Lucenſes maximas calamitates accipiunt.

Eâ de causâ proximi anni principio Florentinorum copiæ Lucam transmiſſæ, quamdiu in his locis belligeratum, auxilio ſociis fuere. Calamitates in eo bello maximæ à Lucenſibus receptæ ſunt. Præter continuas enim incurſiones, caſtella inſuper quædam Lucenſium expugnata, ab hoſtibus capiuntur. Miniatenſibus quoque non diſsimiles inflictæ clades. Exercitu claſſeque paratis, cùm tempus conſtitutum profectioni adeſſet, præmiſſis navibus ſeptuaginta (tot enim ſibi paraverant, ut cum Federici claſſe jungerentur) ipſe Piſis movens, circiter Nonas Auguſti, non ſatis proſperâ valetudine iter ingreſſus eſt, ducens per Miniatenſẽ & Florentinum agrum. Inde non longè à mœnibus Senarũ prætervectus, apud Apertum montem, Florentinâ clade nobilitatũ locum, poſuit caſtra. Ibi ingraveſcens ad Maceretarias aquas divertit. Cùm nihilo relevarent aquæ, rurſus inde movens ad Bonconventum caſtra fecit. Hoc demum in loco ſuperante morbo corruit, ac paucis pòſt diebus è vita migravit, in medio curſu rerum maximarum, & certè Roberto Regi admodum formidatus. Quippe Federici copiæ jam in Regnum ejus traductæ, Rhegium urbem, quæ contra Siciliã maximè oppoſita eſt occupaverant. Duæ inſuper

Maceretaria aqua.

Herrici Imperatoris obitus Anno 1311.

Federici copiæ Rhegiũ occupãt.

inſuper validiſsimæ claſses tota litora complebant, quibus, cùm anxiè reſiſti poſſe videretur, addito hujus viri tam acris, tamque obſtinati adventu, In ſummum diſcrimen res adducebatur. Sed bellorum eventum nemo ſatis prædixerit. *Quippe communis Mars, ut ajunt, magnique ſæpe terrores, parvis momentis in irritum rediderunt.*

Bellorum eventum prædici nequit.

Corpus Herrici magno ſuorum luctu, Piſas relatum eſt, exercitusque omnis ſolutus. Claſsis etiam Genuenſium & Federici, ac jam traductæ citra fretum copiæ, auditâ Imperatoris morte, domum ittitæ redierunt.

Herrici corpus Piſas transfertur.

Qui cum Herrico per Hetruriam conſpiraverant, eos maxima de ſpe non minorem in metum inopinatus convertetat caſus. Præcipua tamen Piſanos formido pervaſerat, finitimis Lucenſibus, Florentinisque ob accepta recens detrimenta graviùs irritatis. Itaque ad curam ſalutis propriæ converſi, Ducem quærebant, cujus ductu, auſpicioque imminentibus reſiſterent malis. Uguicio erat Fagiolanus, yir eâ tempeſtate inprimis acer: ad rei militaris peritiam moderatio quædam animi, & conſilium, ne in pace quidem aſpernandum, accedebat; præterea ſtudio partium vel Piſanis par. Hunc evocare placuit, ſummamque rerum uni ſibi committere. Suſceptâ igitur civitatis curâ, Uguicio ad octingentos equites Germanos ex his copiis, quæ nuper cum Herrico militaverant, ingentis pollicitatione mercedis ad ſe traduxit, ac cætera, quæ providenda erant, ſolertiſſimè curavit. Inde Lucenſes, bellum ipſe prior occupans, ſic acriter infeſtare cœpit, ut quæ anteà fuerint perpeſsi bella, ludi planè jocique viderentur, uſus belli inſerendi certiſsimâ ratione, ut non ſemel aut iterum quotannis apparatu facto in hoſtem exiret; quod ſuperioribus ferè bellis fieri conſueverat: ſed in armis perſiſtens, Piſis ipſis pro caſtris adverſum Lucam, propter finitimam propinquitatem uteretur.

Piſani Ducem quærunt.
Uguicio Fagiolanus.
Uguicio civitatis curam ſuſcipit.
Lucenſes infeſtat.

Lucenſes verò eodem ferè tempore, quo Florentini, jus ac poteſtatem ſui Roberto tradiderant. Quæ res, tanquam tranſlata in alterum cura, multùm admodum illos ad ſtudium belligerandi reddebat ſegniores. Nihil denique neque enixè, neque fortiter ab illis gerebatur: opem tamen ferebant ſocii, nec Lucenſibus deerant. Verùm, quid proderat ea res? Quàm diu enim majores ſociorum copiæ Lucæ convenerant, Uguicio ſe Piſis continebat, quieremque de induſtria ſimulabat: Ubi verò abierant, fines hoſtium pervadebat. Ita magnitudine tandem incommodi perturbaros, quando cæteræ deerant viæ, ad iniquiſſimam Lucenſes compulit pacem: in qua multum agri, & pleraque munita loca Piſanis dimiſerunt, exulesque omnes diverſæ factionis in urbem receperunt.

Lucenſes Roberto poteſtatem ſui tradiderunt.
Uguicio quietem ſimulat.
Uguicio Lucenſes compellit ad iniquiſſimam pacem.

Hæc pax initio ferè alterius anni, ex quo Herricus deceſſerat, firmata eſt, multùm admodum contradicentibus Florentinis, & cladem proventuram jam inde vaticinantibus. Cùm ergo exules ſecundum pacem, Lucam rediiſſent, quantum nunquam priùs, inteſtina oritur ſeditio ex bonorum repetitione, ob quæ, cum ad arma tandem itum eſſet, & intra urbem pugnaretur, & alteri Florentinos, alteri Piſanos advocarent, anteveniens Uguicio, ab ea parte civium, qui ſuo beneficio redierant, in urbem admittitur. Quo facto altera civium pars Lucâ depellitur: Germani verò & Piſani, qui cum Uguicione intraverant, ubi victores fuêre, ad prædam converſi, totam diripuerunt urbem, nec minùs amicorum bona, quàm inimicorum in prædam venêre. Hic profectò ludus fortunæ mirificus fuit, ut Piſani in metu ac deſperatione rerum ſuarum Lucâ potirentur, quam tot proſperis antè rebus ne ſperare quidem auſi fuiſſent.

Exules Lucam redeunt.
Seditio inteſtina Lucæ.
Lucenſes urbe pelluntur.
Piſani in metu & deſperatione rerũ ſuarum Luca potiuntur.

Lucenſes urbe pulſi, caſtellis quibusdam circa Nebulam fluvium, & per inferiorem Arnum occupatis, ad Florentinorum opes ſe totos converterant. Nam Regem incuſare quidem haud falsò licebat, ejusque vel incuriam vel ſegnitiem carpere. Nec eos ſanè feſellit ſpes. Erecta ſiquidem civitas ob ſociorum calamitatem, ſuſcepto confeſtim patrocinio, ad bellum incubuit. Prima fuit cura exules ſubitaneo tutari milite, ne victoris impetus uno eodemque curſu trepidis in rebus caſtella ipſa, quibus ſeſe receperant, abduceremt. Quare miſſis eorum ſtatim copiæ opidanis ſimul exulibusque fecerunt animos ad opida retinenda. Poſt hoc ad robuſtiorem apparatum verſi, non de repellendo ſolùm, ſed de inferendo etiam bello cogitabant. Hujusce rei caput viſum eſt ante omnia cum Rege

Nebula fluvius.

de auxiliis

de auxiliis agere, ac Ducem petere, qui bello gerendo præeſſet. Cùm igitur ea de cauſa Legatos ad Regem miſiſſent, permotus Rex his rebus, quæ Lucenſibus acciderant, vocibus etiam Legatorum compulſus, Petrum fratrem cum equitum manu in Hetruriam miſit. Hic Florentiam proximo Sextili ingreſſus eſt, juvenis ſummâ gratiâ, & populari favore mirum in modum acceptus. Cum de Piſano, Lucenſique cogitaretur bello, magna inſuper formido, veluti à tergo imminens, conſilia perturbabat. Factio enim, quæ Aretium tenebat, palam hoſtis erat, partibusque adverſa: & laceſſitam, ante Herrici adventum, & poſtea cum illo ſenſiſſe non ambiguum erat.

Petrus frater Roberti Regis in Hetruriam mittitur.

Denique Aretinorum & Lucenſium ratio par, atque eadem eſſe videbatur. In utrâque enim civitate hoſtes dominabantur: ſocii verò, & amici, & earundem ſectatores partium exulabant. Illud modò intererat, quòd Lucenſium recentior erat clades, graviorque ab ea parte hoſtis Uguicio cum Piſanis imminebat. Itaque ne bellum Aretinum eò converſos intentosque impediret, ſtudia pacis adhibere placuit: quod quidem negotium Petrus Regis frater primùm ferè omnium in Hetruria ſuſcepit, perfecitque tandem, iniquâ licet exulibus conditione: ſed tamen eo tempore neceſſariâ.

Aretinorum & Lucenſium ratio par.
Hoſtes dominantur cives verò apud Aretinos & Lucenſes exulant.

In fœdere conventa hæc fuère, ut Roberto Regi gubernatio dominatusque Aretii in quinquennium traderetur; eâ tamen exceptione, ne quos exules reducere, ne vcarcem ædificare, aut præſidium habere in illa poſſet: publici reditus civitatis forent, nec ex his quicquam Regi poſcere, capereve liceret. Civitas quaterna auri millia ſingulos in annos Regi daret: ipſe protegeret bello, in pace tutaretur. Per hoc fœdus nomen tantùm, & pecunias Rex ſuſcipiebat, gubernatio autem civitatis illis ipſis, qui primò tenuerant, relinquebatur. Quin etiam deligendi Magiſtratus curam, ac poteſtatem Guidoni Præſuli Aretinorum è familia principe ejus factionis, ac Gerio Spinæ equiti Florentino, Rex ex fœdere permiſit. Hi quandiu regia duravit poteſtas, Magiſtratum in annos ſingulos Aretinis qui præſſet, regio nomine delegerunt.

Fœdus cum Aretinis.
Guido Præſul Aretinorum.
Gerius Spina.

Poſt fœdus cum Aretinis ictum univerſa, quæ per ſuperiorem Arnum ſub Herrici adventum rebellaverant, præciſâ reſiſtendi ſpe, ad Florentinos rediêre. Ita quietis omnibus ab Aretinis, Piſanum dumtaxat bellum reſtabat.

Rebelles ad Florentinos redeunt.

Dum hæc à Florentinis, Regeque providentur, Uguicio nihil intentatum adverſus hoſtes relinquebat. Poſt captam enim direptamque Lucam terribilior inde factus, opidis, quibus ſe receperant exules, infeſto quotidie impetu pervadens, nec requiem, neque ceſſationem ullam dabat. Inde mox in alios atque alios traductis copiis, Piſtorienſes, Miniatenſes, Volaterranos omnifariam belli cladibus atterebat. Tandem majori vi Catinum adortus, frequentia circum illud præſidia communivit. Ipſe verò modò præſens obſidionem urgebat, modò relictis præſidiis cum parte copiarum agros hoſtium pervadebat, ut ſimul obſidere, ſimul bellum alibi gerere, nec ullis deeſſe locis videretur.

Uguicio terribilior efficitur poſt captam Lucam.
Catinum obſidetur.

Durante apud Catinum obſidione, cùm obſeſſi magis indies premerentur, Philippus alter Roberti Regis frater, proximâ dehinc æſtate Florentiam venit: cujus adventu, ſublatis lætitiâ animis, copias undiquaque contrahere, ac, ad obſeſſos liberandum, ire placuit. At Uguicio auditâ vi, quæ contra ſe parabatur, copiis non modò ſuis omnibus, verùm etiam amicorum impigrè contractis, ad Catinum obſtinatiùs conſedit. Florentini igitur, & ſocii circiter Nonas Sextil. Florentiâ profecti, ad hoſtem contenderunt. Ducebat autem Philippus Regis frater. Erat quoque in exercitu Petrus alter frater, quem primò Florentiam à Rege miſſum oſtendimus: ſed quoniam is minor erat natu, ſumma rei apud Philippum habebatur. Transgreſſi Piſtorienſem agrum, finesque Lucenſium ingreſſi, poſtquam in conſpectum venerunt hoſtium, caſtra non longè ab illorum caſtris poſuere. Uguicio munitionibus ſuos continebat, ſatis pro gloria exiſtimans, ſi contra tantos conatus, invitis adverſariis, in obſidione perſtaret. Itaque levia modò prælia inter utraque caſtra per ſingulos fermè dies committebantur: ad totius verò pugnæ non deſcendebatur diſcrimen. Cùm aliquot dies in hunc modum perſtitiſſent, Uguicio commotus ſuſpicione rerū novarū, quæ Lucæ per ejus abſentiam ſuſcitari nunciabantur, caſtra retrò movere conſtituit,

Philippus Roberti Regis frater.
Petrus Roberti frater alter.
Uguicio in obſidione perſtat.

tuit, ſi poſſet quieto hoſte, ſine pugna; ſin impediretur, fortunam prælii tentaturus. Structâ itaque per noctem acie, primam ſub lucem incenſis tabernaculis movere ſigna, iterque ingredi cœpit. Quod ſimul atque è caſtris Florentinorum animadverſum eſt, confeſtim rumor attollitur; & fugere hoſtes conclamatur; totis denique caſtris repentè conſurgitur. Cùm ex hoc palàm eſſet, abſque pugna abire nequaquam ei licere, Uguicio verſis repentè ſignis caſtra ferociter invadit. Senenſes & Collenſes ab ea parte ſtationem habebant; In hos nondum ſatis paratos prima hoſtium delata acies, turbavit latè, ac terga dare protinùs coëgit: Inde munitiones transgreſſa, ad intimas caſtrorum partes dimicando pervenit. Cùm totis fluctuaretur caſtris, Uguicio in perturbatos, Germanorum equitatum immittit: ipſe cum cætera multitudine ſubſecutus premebat. A Florentinis verò primo quidem concurſu egregiè pugnatum eſt. Quanquam enim ſubita res nec ſtruendæ aciei, nec alloquendi militem dabat facultatem: tamen ad eam partem, quâ major erat tumultus concurrentes, primam hoſtium aciem, quæ avidiùs inſecuta fuerat, totam obruerunt: Sed poſtquàm Germanorum equitum procella ſupervenit, proſtratus fortiſſimus quiſque, aut vulneratus, patefacere aditum hoſtibus cœpit. Uguicio ipſe quadrato agmine ſequebatur, nullumque aut ſe colligendi ſpacium, aut reparandi certaminis dabat. Ita poſt multam cædem, fuga paſſim fieri cœpta. Ceciderunt in ea pugna Florentinorum, ſociorumque ſupra duo millia, & cum his Petrus Regis frater, Caroluſque Philippi filius; præterea ex nobilitate Florentina optimus quiſque fortiſſimuſque oppetiit. Cæteri diſſipati, ut quemque caſus tulit, aufugerunt. Multi etiam in ipſa fuga proximis paludibus merſi periêre. Philippus amiſſo fratre, ac filio, inter fugientes evaſit: quoniam febri eâ die oppreſſus, nec ſe prælio miſcuerat, nec ullum præſtiterat Ducis officium. Uguicioni quoque non incruenta fuit victoria. Nam & Franciſcus ejus filius, qui anteſignanis præfuerat, in hoc prælio interfectus eſt, & tota fermè acies prima oppreſſa.

Uguicio caſtra ferociter invadit.
Turbat Senenſes & Collenſes.
Germanos premit.
Florentini egregiè pugnant.
Florentini fugâ capiunt.
Ceciderunt Petrus Regis frater.
Carolus Philippi filius.
Philippus fugiens evaſit.
Uguicioni victoria cruenta.
Franciſcus Uguicionis filius interficitur.
Catinum Uguicioni deditur.

Poſt hoc prælium qui obſidebantur, deſperatis jam rebus, Catinum victori dediderunt. Funeſtata prælio adverſo civitas, non tam ipſa providebat, quàm Regem intuebatur, ſperans illum pro tanto ſuorum luctu ad ultionem properaturum. Rex autem ſive ſapientiâ, ſive mollitie quadam, non ſatis pro voluntate hominum movebatur. Itaque non deerant, qui carpere palàm Regem inſectarique auderent. Denique & culpâ ſuorum Ducum acceptam cladem, & alium quærendum Principem robuſtioris animi, prædicabant.

Quam indignationem paulò pòſt majorem in modum adauxit Novelli cujuſdam adventus, quem Rex præficiendum bello in Hetruriam miſit, parvo admodum comitatu, ac, in tanta clade Regiæ domus, contemnendo. Igitur principio inſequentis anni, creſcente in Regem odio, Novellum remiſerunt, quatuor ferè menſibus poſtquam Florentiam venerat, & Dux alter, ac Princeps quærebatur. Erant qui Philippum Caroli Valoſiani filium è Gallia vocandum: Erant etiam, qui Regem non alienandum, nec poſt effuſum ſuorum ſanguinem, ingratè repudiandum, cenſerent. Ex his contentionibus inter cives agitatis factiones duæ reſultarunt: una Regii fautrix nominis, altera adverſatrix: quibus certantibus inter ſeſe, nulla ad bellum adhibebatur proviſio.

Novellus à Rege bello perficiendo in Hetruriam mittitur.
Novellus remittitur.
Dux ac Princeps alter quæritur.
Philippus Caroli Valoſiani filius.
Inter cives duæ reſultant factiones.

Cæterùm in hiſce malis unica fuit ſalus, apud hoſtes quoque coorta diſſenſio, Piſani ſiquidem Uguicionis magnitudinem poſt victoriam metuentes, de abjiciendo illius jugo, ſecuri jam ab hoſte, cogitabant. Ea res ab illo cognita effecit, ut ipſe quoque ab hoſtium perſecutione mentem atque animum in cives converteret. Jamque præſtantiores quidam Piſanorum ab eo proditionis inſimulati, ſupplicioque affecti perierant: cæteri verò perculſi metu, illius dominatum ſupportabant inviti. Ipſe verò exire in hoſtem, Piſanoſque ſine præſidio relinquere non ſatis audebat. Id reſpirationem, requietemque belli Florentinis dedit, magiſque in ea re fortunæ beneficio, quàm ullâ proprii conſilii providentiâ fruebantur.

Diſſenſio apud hoſtes.
Piſani præſtantiores ab Uguicione ſupplicio affecti pereunt.
Florentini fortunæ beneficio fruuntur.

Neque

Vguicionis Fagiolani res non sunt diuturnæ.
Caſtrutius juvenis nobilis.
Conventicula Piſis aguntur.
Vguicio Piſis egreditur.

Neque verò Fagiolani res, *ut cætera violenta, diuturnæ fuerunt.* Poſt longas enim ſuſpiciones tandem Piſis Lucâque ſimul excidit. Caſtrutius erat juvenis apprimè nobilis in ea factione, quæ nuper beneficio ipſius, Lucam redierat, manu audaciâque primarius: ætas ac generis favor ſublimem reddebant. Hunc cædem rapinasque Lunenſi in agro molitum, Neruis Fagiolanus capi juſſerat, truſusque in carcerem, pro admiſsis ſupplicium expectabat: Id verò Lucenſes uſque adeò graviter ferre videbantur, ut appareret, nunquam ſupplicium hujus hominis perpeſſuros. Jam conventicula cœtusque totâ urbe agebantur. Cùm ea res non dubiè ad rebellionem ſpectaret, Neruis ad patrem re celeriter delatâ, provideri monuit. Quo nuncio excitus Uguicio, confeſtim cum equitatu Piſis egreſſus, Lucam verſus ire contendit, eâ mente, ut pœnâ de reo ſumtâ, decuſsisque rerum novarum autoribus, Piſas è veſtigio remigraret. At Piſani poſtquàm egreſſum viderunt, optatam occaſionem nacti corripiunt ſtatim arma, portas claudunt, ædes ac familiam ejus igne, ferroque adoriuntur. Advolat Piſanæ defectionis fama ad Lucenſes: corripiunt & illi arma, ædes communiunt, impedimenta per vias jactant. Hæc eò intentiùs agunt, quòd illum in ſuam perniciem intelligebant veniſſe. Quibus tandem conterritus Fagiolanus, cùm à tergo, & à fronte præcluſus, nullam obtinendi ſpem ſupereſſe videret, recepto modò filio in Lunenſem abiit agrum.

Vguicio Piſanis triennio præfuit

Triennio ferè Piſanis Uguicio præfuit. In hoc brevi tempore multis, ac præclaris geſtis rebus ad extremum, tanquàm fortunæ ludo, jactatus, unâ atque eadem die, utriusque civitatis imperium amiſit.

Vguicio una die Piſis Lucaq; excidit.
Piſani apud Regem ſe excuſant, omnemq; culpam in Fagiolanum referunt.

Proximo dehinc anno Piſani legatione ad Regem miſsâ fratris, ac nepotis caſum ſuppliciter deplorârunt, culpam omnem facti in Fagiolanum referentes. Se quidem ab initio ſui tutandi causâ, quod fas & jura permittunt, illum ſibi præfeciſſe, atque eò uſque illius imperio lætatos, donec icto cum Lucenſibus fœdere, ſe ab illorum injuriis vindicaſſent. Quidquid poſthac acceſſerit, id quidem Fagiolani jam eſſe, non Piſanorum: hominem durum atque ſævum, lites ex litibus, certamina ex certaminibus ſerentem, nihil de Piſani commoditate populi, plurimum de propria tyrannide cogitaſſe. Quòd Luca direpta fuerit, quòd amici Regis pulſi, ejusdem facis atque incendii eſſe. Implicatum deinde ab illo de induſtriâ bellum obſidione Catini, & crebrâ in Piſtorienſes Volaterrânosque incurſione: Facta ejus viri quàm ſibi diſplicuiſſent, exitum docere, quòd non priùs ſe quieturos putaſſent, quàm raptis contra illum armis urbe pepuliſſent: Obſecrare, ut iram, ſi qua fortè Regium in pectus ea ob facta altiùs deſcendit, cognitâ veritate leniret, Piſanisque rogantibus, pulſo tandem Tyranno, malorum omnium turbarumque autore, pacem daret.

Piſani Regem ad pacem flectunt.
Lucenſibus pax datur.
* MS. Pal. ſeditionibus.
Florentinis pax hæc moleſta eſt.

Hac oratione Regem, nec quidem priùs aſperum, ad pacem flexerunt. Conditiones dictæ, ut captivi omnes Florentinorum, ſociorumque dimitterentur: Immunitatem, ut prima in pace convenerat, Florentinus Piſis haberet. Lucenſibus quoque iisdem conditionibus * pax data: illud modò additum in fœdere, uti caſtella omnium Lucenſium, quæ exules tenebant, illis ipſis, quorum in manibus erant, remanerent. Pax ferè ab omnibus improbata eſt, ut à Rege mollioris animi contra decus ſui nominis conceſſa: Sed præſertim Florentinis moleſta fuit, cupientibus Catinenſem ignominiam ulciſci. Verùm, ne regiæ autoritati derogare viderentur, ægrè ad extremum ratam habuêrè.

Florentini proficiſcentes in expeditionem qualia arma deferre debeant.
Levis armatura multis nocumento fuit.

Eodem anno conſtitutum eſt, ut, qui in expeditionem proficiſcerentur equites, hæc arma deferrent: calvariam, galeamque inſuper criſtatam, thoracem, manicas, femoralia, ocreas, omnia ex ferro: hoc ex eo proviſum, *quia levis armatura, multis nocumento fuiſſe ſuperiori adverſo prælio videbatur.*

Roberti Regis gratia Florentiæ vacillans, redintegratur.
Rex Guidonem comitem Florentinis præfecit.
Inimicitiæ familiarum ſupra quinquaginta in civitate vigent.

Per hoc tempus gratia Roberti Regis ob varias incurſationes Florentiæ vacillans, operâ maximè unius Præfecti redintegrata eſt. Poſt indignationes enim ſuperiori tempore coortas, Rex Guidonem comitem urbi præfecit. Is quóniam finitimus ac penè civis, nec ſolùm morbos civium: ſed cauſas etiam originesque cognôrat, ad pacandam civitatem animum intendit. Supra quinquaginta capitales inimicitiæ familiarum ex nobilitate, plebeque in civitate vigebant; quæ omnes per hujus providentiam, adjuvante Rep. ſublatæ ſunt, & quaſi ex bello pax eſſet, arma depoſita.

Has

Conſenſio publica Florentiis, ſequitur privatas amicitias.

Has privatas civium amicitias mox publica inſuper conſenſio ſecuta eſt, cùm omnis antè diſſenſio in Rep. ex privatis ſimultatibus oriretur. Itaque tranquilla omnia publicè, privatimque hujus præcipuè diligentia effecit. *Nihil eſt tam hebes, quod non beneficentiâ moveatur.* Civitas enim nuper infenſa, beneficio Præfecti rurſus in Regem converſa eſt: & qui paulò ante de abrogando Imperio ante finitum tempus cogitabant, repentè mutati in triennium prorogârunt.

Cremonenſibus & Parmenſibus exulibus ſubſidia mittuntur.

Eodem anno Cremonenſium exulibus tradita auxilia ſunt à civitate, & Parmenſibus ſubſidia quædam miſſa, quò adverſariis reſiſterent.

Regi Genuæ commoranti auxilia mittuntur.

Altero poſt hunc anno, neque domi, neque foris geſtum quicquam memoriâ dignum reperio, præterquam, quòd miſſa Regi auxilia ſunt tunc Genuæ commoranti. Genuenſibus enim nuper civili diſsidio agitatis, alterius factionis homines armis prævalidi adverſarios expulerant, ac in Regis manus ſe, urbemque tradiderant. Pulſi verò ad ſuarum partium fautores per Galliam & Liguriam confugientes, vi in urbem redire conabantur. Id certamen Regem eò traxerat, præſensque ipſe bellum adminiſtrabat. Miſſa igitur tunc his de cauſis Florentinorum ſociorumque auxilia, Regi multis in locis uſui fuêre. Contentio autem ita crevit, ut non Ligures modò, ſed cis Alpes Gallia ſtudio partium ſcinderetur, ac Hetruria mox eundem ſecuta motum, bella graviſsima integraret.

Iohannes Pontifex Romanus ſe certaminibus admiſcet.

Admiſcuit ſe quoque his certaminibus Johannes Pontifex Romanus, qui cùm Regi, ſuiſque faveret, litem antiquam contra fautores Imperii renovavit. Cùm igitur tanquam incendium quoddam dilataretur bellum, ac Genuæ, ſimul & per Galliam certaretur: Florentini verò magna eò auxilia ſubmiſiſſent, ad impediendam eam manum adverſarii Caſtrutium (is enim poſt ejectum Fagiolanum Lucæ dominabatur) excitarunt, magniſque pellexerunt præmiis, uti rupto fœdere bellum adverſus Florentinos ſuſcitaret in Hetruria. Caſtrutius ergò biennio fermè poſt pacem, nullâ ipſe priùs laceſsitus injuriâ, infeſto agmine Florentinum agrum ingreſſus, Emporium uſque populabundus pervenit, & quædam munita loca improviſo cepit impetu. Ob hunc tumultum mille equites nuper à Florentinis in Galliam miſſi, domum confeſtim revocati ſunt. Auxit quoque in Hetruria ſuſpicionem, quòd Guido Præſul Aretinorum, per factionem ſublevatus, Aretii ſuſceperat dominatum. Is erat vir egregius quidem: ſed è familia diverſarum partium, ac maximè Florentino nomini adverſa. Itaque hujus ſublevatio ab iiſdem impulſoribus, quibus & Caſtrutianum bellum fluxiſſe credebatur. Caſtrutius, cùm è Gallia Florentinorum equites operâ maximè ſuâ revocatos gauderet, quò potentiam magis audaciamque oſtentaret ſuis, coacto exercitu Genuam verſus ducere cœpit, ut non ſolùm detractione hoſtilium copiarum, verùm etiam ſui præſentiâ partibus opitularetur. Florentini autem, quò vice verſâ illum revocarent, haud multò poſt ejus profectionem fines Lucenſium ingreſsi, magno tumultu Lucam circumſederunt: quo tandem metu Caſtrutius retrò reſpicere, copiaſque reducere è veſtigio compulſus eſt. Sed Florentini, ubi hoſtem ex reditu appropinquare ſenſerunt, populato infeſtiùs agro Fucetium ſe recepêre. Caſtrutius verò ſimul atque reverſus eſt, ad eos duxit, nullam confligendi moram, ſi per illos liceret, facturus. Sed neque propoſitum fuerat pugnâ decernere Florentinis, neque eam ob rem ingreſſi fuerant hoſtium agrum; ſed ob revocandum hoſtis iter, quod jam planè aſſecuti cùm eſſent, nil aliud in præſentia flagitabant.

Caſtrutius Lucæ dominatur. *Caſtrutius Florentinum agrum ingreditur.* *Guido Præſul Aretii ſuſcepit Dominatum.* *Caſtrutianum bellum.* *Florentini Lucenſium fines ingrediuntur.*

Dum in his locis uterque exercitus conſtitit, cùm palus tantùm, nec ea quidem lata, dirimeret caſtra, tandem irritâ expectatione ſine prælio eſt digreſſum: eâ tamen opinione hominum, ut in congreſſu ipſo, collationeque caſtrorum hoſtis ſuperior haberetur, nec tantum copiarum multitudine, quantum audaciâ & decertandi cupiditate. Tunc igitur non proſperâ ſatis famâ cùm digreſſum foret ab hoſte, Florentini quo id emendarent, bello valentiùs incumbentes, bifariam adoriri ſtatuerunt, rati per hunc modum faciliùs domitari hoſtis audaciam poſſe, ſi duplici bello idem ſub tempus diſtraheretur. Quamobrem proxima æſtate partem copiarum Lunenſem in agrum miſére ad Spinettam Principem ejus Regionis, qui à Caſtrutio per ſuperiora vexatus tempora, & caſtellis, poſſeſſionibuſque exutus, armis ſua repetebat. Cum hoc

Caſtrutius congreſſu ſuperior habetur. *Florentini bifariâ Caſtrutium adoriri ſtatuunt.* *Spinetta princeps regionis Lucenſis.*

Victolinum à Florentinis obſidetur.
* MS. Pal, Caſtrum.
Florentini Victolini obſidionē deſerunt.
Fucetium.
E Lunenſi agro copiæ à Florentinis revocantur.

igitur icto fœdere, partem copiarum ad eum miſêre. Ipſi verò cum reliquis copiis alia ex parte profecti, agrum Lucenſem ingrediuntur, & ad Victolinum caſtra metati, obſidere id caſtellum * perrexerunt. Et præmiſſa quidem in agrum Lucenſem manus, cum ſeſe ſociis conjunxiſſet, hoſti permagna intulit detrimenta, cunctaque priùs in his locis recuperavit amiſſa: Victolinum autem obſidebatur infeſtè. At Caſtrutius, quanquam bipartito adoriretur hoſte, non ea de cauſa ſe quoque diſtrahendum putavit, neque ſeſe ſuaſque vires diſcidit, ſed coactis in unum copiis ad Victolinum duxit, certiſſimo pugnandi animo, ſi hoſtis non detrectaret. Noſtri, cognito Caſtrutii adventu, quia longè præſtare equitatu intelligebant, veriti ne commeatus intercluderentur, deſertâ Victolini obſidione, retrò moverunt caſtra, & ſe ſuis finibus receperunt. Hos è veſtigio ſecutus hoſtis, cùm caſtra caſtris admoviſſet, pugnamque jactantiùs flagitaret, ſimulatâ pugnandi in poſterum voluntate, apparatibusque ad ſpeciem factis, per mediam noctem fruſtrati hoſtem, Fucetium ſe incolumes receperunt, copiasque omnes intra opidum induxerunt. Eò quoque Caſtrutius ſecutus, aciem ante opidum ſtruxit, & claſſica in conſpectu occinere fecit. Demum quia pellicere ad pugnam nequibat, omnia circa opidum igne ferroque populatus eſt. Inde in cætera Florentinorum ſociorumque converſus loca, terribilis imminebat. Ob id revocatæ è Lucenſi agro copiæ redierunt, & caſtella ibi de hoſte capta, poſt receſſum earum pari facilitate Caſtrutius recuperavit. Ita conatus civitatis ad bellum eo anno adhibiti, contrà quàm creditum eſt, ad extremum reciderunt. Nam nec Lunenſi in agro quicquam perfectum eſt, & ad Victolinum cæterisque locis, ubi majores copiæ fuerunt, longè ſuperior quam unquam hoſtis apparuit.

Florentiæ, 12. cives creantur qui Prioribus in conſilio adſint.
ANNO 1321.

Eodem anno magnitudine belli commota civitas duodecim viros primùm creavit, qui Prioribus in conſilio adeſſent, cùm illi haud ſatis ſufficere tantæ rerum moli viderentur. Creatus eſt autem is magiſtratus anno XXI ſupra milleſimum trecenteſimum: idque poſtea perpetuò in Rep. ſervatum eſt. Turres etiam quædam, & murorum partes eo anno perfectæ.

Piſtorienſes cum Caſtrutio pacem faciunt.

Proximo dehinc anno Piſtorienſes aſſiduis belli calamitatibus à Caſtrutio vexati, pacem cum illo fecerunt, antiquâ Florentinorum ſocietate deſertâ, ad quam impediendam cùm frequentes Legati à Florentinis mitterentur, *pervicit falſa utilitatis ratio, ut quieti potiùs, quàm honeſtati conſulerent.*

Tolomeorum & Salimbenium potentiſſimæ gentes.

Per idem ferè tempus rumor fuit, Caſtrutium partem copiarum per agrum Senenſem Aretium transmittere. Et ſimul apud Senenſes res novæ timebantur ex duarum potentiſſimarum gentium Tolomeorum, & Salimbenium inimicitiis, quæ totam diviſerant civitatem. Itaque miſſa properè Senas auxilia, trepidis in rebus populum confirmârunt. De copiis verò Aretium miſſis falſus rumor fuerat allatus. Non enim copiæ ullæ, ſed Magiſtratus tantùm, qui peregrinus eligi conſuevit, ex urbe Luca Aretium tranſierat; is quia comitatior ingrediebatur, rumorem præbuit falſarum copiarum.

Guido Aretinorū Præſul Fronzolæ arcem obſedit, & cepit.
Puppium.
Voconianum.
Florentini auxilium ferunt incolis opidi Voloniani.
Guido Volonianum capit & ad ſolum evertit.
*Ms. Pal. antecedit

Eodem anno Guido Aretinorum Præſul, de cujus novo dominatu ſuprà diximus, armatâ multitudine Fronzolæ arcem Puppio imminentem obſedit, cepitque. Inde poſitis ad Voconianum caſtris expugnare opidum nitebatur. Cauſa verò hujus conatus erat, quòd incolæ ejus opidi diverſarum partium habebantur, & ſuperiori certè bello Florentinis, exulibusque Aretinis ſemper cohæſerant. Cùm igitur his de cauſis obſiderentur, opidani, miſſis Florentiam nunciis, ſubveniri ſibi precabantur. Florentini verò, etſi detrimentoſum putabant, ad bellum Lucenſe, Aretinum ſimul adjungere: tamen ne deeſſent fideliſſimorum hominum precibus, & ſimul quia exiſtimabant, Præſulem, ſi id opidum cepiſſet, majora inde moliturum, ferre auxilium decrevere. At primò ſubitaneâ manu equitum, Caſentinatem in agrum ad ſpem obſeſſorum præmiſsâ mox convocatis ſociis majores copiæ parabantur, Sed præſul inter hunc apparatum die noctuque obſidionem urgens, opidum ante cœpit, * ad ſolumq; evertit. Itaq; intermiſſi apparatus Florentiæ ſunt, & Præſul ipſe poſt everſum Voconianum nihil ultra molitus Aretium copias reduxit.

Cùm hinc Aretinorum ſuſpicio, illinc bellum Caſtrutianum urgeret, jamq; è ſociis Piſtorienſes defeciſſent, placuit ad inſpiciendos reliquorum animos exercitum

citum indicere. Igitur quaſi magna quædam res arcana ſubeſſet, omnes copiæ ad Nonas Quinctileis in armis fore jubentur, & auxilia ſociorum arceſſuntur. Convenerunt frequentiùs ſocii, quàm unquam antè, adeoque invaluit ſtudium, ut peditum, equitumque permulta millia ad præſcriptum convenirent: quæ res ſic animos civium erexit, nihil ut jam formidarent; ſic adverſarios conterruit, ut audito hoc apparatu, cùm, cujus gratiâ cogeretur, ignotum eſſet, & alii Piſas, alii Aretium, alii Lucam prodi circumferrent, omnes ſibi metuere, invigilareque cogerentur. Sed auxilia ſociorum collaudata paulò pòſt, quaſi rebus non procedentibus, domum remiſſa ſunt.

A Florentinis auxilia ſociorum arceſſuntur.

Per extremum ejus anni Johanne Romano Pontifice rogante, Florentini rurſus auxilia equitum in Galliam miſerunt. Implicatis enim Rege ſimul & Pontifice Genuenſi bello, cùm de communi ſtudio partium ageretur, tota cis Alpes Gallia mirum in modum fluctuabat. Nec bellum quidem Hetruſcum alienum ab illo putabatur. Nam eſt Caſtrutium inimici Regis Pontificisque pepulerant, ad bellum in Hetruria concitandum: Et Guido Aretinorum Præſul, etſi non apertè inferebat bellum; tamen multa quotidiè moliri adverſus amicos, ſociosque Florentini populi cernebatur, & à favore planè diverſarum partium hominum totus pendere. Miſſa igitur tunc in Galliam auxilia iisdem rationibus impetrarunt, ut proximâ ſecuturâ æſtate Genuenſes cum claſſe in Lucenſem agrum deſcenderent: Florentini verò & ſocii omnibus copiis alia ex parte eundem agrum pervaderent: fore enim, ambobus uno tempore Lucam adorientibus, ut Caſtrutius ipſe opprimeretur. Cùm ad eam rem apparatus fierent, Præfectus quidam foro Julianorum equitum, qui vel integerrimâ fide ad eam usque diem apud Florentinos ſtipendia faciebat, corruptus pecuniâ, ad Caſtrutium transfugit. Id quidem factum multorum turbavit animos, nec tam pro ſubtracta copia (non enim ſupra ducentos equites Præfectum in transfugio ſecuti fuerant) quàm quod de corruptela cæteri formidabatur exercitus. Ob eam rem irrumpere (uti conſtitutum fuerat) in Lucenſem agrum ſuperſederunt, & apparatus ad id factos diſſolverunt. At Caſtrutius ob hoc ipſum elatus, cum iis, quas reſiſtendi causâ paraverat, copiis, ultrò jam in hoſtilem profectus ad Fucetium poſuit caſtra. Inde transmiſſo Arno, in Miniatenſem Toporianumque agrum duxit, belli cladibus & terroribus cuncta involvens. Poſt hæc magno applauſu Lucam redit, his in hoſtem editis, quæ hoſtes ſeſe facturos minabantur.

Johannes Romanus Pontifex.

Gallia cis Alpes fluctuat.

Genuenſes in Lucenſem agrum deſcendunt.

Præfectus quidã corruptus pecunia ad Caſtrutiũ transfugit.

Caſtrutius elatus.

Fucetium.

Dum à Caſtrutio iſta geruntur, Guido Præſul armatâ Aretinorum multitudine Fagiolam, & alia quædam caſtella filiorum Uguicionis obſedit. Cauſa verò obſidendi fuit, quòd illi, etſi ſtudio partium ſimiles; tamen dominatum ejus Præſulis haud æquo animo videbantur perferre. Guido igitur, ubi plerasque illorum arces aſperis quidem in locis ſubegit, (ſunt enim in finibus Aretini agri circa Apennini jugum) reducto exercitu Rondine circumſedit. Id opidum in fide Florentini populi erat, jam inde à ſuperioribus bellis: itaque opidani ſtatim ab initio obſidionis, miſſis Florentiam legatis, ſubveniri ſibi poſtulârunt. Movebant cunctos optimorum, ac fideliſſimorum hominum preces: ſed implicata Caſtrutiano bello civitas, ne alias inſuper lites ab Aretinis concitaret, neque ferre opem, neque rurſus negare ob verecundiam audebat. Itaque inter ſpem metumque protracti Rondinenſes, aliquot menſibus obſidionem pertulêre: Tandem ubi ſeſe urgeri indies magis viderent: nec ulla ſibi auxilia præſtabantur, ſeque & opidum Aretinis reddiderunt.

Fagiola à Guidone obſidetur.

Obſidendi cauſa.

Guido Rondine circumſidet.

Rondinenſes Florentinorum auxilia poſtulant.

Rondine Aretinis redditur.

Eodem anno Caſtrutius præter omnium expectationem cum exercitu profectus, non longè à Prato minabundus conſedit. Ob repentinum ejus adventum, cùm tumultus major concitus fuiſſet, ac fuga agreſtium paſſim fieret, Prato quoque metueretur, Florentini juſtitio indicto, tabernisque tota urbe clauſis, populariter ferè ſunt contra illum egreſſi, ut eſſent intra paucas inde horas in armis peditum ſupra XX millia, equites verò urbani ad duo millia. Hæc omnis multitudo raptim Pratum deducta, contra hoſtem oppoſita ſtetit. Caſtrutius apud Areolum vicum habebat caſtra: qui poſtquàm tantam multitudinem tam ſubitò adverſus ſe veniſſe conſpexit, etſi longè impar tantis

Pratum.

Florentini populariter ferè contra Caſtrutium egrediuntur.

Caſtrutius ſimulata fiducia Florentinorum copias diſtinet. Umbro amnis. Serra oppidum. Varia plebis & Nobilitatis ſententia in perſequendo hoſte.

copiis erat; tamen ſimulatâ fiduciâ, quaſi in craſtinum pugnaturus, hoſtem diſtinuit. Mox per noctis ſilentium, transmiſſo Umbrone amne, per agrum Piſtorienſem abiit, nec priùs intermiſit iter, quàm ad Serram oppidum ſe recepit. Cum exorta lux, vacua hoſtium caſtra patefeciſſet, variis apud Florentinos ſententiis certatum eſt. Plebs enim ac urbana omnis multitudo ſequendum è veſtigio hoſtem cenſebat: Nobilitas autem ſive indignatione adverſus plebem, ſive quòd experta, & bellorum gnara in ſubitaneo collectitioque milite non multum ſpei collocandum putabat, reducendis tunc domum copiis, & alio, ſi videatur, tempore ſociis convocatis, apparatuque ſolenniter facto, vadendum in agros hoſtium ſuadebat.

Sententiarum varietas diſcordias inducit.

Cùm varietas ſententiarum diſcordias induxiſſet, ac plebs fidem nobilitatis; nobilitas verò temeritatem ac væſaniam plebis incuſaret, odia graviter exarsêre. Itaque mittere Florentiam placuit, & ad Priorum voluntatem rem integram referre. Ea relatio in urbe quoque apud eos, qui domi remanſerant, contentiones accendit,

Profectio Florentina decernitur.

variantibus ſententiis non Priorum modò, ſed & aliorum civium, donec inſurgente puerorum multitudine, ac minimâ de plebe turbâ per forum & compita exclamante, profectio decernitur.

Exercitus Florentinorum proficiſcitur incredibili multitudine.

** MS. Pal. pacata.*

Fucetium.

Profectus eſt igitur exercitus incredibili multitudine. Nam præter urbanam turbam, quæ totam ſe ad id effuderat, ex agro paſsim omnes eo properabant, & ſociorum auxilia frequentiſsima ad primum adventum hoſtis percita * ſupervenerant. Cum circa Fucetium perveniſſent, & nobilitas, quæ diſſuaſerat, tantummodo ſequeretur ſigna; curam verò ac ſtudium commeatus cæterarumque rerum autoribus profectionis relinqueret, nec opportunè quicquam ageretur, te

Expeditio temerè ſuſcepta irritatur.

ipſa jam vanitatem cœpti arguente, ſuſcepta temerè expeditio irritatur. Itaque tantæ ſimul copiæ nec hoſtile intrârunt ſolum, nec quicquam omnino perfecerunt: ſed pleni incuſationum injuriarumque alii alios culpantes, domum reverſi ſunt. Domi quoque contentiones vehementiſsimæ ab exercitu hauſtæ ex data exulibus fide. Sub primum enim Caſtrutii adventum cùm Prato imminere nunci-

Exulibus promittitur reductio.

atum eſſet, ac prælium in futurum crederetur, exulibus promiſſa reductio eſt: ſi modò in caſtris armati contra hoſtem adeſſent. Ob eam rem ingens manus exulum in caſtra confluxerat. Ortis mox inter cives diſcordiis, & uſque Fucetium exercitu perducto, cùm inde Florentiam malè concordes remearent, injecta exulibus ſuſpicio eſt, ne promiſſa eis ſervarentur: nec deerant qui commonefacerent, ut ſibi ipſis proſpicerent. Quamobrem commoti exules ante venire exercitus reditû

Exules Florentiam armati ingredi cupiunt.

ſtatuerunt. Itaq; ſub vexillo celeriùs, ad urbem contenderant, eo conſilio, ut armati ingrederentur. Civitas diſcordiarum, contentionumque exercitus gnara, ſtatim atque venire exules nunciatum eſt, verita ne ad res novandas

Civitas arma ſumit.

eſſent præmiſsi; ſumſit arma, ac venire in urbem prohibuit. Quare exclusi exules ante portam conſedêre. Tandem poſterâ die, cùm reliquus exercitus adventaret,

Exules veriti civium vim retro abeunt.

veriti civium vim, retrò abiêre, Pratique conſiſtentes rogare jam inde verbis cœperunt, quod antè flagitaverant armis. Ejus rogationis gratiâ octo exulum Le-

Octo exulum Legati in urbem veniunt. Nobilitatis favor in reducendis exulibus.

gati fide publicâ in urbem venerunt. His nobilitas favebat: Nam & erant quidam inter exules ex præcipuis familiis, & magna clientium manus hominum facinoroſorum, queis plurimùm nobilitas utebatur. His de cauſis favor erat nobilitatis in reducendis exulibus propenſiſſimus. Priores quoque, qui autores pollicendi fuerant, repræſentandum exulibus promiſſum, neque fraudandos, fruſtrandosque homines publicâ fide clamitabant. At plebs infenſa, partim conſuetudine obtrectandi, partim itâ turpiter reducti exercitus, poſtulationem adverſabatur.

Legatorum Exulum oratio.

Denique cùm his de rebus Magiſtratus referret, introducti exulum Legati hujuſcemodi orationem habuêre: Si aut de exilio noſtro, aut de conditione ſingulorum differendum foret, alia nobis dicendi ratio, aliaque oratio præponeretur. Nunc autem cùm, qualeſcunque tandem ipſi ſimul, talibus promiſeritis, ſimplex admodum poſtulatio nobis ſufficiet. Fidem publicam, quam ſub adven-

Legati fidem publicam ſibi præſtari flagitant.

tum hoſtium nobis ſpoſpondiſtis, nunc demum, illis amotis, omniq; terrore depulſo, præſtari nobis flagitamus. In hac verò poſtulatione noſtra ſi quis fortè ſubſiſtit, neceſſe eſt eò adduci, quòd aut promiſſum neget, aut à nobis impletum: aut quòd, etiamſi utrumq; factum ſit, tamen ſervanda non eſſe promiſſa civitatis contendat.

Horum

Horum duo prima docere noſtrum erit: Tertium in veſtra æquitate, ac in civitatis pudore repoſitum eſt. Quanquam quis eſt, qui de horum aliquo ambigere poſsit? Quis neſcit promiſſum? quis non publicatum? quis non ita proclamatum, ut non Florentiæ modò, ſed per finitimas quoque urbes vox civitatis exaudiretur? Atque in rebus agendis, quandoque alterius ad alterum promiſſio fit, ſecreta quidem ac minimè vulgata, quæ etſi eſt æquè ſervanda; poteſt tamen à multitudine ignorari. Hîc autem nihil eſt cur civis ignoret, quod in civitate factum peregrini etiam ſciunt. Sed quid in eo moramur, quod & Priores viri clariſsimi fatentur, & civitas conſcia veritatis, non negat? Illud credo eſt dubium, in caſtris ne fuerimus adverſus hoſtem, quæ fuit conditio promiſſioni adſcripta: Id nos & literis, ſigilliſque veſtrorum Ducum, & mille inſuper teſtibus docemus. Et quis fuit in exercitu civium veſtrorum, cui ulla modò ſit Patriæ cura, qui nos non viderit in fronte contra hoſtem collocatos? qui non præliandi cupidos? qui non pro victoria devotos? cùm pro tanto beneficio in nos collocato, etiamſi oppetendum foret, vix ſatisfactum merito de nobis veſtro putaremus. Nos enim vitam pro Patriæ victoria (ni hoſtis fugere, quàm experiri virtutem maluiſſet) non forti modò, verùm etiam libenti animo impenſuri eramus, ac neque corporibus, neque animabus noſtris parſuri. Poſt fœdam verò illam, degeneremque hoſtis fugam, & confeſsionem timoris, ſigna publica ſecuti, quocunq; duxerunt Duces veſtri, nuſquam diſceſſimus. Quod ſi Duces ipſi non eò profecti ſunt, quò proficiſci optatis, quis nobis id ſuccenſeat? *Neq; enim noſtrum erat Ducibus præcipere, ſed eorum præcepta ſpectare & ſequi.* Quod ſi deſiderium certè noſtrum valuiſſet, etiam hodiè ſolum hoſtile calcaremus. Quare cùm & promiſſum & à civitate, & à nobis, quæ in conditione fuerunt, impleta conſtet: vos jam quid fides veſtra, ac gravitas exigat, videtote. Nam nos quidem in hac parte loqui pudor impedit, *cùm injurioſum ſit, vel dubitare ſolùm de civitatis fide.*

Poſtquàm Legati exulum auditi ſunt, curia excedere juſsis conſultari eſt cœptum. Nobilitas fermè omnis, & Magiſtratus ſervandam fidem publicam ſuadebant, & cùm precibus exulum, tùm propinquorum interceſsionibus permulti movebantur. At quidam ex his, qui in conſilio aderant, vir ſeveritatis priſcæ, cùm tandem locum dicendi nactus eſſet, ita fertur dixiſſe: Si reductionem tantummodò postulaſſent exulum Legati, nihil equidem plus eorum poſtulationi, quàm tabellam, mei teſtem judicii reſpondiſſem. *Viri cuiuſdam qui in conſilio erat ſententia.* Nunc autem cùm eo ſpectet oratio illorum, ut & notam finitimis promiſſionem jactent, & dedecus, perfidiamque civitatis redarguere pergant, non tabellâ reſpondere ſat eſt: ſed & voce quoq;, eorum calumnia videtur refutanda. A civitate promiſſam reductionem ajunt: Quo tandem modo? Quia Priores, inquit, promiſerunt, publicârunt, proclamârunt, ut etiam finitimi exaudirent. Mitte quæſo hanc verborum pompam, ad ſolidum, ut ita dixerim, accede. Fateor promiſſum à Prioribus: à civitate tamen promiſſum nego. Date veniam quæſo, optimi Præſides. *Conſulendi enim facultas libera eſſe debet,* nec ego quicquam minuo ex majeſtate veſtra, ſed majeſtatem populi adverſus calumniam defendo. Nego inquam, eſſe idem Priores ac civitatem, nec idem ſanè eorum decreta valere. *Priores & civitas non eſt idem.* *Legibus enim ſic Reip. gubernatio à majoribus noſtris temperata eſt, ut civitas quidem ſine ulla exceptione omnia poſſit:* Priores verò ea tantùm, quæ civitas permiſiſſet. *Civitas poteſt omnia.* Quæro igitur, nunquid Prioribus permiſſa ſit reductio exulum? Reſpondebunt ipſæ leges, non eſſe permiſſam. *Priores ea, quæ civitas permiſit,* Quâ ergo de re decretum ſolenne, ſi à Prioribus fieret, invalidum eſſet, ea de re nuda pollicitatio valida erit? Et ſi decretum foret, nemo ſervaret: promiſſum autem niſi ſervetur, civitatis fama lædetur? *Naturâ ita comparatum eſt, ut factum ſit, quàm promiſſum, longè robuſtius.* Quorum igitur factum civitas ſine ullo dedecore habere irritum debet, eorum promiſſum niſi ratum habuerit, quæ tandem infamia erit? *Majores noſtri in finiendo exilio non Magiſtratus nutum, ſed populi decretum ſpectari voluerunt:* Multis denique locis rem diſcuſſam, & comprobatam eſſe prius. Magnum, credo, viſum eſt, atque arduum, *ut quem civitas ut facinoroſum, ac malum civem abjecerat, is paulò poſt reduceretur ut bonus.* Tum ut metu homines à maleficiis deterrerent, difficultates permaximas reductioni oppoſuerunt, ut præter publica populi decreta, conſenſus etiam inimicorum ſpectare-

tur. Quæ omnia mehercle ſalutaria ad civium quietem, ſtabilita legibus, uſu comprobata, moribus inveterata, iſti unâ promiſsione evertenda putant, nec in uno aut altero exulum, ſed in univerſa penitus multitudine. At in exercitu fuerunt, contra hoſtem ſteterunt armati! Non hoc quæro, fuerint in exercitu: ſed illud quæro, reducendíne ſint ſecundum leges? hoc tu priùs mihi jus proba, ego tibi quod reliquum eſt, perquàm facilè concedam: Quandiu verò id à te probatum non ſit, etſi millies in exercitu fueris, nihilo magis cenſebo reducendum. Etenim ſi fuiſſe in exercitu tanti per ſe ipſum exiſtimari debet, ut etiam contra leges ſint exules reducendi; quid dabimus, quæſo, civibus noſtris, qui nullo priùs admiſso, nec cujusquàm noxa rei eodem in exercitu populariter affuêre? Atque adhuc eò ſpectat oratio mea, ut etſi omnia cum laude ſint ab exulibus facta: tamen reducendi non videantur. Quid ſi poſt eam promiſsionem armati contra Patriam venerunt? ſi obſederunt portas? An hujus populi memoriâ tàm citò excidiſſe putant, quo die illi, relicto poſt ſe exercitu optimorum civium ad Patriam, quam defenſoribus vacuam reperire exiſtimabant, occupandam, expugnandamque properârunt? Adeò parum apud eos interfuit inter civem & hoſtem, quos niſi portæ ac mœnia arcuiſſent, non verbis, ut nunc, ſed vulneribus, & armis fuiſſet à nobis diſceptandum. Et hi, niſi reducantur, fore civitatem in dedecore, audent dicere: qui, ſi reducerentur, maximum eſſet dedecus civitatis. Ego igitur, ut ſententia breviter mea complectar: reducendos nequaquam cenſeo, vel quia invalida fuit promiſsio, vel quia, ſi valida eſſet, illi novo crimine, quo minus reduci debeant, effecerunt.

Cùm hæc pro exulibus, contraque exules dicta eſſent, Magiſtratus, quò voluntas ſingulorum eliceretur, tabellas conſultoribus dari juſsit, quæ cum non ſatis proſperè exulibus reſponderent, & urna jam ſæpius incaſſum circumlata homines fatigaſſet, dimiſſum conſilium eſt, magna cum eorum querela, qui utcunque promiſſum eſſet, repræſentandam exulibus fidem publicam ſuadebant. Cùm igitur diſſentire inter ſe cives in ea re haud obſcurum eſſet, vocesque liberiùs jactarentur, exules ſumto ex favore animo, vi redire in urbem conſtituerunt. Ad hoc ſecurium magna vis præparatur, & tempus locusque facinori deligitur. Tempus maximè illis placuit, intempeſta nox: locus autem Feſulana porta, per quam effractam irrumpere parabant. Quæ ubi maturè compoſita ſunt, dato inter ſe ſigno, pluribus ex locis ad urbem venerunt. Sed res permultis nota, clam eſſe non potuit, itaque occaſo ſole, cùm ejus rei fama incidiſſet, murmur primò fuit, mox & arma ſumta, vigiliæque totâ nocte per urbem actæ, & ſingulis portarum turribus faces cum præſidib. armatorum impoſitæ. Quare adventantes paulò poſt exules cum detectam fraudem cognoviſſent, irrito cœpto abiêre. Fuit autem exulum numerus ſupra mille quingentos. Rem ab exulibus compoſitam non ſine conſenſu nobilitatis creditum fuit, & certè pro vero habitum. Quocirca poſt repulſos exules, agitatum eſt de conjuratis puniendis, in quibus cùm univerſa nobilitas in periculum vocaretur, nec punire omnes, nec impunitos relinquere placuit: ſed in principes tantùm ejus motus animadvertendum fore. Hos nemo cùm privatim accuſare auderet, concione populi advocatâ, inaudito hactenus exemplo inductum eſt, ut ſinguli, quem maximè putarent ſontem ex nobilitate, ſchedulis adſcriberent ſine autore, ſine nomine. Quibus tandem receptis, lectisque, compertum eſt, nomina trium nobilitatis principum à pluribus delata: Amerigi Donati, Teggiæ Freſcobaldi, Lotteringi Gerardini. Hi vocati ad Magiſtratum ſub fiducia paruerunt. Interrogati autem de conjuratione, requiſitos quidem ſe ab exulibus dixerunt, aſſenſum tamen nunquam præſtitiſſe. Ita non quaſi conjuraſſent, ſed quaſi non patefeciſſent duobus millibus æris ſinguli eorum multati, ad breve inſuper tempus relegantur. De cæteris verò conniventibus oculis tranſitum, ne infinita diſcordiarum inter cives ſuſcitaretur materia. Ex hoc popularium ſtudiis ad Remp. tuendam erectis, minora vexilla, quos Pennones vocant, majoribus adjunxerunt, & in populum dederunt, experti * nocturno illo tumultu percommodum incidere, ut manente vexillo pars aliqua ſocietatis in opportuna loca ſub minoribus ſignis mitti poſſet.

Cives, an exules reducendi ſint, diſſentiunt.

Exules vi redire in urbem conſtituunt.

Vigiliæ totâ nocte aguntur, & arma ſumuntur.

Exulum numerus ſupra 1500.

De conjuratis puniendis agitatur.

Sontem ex nobilitate Populi ſchedulis adſcribunt.

Nomina trium nobilitatis Principum deferuntur:

Amerigi Donati, Teggia Freſcobaldi,

Lotteringi Gerardini.

Conjurati ad breve tempus relegantur.

Pennones.

* MS. Pal. exemti.

Magiſtratuum ſortitio inſtituitur.

Per hoc ipſum tempus ſortitio Magiſtratuum inſtituta eſt, cùm antea ſemper electio

electio per ſuffragia obtinuiſſet. Ea mutatio, etſi parva tunc res, opinione hominum, viſa ſit; maximam tamen inclinationem Reip. attulit, mutatâ penitus gubernandæ civitatis formâ. Sortitio autem per hunc modum inſtituta: Prioribus & collegiis data poteſtas, ut eorum civium, qui digni eo munere viderentur, nomina ſchedulis ſcripta comprobataque loculo includerent. Inde, cùm tempus adeſſet Magiſtratus deligendi, tunc ſorte nomina promerentur, cujus depromtum nomen eſſet, is foret Magiſtratus, niſi lege vetaretur. Vetitum autem erat, ſi aut intra triennium eundem geſſiſſet, aut ſi frater cognatsúve aliquis in Magiſtratu eſſet. His caſibus unde promtum nomen eſſet retrudebatur. * Prima ſortitio in triennium & ſex menſes conſtituta, resque ipſa probavit utilem eſſe hanc legem ad tollendas civium contentiones, quæ per procurata crebrò oriebantur ſuffragia. Sed quantum in illo prodeſt, Reip. tantum obeſt, vel etiam magis, quòd indigni plerunque ad Magiſtratum ex ſortitione ſumuntur. Neque enim pari diligentiâ providetur præſenti officio & multis ſecuturis. *Sed remota quidem illa & an futura ſint minimè certa, hebetiori intuemur oculo: præſentia verò acriter & argutè*. Extinguit præterea virtutis ſtudium: quia ſi ſuffragiis certandum foret, & apertè in periculum famæ veniendum, multò magis ſeſe homines circumſpicerent. Morem igitur primum longè probabiliorem, utilioremque Reip. fuiſſe non ambigo, quo & populus Romanus ſemper uſus eſt in Magiſtratibus creandis. Florentiæ tamen hic ſortitionis mos tunc primò inductus, ad noſtra uſque tempora devenit, popularitate quadam in Rep. ſervatus.

Modus ſortitionis.

* MS. Pal. recludebatur.

Sortitio quantùm Reip. prodeſt, tantum etiam obeſt.

Populus Romanus uſus eſt ſortitionibus in Magiſtratibus creandis.

Dum hæc domi geruntur bella, interim ab hoſtibus inferebantur graviſſima. Caſtrutius enim, vir ingenio acri, in Florentinum agrum quotidianas propè incurſiones faciebat. Altera verò ex parte Guido Aretinorum Præſul, impigri & ipſe vir animi ſocios amicosque Florentini populi cunctis belli cladibus infeſtabat. Qui, cùm opida pleraque Aretini agri, quæ dudum unà cum exulibus in ſocietatem Florentinorum devenerant, expugnaſſet, nonnulla etiam funditùs diruiſſet, * majora jam inde audens, Tifernum urbem ſociam, & amicam Florentini populi, vi & armis invaſit, pulſisque diverſarum partium hominibus, poteſtati ditionique ſuæ civitatem ſubegit.

Caſtrutius Florentinum agrum incurrit.

Guido Aretinorum præſul ſocios amicosq; Florentini populi, belli cladibus infeſtat.

* MS. Pal. dimiſſa.

Tifernum Guidonis poteſtati ſubigitur.

Ob eam rem Peruſini, & aliæ quædam finitimæ civitates, quæ ſibi pergravem Aretinorum vicinitatem ſuſpicabantur fore, novam ſocietatem cum Florentinis inierunt pro Tiferni recuperatione. Societas ea in triennium conſtituta eſt.

Societas nova pro Tiferni recuperatione.

Per extremum ejus anni, Caſtrutius magnam rem auſus, in ſua penè audacia corruit. Fucetium erat opidum nobile in fine Lucenſis agri. Id Florentini per ſuperiora bella traditum in poteſtate continebant, eaque per id tempus ſedes erat belli adverſus Caſtrutium & Lucenſes. Cum itaque cunctas, ut par erat, vias pro abducendo eo opido Caſtrutius ſcrutaretur, tandem proditores ſibi magnâ comparat pecuniâ. Inde procelloſâ nocte, quò minus ſentiretur, profectus, ut compoſitum erat antiqua poſte, quam ad hoc ipſum proditores demoliti fuerant, ingreditur, habens equites delectos non amplius centum quinquaginta, pedites verò circiter quingentos. Cùm opidum pervadere, locaque occupare opportuna cœpiſſet, exciti opidani arma corripiunt, factoque ſuorum globo fortiter repugnant. Raro unquā atrociùs quàm eâ nocte præliatū ferunt: atq; ea conditio fuit pugnæ, ut neutri ad ſummum prævalerent. Nam neque Caſtrutius pervincere quaſdam opidi regiones potuit, neque opidani illum ſuis locis expellere. Primam ſub lucem ſubſidia proximis è caſtellis, re per noctem ex ignibus cognitâ ſupervenerunt, quæ alacri clamore ab opidanis excepta in Caſtrutianos feruntur. Ille ubi nova ſupervenire auxilia cognovit, jactis per vias impedimentis, ſeſe in ſuperiori parte opidi ſepſit, ibique adventum ſuarum copiarum, quas majores arceſſiverat, expectare conſtituit. Verùm fatigatus nocturno prælio miles, ubi major impetus, & integri feſſum urgerent, locum tutari non potuit. Itaque tranſgreſſi munitiones fœdam cædem edidêre. Caſtrutius ipſe dum cominus pugnat, accepto in faciem vulnere, aufugit: eorum verò, qui ſecum intraverant, multi cæſi plures etiam capti, reliqui ſeſe ex opido præcipites dantes evasêre. Hæc domi foriſque eo anno geſta.

Caſtrutius in ſua audacia corruit.

Fucetium.

Caſtrutius proditores ſibi comparat pro abducendo Fucetio.

Prælium Fucetii in Caſtro.

Subſidia ſuperveniunt opidanis.

Caſtrutius accepto vulnere aufugit.

Principio inſequētis anni nulla ferè primò res acta, quàm equites, ut in fœdere

Amerigus Donatus Curſii filius.

** aberant in MS. Pal.*

convenerat, Peruſinis traditi, quo adverſus Aretinos bellum inferrent. Dux ex ſententia civitatis his equitibus præfectus eſt Amerigus Donatus, Curſii filius, eques Florentinus. Miſerunt & Senenſes, & Bononienſes, & aliæ civitates, quæ erant in fœdere. Conditio ejus belli iſta fuit, ut ferè ad Tifernum, (circumque ea * loca) belligeraretur: inter Florentinos verò, & Aretinos tacito quodam conſenſu quies eſſet, nec aut hi, aut illi alterutrius agros invaderent. Ita auſpicio magis Peruſinorum contra Aretinos bellum gerebatur: auxilia tantummodo, ne deeſſent cauſæ, à Florentinis ſubmiſſa.

Suſpitione Piſtorienſes ad Caſtrutium deficerent.

Non reperiebatur in MS. Pal.

Non erant in MS. Pal.

Per idem tempus gravis ſuſpicio civitatem habuit, ne Piſtorienſes ad Caſtrutium deficerent. Philippus erat Tydicius magnâ vir potentiâ, qui Dominatum Piſtorii affectabat, eamque ob cauſam Præfectum Regis multis jam ante (injuriis *) laceſſitum, excedere urbe compulerat, (mox à civibus revocatum, * cum Piſtorium verſus iter faceret *) privatâ latronum manu ſpoliandum, vexandumque curavit, ratus per hujuſcemodi injurias Præfecto illatas, Regem quaſi inſenſum civitati in ſuſpicionem venturum, cives autem in ſe atque ſuas omninò converti. Hac igitur mente cùm ea perfeciſſet, Novellus, quem nuper ad Florentinos Rex cum manu equitum miſerat, commotus indignitate flagitii Carminianum, Piſtorienſis agri opidum, repentino impetu invaſit. Quod poſtquam Piſtorii auditum eſt, nulla fuit mora quin Caſtrutius arceſſeretur. Ille verò præſtò affuit Piſtorienſibus opem laturus, quo territi metu Florentini reddere Carminianum eos ipſos, qui invaſerant, compulerunt.

Novellus.

Carminianum opidum.

Philippus tyrãnidem invadit.

Sed haud multò poſt Philippus Caſtrutii favore fretus, tyrannidem invaſit, fœdusque cum illo apertè conjunxit: bellum tamen Florentinis nullum inferebat, ſed quaſi medius ita perſtabat, ut alterutrius videretur potentiam formidare. Cùm ergò tergiverſaretur, & ad hos modò, modò ad illos inclinaret, neutri parti fidus, ſed omnibus ſuſpectus habebatur. Tanta verò Piſtorii opportunitas erat ad bellum, ut utrique magnoperè illius commodo moveretur.

Sortitio nova Priorum & Magiſtratuũ inſtituitur.

Nardus Bordo.

** MS Pal. Bordo.*

** MS. Pal. abſentem.*

Michael Nardi frater.

Rixa inter præſides & Priorum apparitores exoritur.

Præſes Nardum & eius fratrem damnat.

Domi quoque eodem anno res innovatæ, & ſuperiore, quã primò factã diximus, antiquatâ, nova eſt ſortitio inſtituta, non Priorũ modò, ſed & minorũ Magiſtratuũ. Ex hac mutatione in Rep. qui antè plurimum potuerant, ii minùs validi remanſerunt, magnaq; ut fit, invidia ob priorẽ eos potentiã agitabat. Nardus erat Bordo * unus è principibus, qui antè Remp. gubernârant, huic cùm dies apud Magiſtratum dicta eſſet, & cauſæ pervertendi cupidiùs quærerentur, Priores, quò illum periculo eriperent, gratiâ ut fit hominis, per legationis ſpeciem dimiſerunt, quaſi Reip. cauſâ abeſſet.* Cum Præſes nihilominus damnare pergeret, nec ullam abſentis rationẽ haberet, Michael hujus frater, & cum eo apparitores Priorũ, pro tribunali adeuntes Reip. cauſâ abſentem allegabant, ex Priorumq; autoritate damnare prohibebant. Ibi, cùm verbis certaretur, rixa tandem exorta eſt inter Præſidis, Priorumq; apparitores. Fit civium concurſus, & alterutris faventium atria complentur. Pervicit tamẽ obſtinatio Præſidis, nec abſentem modò damnavit, verùm etiam fratrem, qui cum apparitoribus Priorum ad tribunal venerat, relegavit ad tempus. Quoſdam etiam è Prioribus, quod huic reo faviſſent, graviſſimâ pòſt multatione afflixit.

Philippus Piſtorienſiũ Tyrannus peperit, quod diu parturierat.

Piſtorium Caſtrutio traditur à Philippo.

Florentinorum copia omnes opprimuntur.

Altero dehinc anno Philippus Piſtorienſium Tyrannus, quod diu parturierat, aliquando tandem peperit. Cùm enim haud multo poſt priùs ad Florentinos converſus eorum auxilia in urbem recepiſſet, inito mox cum Caſtrutio fœdere, intromiſſiſque per noctem copiis, Piſtorium illi tradidit. Quo facto omnes Florentinorum copiæ, quæ auxilii causâ intra urbem fuerant, opprimuntur. Hujus verò rei nuncius ubi Florentiam perlatus eſt, Priores è publico, quod fortè eâ die agebatur, convivio aſſurgentes, profectionem ſubitaneam indixêre, nondum proditionis gnari: ſed putantes aliquam urbis partem adverſus Caſtrutium defendi. Ita Pratum uſque rapto agmine profecti, eo tandem in loco perditas res Tyranni fraude cognoverunt. Inde quoniam vanum erat conari, Florentiam revertuntur. Poſthæc majori nixu cogere exercitum, ac mittere in hoſtem placuit. Apparatus ad hoc non magnificè ſolùm, verùm etiam celeriter facti. Dux exercitui præfectus eſt Raimundus * Cardonius, qui magnos antè exercitus ſuo auſpicio in Gallia ductaverat, ubi poſt res bello egregiè geſtas, tandem adverſo prælio à Mediolanenſibus captũ redemtumq; Florentini Caſtrutiano bello delegerant Ducẽ, caſuſq; ita tulerat, ut altero poſt defunctum Piſtorii

Raimũdus Cardonius Dux.

** MS. Pal. Raimũdus ſed idem eſt.*

die, cum manu quâdam equitum Florentiam perveniſſet, præſentiâque & au-
toritate mentes hominum extuliſſet ad bellum valentiùs capeſſendum. Cum
igitur res ſubita, & improviſa feſtinato indigere videretur, Dux cum parte equi-
tatus Pratum ſe properè contulit, reliquas verò copias ad eum convenire juſſit.
Cum omnes conveniſſent, movens inde Dux, ſtructâ atque compoſitâ acie ad *Caſtrutius intra*
hoſtem pervenit. Caſtrutius fortunam pugnæ experiri non auſus, intra mœnia *mœnia ſe cōtinet.*
ſuos continebat, ſatis exiſtimans fore, ſi urbem tutaretur. Quod exploratum
cùm eſſet, ad vaſtationem converſi, omnia circa urbem hoſtilem in modum popu-
larunt, motis etiam ſæpius de induſtria caſtris, quo nulla regionis pars remaneret
incolumis.

Poſt hæc retrò profecti Titianum circumſederunt, aliquot dies circa illud *Titianum cir-*
commorati, vineas agere, machinas inſtituere, cuniculosque deducere cœperunt. *cumſederunt.*
Ea cuncta juſſu Ducis vel enixè fiebant, quo mentes hoſtium eò maximè conver-
terentur. Ipſe tamen longè alia cogitans, Præfectum arcanè inſtructum cum
parte equitatus de prima vigilia dimittit, & occupare tranſitum paludis jubet.
Eadem ipsâ nocte quo magis avertat hoſtem, aliam equitatus partem, circa Pi-
ſtorii mœnia magno cum tumultu prædatum mittit. Agrum Lucenſem à Pi-
ſtorienſi agro à ſuperiori quidem parte montes aſperrimi dirimunt Appenni-
ni dorſo connexi, aditusque fermè arcibus tenentur: altera verò ex parte pa-
lus latiſſima, & impeditiſſimo ubique gurgite, præter unum aut alterum adi-
tum, in quo ſe admodum coarctat, planitiem interſecat. Hæc rurſus arcta
caſtellis præſidiiſque hoſtes tutabantur. Ad hæc igitur loca improvisò occu-
panda miſſus Præfectus, cum Fucetium perveniſſet, pontem ligneum de indu-
ſtria paratum, ad arcta paludum nocte defert, ignaroque hoſte copias traducit: de *Præfectus copias Raimundi per*
hoc ipſo Ducem certiorem facit. *pontem ligneum traducit.*

Raimundus, ubi hæc intellexit, magnâ perfuſus lætitiâ, confeſtim ſigna mo-
vit, deſertâque protinùs oppugnatione, veſtigia Præfecti ſecutus antè, penè
quàm hoſtis ſentiret, cum omnibus copiis paludem transmiſit. Inde Cappia- *Cappianum ex-*
num proximum caſtellum expugnare adortus, octavo ferè poſt cœptam oppu- *pugnatur.*
gnationem die, in deditionem accepit. Poſt hæc Falconium exercitu ducto (id *Falconium capi-*
quoque caſtellum paludi adjacet) pari tenore capit. Cùm fama Florentinis pro- *tur.*
ſpera indies vulgaret, & hoſtis jacere premique videretur, amici ſociique o-
pitulandi ſtudio conciti, eò decurrerunt. Senenſes enim ſupra ducentos equi-
tes, quos ab initio miſerant, totidem alios equites, & ſagittarios ſexcentos op- *Senarum familiæ.*
pugnationibus utiles adjunxerunt. Miſerunt & præcipuæ Senarum familiæ, ſuo
privatim nomine, equites ducentos. A Peruſinis quoque, & Bononienſi-
bus, & Volaterranis, aliiſque ſociis auxilia eodem rumore excita ſupervene-
runt. Ex quibus omnibus permagna equitum copia in exercitu erat, peditum
verò ad viginti millia. Florentini captis proximis trans paludem arcibus, demùm *Topalſium obſi-*
ultra profecti Topalſium obſedêre. Id caſtellum, præterquam quòd foſſis, & *detur.*
turribus munitiſſimum erat, quingentorum inſuper militum præſidio tenebatur.
Stativis igitur circa illud poſitis, cum oppugnatio longiùs traheretur, exercitus *Florentinorum exercitus ægrota-*
paluſtri humore, ac inſolitâ cœli gravitate confectus, ægrotare cœpit, paſſimq; lan- *re incipit.*
guentiũ catervas erat inſpicere, moriebanturq; * frequentes: miſſionẽ verò pleriq; ** MS. Pal. mora-*
valetudinis causâ flagitabant. Ea primò res vigorem exercitus Florentini populi at- *banturq;.*
trivit. Permanſit tamen in obſidione Dux, & quavis difficultates ſuperare conſti-
tuit. Obſeſſos verò cùm munitio egregia, tum multò magis Caſtrutii ſpes, & *Obſeſſos munitio*
præſentia ſuſtentabat. Nam ille ubi à Ticiano ſubitum diſceſſum noſtrorum, trans- *& Caſtrutii præ-*
miſſasque paludes intellexit, irâ * ſimul, & dolore anxius, Lucam redire con- *ſentia ſuſtentat. Titianum.*
ſtituit. Piſtorienſibus igitur cunctis, de quorum fide ambigebat, profectione ** cura in MS.*
indictâ, nobilitatem omnem ac optimum quemque è plebe ſecum adduxit: ad *Pal.*
tuendam verò urbem alias ſuorum copias dereliquit. Ipſe tranſgreſſus mon- *Nebula fluvius.*
tium fauces per Nebulam fluvium, breviſſimo itinere hoſtes antevenit, medium-
que inter Lucam & Florentinum exercitum, dextra ex parte, collem excelſum oc-
cupavit, ex eoque ad paludem, militari opere, foſſam deducere aggreſſus eſt. A- *Caſtrutius Ami-*
micorum præterea undiquaque auxilia rogat, neque die neque noctu agere multa, *corum auxilia*
conarique deſiſtit. Interea quo hoſtes averteret, crebras incurſiones à ſuis, *rogat.*
qui Piſtorii remanſerant, in Pratenſem, Florentinumque agrum fieri providebat,

incendiiſque

incendiiſque, & rapinis cuncta miſceri. Adverſus eam manum ducentos equites Bononienſes, qui auxilii cauſâ venerant, retinere circa urbem placuit, hominesque ex agro adjungere, qui parati, intentiq; incurſionem hoſtium obſervarent. Itaque aliquoties antè feliciter auſi Caſtruriani, tandem cùm licentiùs agerent, circumvenri à Bononienſi equitatu, concurſu etiam agreſtium oppreſſi, pene ad internecionem occiduntur.

Caſtrutiani ad internecionem penè occiduntur.

Hoc detrimento accepto, rurſus Caſtrutii ſpes debilitari eſt cœpta, ſimulq; obſeſſi ubi fractas Caſtrutii vires, deletaſque copias in agro Florentino, quâ unâ ſpe maximâ tenebantur, cognoverunt, rebus jam diffiſi caſtellum dediderunt, incolumes inde abire pacti.

Florentinorum conſultatio.

Recepto Florentini caſtello munitiſſimo, præſidioque impoſito, quid jam agendum foret conſultabant. Erant quibus optimum videretur exercitum reducere, præſertim morbis gravitateque cœli laborantem, & longâ difficilique militiâ per æſtatis autumnique ferventiſſimos ardores, inſalubribus locis confectum, miſſione etiam multorum à Duce conceſsâ deminutum. Nam poſtquam diutius in his locis commoratum eſſet, multi vel tædio caſtrorum, vel metu valetudinis adverſæ, commeatum à Duce poſtulaverant. Ea planè res perfacilè conceſſa, majorem in modum attenuaverat caſtra, quæ proſpicientes quidam, graviores exercitum reducendum ſuadebant. Alii jactantiâ magis quàm ullâ probabili ratione ducti, non priùs reducendum victorem (exercitum *) prædicabant, quàm Lucæ mœnia pulſaſſent. Hæc tandem, quæ minus ſapiens, cæterùm ferocior ac jactantior erat, ad extremum vicit prævaluitque ſententia. Cùm ergo Lucam petere ſtatuiſſent, Dux poſtridie ſigna movens, ad Sextianam paludem fecit caſtra. Biduo in his locis commoratus, cùm ad ſuperiora contendere loca ſtatuiſſet, cohortem præmiſit, quæ ſepta interciſaque complanaret: huic centum non amplius equites in præſidio attribuit.

** in MS. Pal. non hab.*

Sententia minus ſapiens prævalet.

Sextiana palus.

Caſtrutius ubi adventare cohortem ſenſit, ſuperiori de loco partem equitatus in illam mittit: concurrunt equites, qui in præſidium ierant cohortis, præliumque equeſtre in ſubjecta valle conſeritur, non magnum ab initio, ſed tempore augeſcens. Quod enim propinqua erant caſtra, continuò plures ad ſtrepitum vociferationemque præliantium concurrebant. Pugna fuit egregia ſine ullo pedite, ac ſupra tres horas ſic acriter dimicatum: ut miſcerentur ſæpè acies totæ, ac invicem profligarent, profligarenturque. Tandem Caſtrutius ipſe cum reliquo omni equitatu repentè in pugnam deſcendit, qui cum de ſuperiori loco impetum procellamque dediſſet, ac longè numero præſtaret, premere jam Florentinorum equitatum cœpit. Raimundus quoque cum reliquo equitatu ad ipſa jam ſepta pervenerat, aliquantò infra eum locum, ubi pugnabatur, conjectusque in difficiles aditus, cùm haud facilè expedire agmen poſſet: ſuperati interea equites, qui adverſus Caſtrutium dimicabant, terga dederunt. Ne detrimentum in fuga acciperetur, propinquitas majoris agminis ad ſepta ipſa expectantis, effecit. Cæterum in prælio optimus quiſque aut interfectus eſt, aut graviter vulneratus; capti etiam complures. Hoſti quoque non incruenta fuit victoria, multis ſuorum amiſſis, & ipſo quoque Caſtrutio Duce, dum comminùs pugnat, vulnerato. Poſt hæc ad ſpeciem commorari, cum utrinque tubæ canerent, tandem nocte diremti in ſua quique caſtra rediêre.

Pugna Florentinorum cum Caſtrutio.

Florentini adverſus Caſtrutium dimicantes terga dant. Victoria cruenta.

Caſtrutius Dux in prælio vulneratur.

Hoc prælium Florentinos longè ſegniores, quàm antea, reddidit, ad ſtudium concertandi. Contrà verò hoſtis ſpe ſublatus, victoriam meditari, copiasq; amicorum inſtantiùs arceſſere, præſertim Mediolanenſium Principum: quorum equitatus in agro Parmenſi bellum per id tempus gerere ferebatur. Igitur favore partium, ac præmiorum pollicitatione obtinuit, ut Actius Vicecomes, juvenis & naturâ acer, & multis bellis exercitatus, cum octingentis equitibus Apenninum tranſcendat, ac Lucam, quàm ociſſimè poſſit, appropetet. Interim non inſolito aſtu providit, ut quædam circùm opida per falſas proditionis ſpes Ducem exercitumq; demorentur, arcanè colloquia apud primores ſererent: quibus factum eſt, ut Dux falsâ deluſus ſpe, malo quidem conſilio, in his copias locis contineret diutiùs. Sed cùm fama adventare Actium vulgaret, Florentini primò falſum rumorem credere ab hoſte diffuſum. Enimvero ubi exuperaſſe Apennini jugum, & jam

Actius Vicecomes.

Dux falſa deluditur ſpe.

Lucæ

Lucæ appropinquare cognoverunt, retrò moventes caſtra Topalſium rediêre. Muniendo eo caſtello cùm diem integrum abſumſiſſent, motis poſtridie ſignis Fucetium verſus remeabant. Hæc primum ſub ortum ſolis agebantur.

Topalſium.

Eo die Actius cum equitatu venturus erat in caſtra. Itaque dolens Caſtrutius Florentinorum copias ſine pugna abire, ſperatamque victoriam in ipſo articulo è manibus præterlabi, ipſe cum ſuis è colle, quem occupârat, deſcendere, ac impedire agmen, diſtinereque conſtituit. Id cùm ardentiùs faceret, magnam noſtris difficultatem injecit, & quaſi incertos conſilii reddidit: properarént-ne abire? At id, præterquam quod turpe & dedecoris plenum, inſuper quoque periculoſum videbatur. Starent ac reſiſterent? At novi equitatus formidabatur adventus, qui ſi hoſti adjungeretur, deſperationem penitùs afferebat. In his difficultatibus vicit id conſilium, quod magis decorum videbatur, converſiſque in hoſtem ſignis (quæ unica erat ſalus) profectionem intermiſerunt. Et levia quidem prælia ſtatim committi ſunt cœpta. Duces verò quaſi mox totis agminibus conflicturi, ſe ad pugnam comparabant. Caſtrutius tamen è colle non penitus deſcendebat: ſed minabundus, & quaſi mox aggreſſurus rem in longum protrahebat. Inter hæc Actius cum equitatu ſupervenit, qui cùm ſe Caſtrutio junxiſſet, nulla fuit mora quin ſigna inferrent. Florentini, etſi adventus novi equitatus turbabat animos: tamen aciem ſtruxerunt, & ad fortunam prælii ſe pro tempore comparârunt. Acies triplici ſubſidio firmata fuit. Cæterùm in congreſſu qui in fronte ſtabant fortiſſimè dimicârunt. Sed ubi pugna ad ſecundam pervenit aciem, Præfectus Raimundi, qui eidem præerat aciei, ſive ignaviâ, ſive proditione (nam utrumque de illo proditum eſt) referre illicò pedem, ac ſigna convertere cœpit. Ea res non agmen, quod ab eo ducebatur, ſolùm; ſed tertium quoque, quod in ſubſidio ſtabat, trepidare, ac de fuga magis, quàm de victoria cogitare perpulit. Ita prementibus hoſtibus tandem omnes profligantur. In hac pugna non multi cecidere, ob breve admodum certamen. In fuga verò longè majora ſunt detrimenta ſuſcepta. Nam Caſtrutius miſſo confeſtim equitatu, tranſitum paludis, qua evadendum fuerat, occupaverat; his, qui in præſidio pontis erant, ſponte ſuâ deſerentibus. Ibi oppreſſi permulti mortales, capti etiam complures: Raimundus ipſe Dux cum filio, impedimentaque omnia in poteſtatem victoris devenêre.

Caſtrutius Florentinorũ copias ſine pugna abire dolet.

Prælia levia cũ Caſtrutianis cõmittuntur.

Actius ſe Caſtrutio iungit.

Acies Florentinorum triplici ſubſidio firmatur.

Raimundi Præfectus pedem referre cœpit.

Florentinorum copiæ omnes profligantur.

Raimundus Dux cum filio in poteſtatem Caſtrutii devenit.

Victor triduo ferè in his locis commoratus, amiſſa priùs caſtella recuperavit, ſpoliis mox, captivisque Lucam miſſis, ipſe cum omnibus copiis Piſtorium rediit. Inde Florentinum agrum magno terrore ingreſſus, ſextâ poſt prælium die apud Signiam caſtra fecit. Opportunitas ejus loci, qui bello urbi inferendo aptiſſimus eſt, ſtudia civium commoverat ad Signiam muniendam. Ea de cauſa equites peditesque eò miſſi in præſidio erant: qui poſtquam adventare Caſtrutium intellexêre, præſentiâ victoris conterriti, diffiſiq; munitionibus aufugerunt. Hoſtis captâ Signiâ, ſecundis inde caſtris ad Piretolam conſtitit, duobus paſſuum millibus ab urbe. Mox ad mœnia profectus, cuncta tumultu, ac terrore complevit, refugientibus in urbem agreſtibus, & pecora ſimul parvosq; natos pavore inſolito, quaſi perditis rebus, unà trahentibus. Structâ contra portam acie, nemo cùm obviam prodiret, ad vaſtationem converſus, quidquid villarum ædificiorumque fuit ab ea parte, incendit. Ludicrum etiam curſus edidit à ſolito civitatis carcere Piretolam verſus; primum equites, inde pedites, mox ſcorta decurrerunt. Horum ſingulis certaminibus ſingula pallia ſericea victori propoſuit. Triduo apud Piretolam hoſtis habuit caſtra. Inde in viam Pratenſem deflectens, regionem amœniſſimam inſigni villarum celebritate à mœnibus penè urbis ad Marinam fluvium uno tenore vaſtavit. Trans Arnum poſthæc miſſis copiis per proximum Signiæ pontem à ſiniſtra fluvii ripauſque ad urbem ac lævos montes omnia Populatus eſt. Ea cùm perfeciſſet, onuſtum prædâ militem, inæſtimabilique rapinâ locupletatum, Lucam reduxit, ut promiſſam Actio pecuniam ſolveret. Fuit autem ſumma auri XXV. millium, quæ cùm ex fide perſoluta eſſet, Actius militibus ſuis in unum vocatis, Exegimus, inquit, commilitones rem præclaram: Amico enim noſtrarumque partium homini ſuis in periculis opem ſtrenuam ferentes, unaque cum illo adverſus hoſtem dimicantes, facilem ac locupletem victoriam nacti,

Signia.

Signia capitur.

Piretola.

Tria ludicra eduntur.

Marina fluvius.

Caſtrutius inæſtimabili rapina locupletatur.

Actii oratio ad ſuos milites.

nacti, gloriam belli cum opulentia prædæ conjunximus. Nunc autem tempus eſt per eandem, quâ venimus viam in Galliam remeandi. Quod ita læto faciemus animo: ſi non jam Caſtrutio, ſed mihi Duci veſtro conceſſeritis, ut noſtro ipſi nomine unam modò diem Florentina mœnia pulſemus. Civitas enim eſt non diverſarum modò partium: ſed noſtro quidem generi, atque familiæ peculiariter inimica. Quoties illa adverſariis noſtris ſubmiſit auxilia? quoties inimicos fovit? ut etiam hujus vexilla ex Mediolanenſi arce ſpectare cogeremur. Quare agite nunc! parenti generique, & mihi veſtram operam navate. Cernat Florentinus è muro Actium Vicecomitem injurias parentis ſuasque ulciſcentem, ac diſcat parciùs nocere generi noſtro) * Ad hæc lætum clamorem cum tota ſimul agmina extuliſſent, collaudatâ eorum fide, poſtridie in armis eſſe jubet, ac primâ luce movens Signiam rediit: Secuti ſunt etiam Caſtrutiani milites, tùm ob gratiam juvenis, tùm ob prædarum cupiditatem. Apud Signiam nocte unâ commoratus, poſterâ die ſtructâ inſigniter acie ad urbem venit. Ibi eum ſe, vexillaque è proximo oſtentaſſet, nemine obviam prodeunte, in ipſo fluminis alveo per multas commoratus horas, & ludicris quibusdam militari more factis, inclinante jam ſole Signiam rediit. Mox inde profectus Lucam primò, pòſt in Galliam tranſiit.

** in MS. Pal. non eſt.*
Actius ad urbem venit.
Actius in Galliã tranſit.

Caſtrutius omnes copias circa Pratum deducit.
Caſtrutius omnia ferro igneque populat.
Morbi contagio cives apprehendit.
Caritas annonæ.
Campaldinum.

Poſt Actii diſceſſum Caſtrutius jam ipſe per ſe copias omnes circa Pratum deduxit. Cum fruſtra ejus opidi oppugnationem tentaſſet, ad vaſtationem converſus, omnia ferro igneque populavit. Novem fermè diebus circa Pratum conſumtis, Signiam cum exercitu regreſſus, ultra citraque Arnum infeſto agmine rurſus portas adusque diſcurrit, ac ſi quid incolume fuerat à priori vaſtitate, incendit. In tanta civitatis clade, illud etiam turbabat, quòd multitudo agreſtium cum pecoribus, & ſemirapta ſupellectile, in urbem refuga, per vias paſſim complebat omnia. Hanc ſive ob inſolentiam urbis, ſive ob anxietatem incommoditatemque rerum ſuarum morbus invaſerat. Malique hujus contagio cives etiam apprehenderat, & moriebantur multi, & plena ægrotantium cuncta cernebantur. Caritas quoque annonæ conſecuta eſt, raptis aut incenſis frumentis, ac ſpe in futurum deterrimâ. Augebat inſuper civitatis metum, quòd vulgo ferebant Guidonem Aretinorum Præſulem magno cum exercitu è ſuperiori parte ad urgendam obſidionem eſſe venturum. Rogatumque à Caſtrutio multis nunciis conſtabat, vererem Aretinorum cladem apud Campaldinum acceptam memorante, ac tempus ad delendam inimicorum potentiam oſtendente, fore quidem, ſi ille ſuperiori de loco adventaret, ut Florentia undique obſideretur. Multitudinem verò populi abſque importato victitare non poſſe.

Viri creantur, ad mœnia urbis inſpicienda.
Nerius Angeli filius Albertus.
Ianus Landi filius Albitius.
In arce Feſulana præſidium communitur.
Alterum præſidium ad Miniatis ædem.
Marina fluvius.
Conblate opidũ.
** in MS. Pal non extat.*

Ob hunc obſidionis metum viri creati ſunt duo, ad mœnia urbis cæteraque munimenta inſpicienda, inſtaurandaque: Nerius Angeli filius Albertus, & Janus Landi filius Albitius. Ab his vallum aliquot locis factum. In arce etiam Feſulana, ne eam occuparet hoſtis, præſidium communitum eſt: alterum quoque præſidium in colle urbi imminente ad Miniatis ædem. Cæterùm neque preces neque monita Caſtrutii Guidonem Præſulem movere potuerunt, ſive quod ejus odium in Florentinos minimè acerbum erat, ſive quod Caſtrutii gloriæ invidebat, ſive quod ejus magnitudinem formidabat. Caſtrutius certè ſemper præ ſe tulit, prædicavitque per Præſulem ſtetiſſe, quo minùs Florentia malo domita caperetur. Tunc autem per ſe bellum gerens omnia vaſtationibus, incendiisque fœdavit. Poſt hoc per Marinam fluvium tranſire in agrum Mugellanum conatus, cùm ab accolis, concurſu ad Conblate vetuſtũ opidum facto, (tranſitu *) arceretur, circa fluvium diffuſus, hominum pecorumq; magnâ coactâ prædâ, nocte unâ in his locis commoratus eſt. Id Florentiæ nunciatum cùm eſſet, miſſi equites ducenti & peditum duo millia, fauces ipſas fluvii, quâ redeundum erat, præoccupare conſtituerunt. Quod ſi feciſſent, videbatur hoſtis evadere non poſſe. Sed Caſtrutius parvo anteveniens ſpatio, cum omni præda, ac longo captivorum agmine prætergreſſus eſt. His peractis, cùm quantum nullus antea, regionem afflixiſſet, relicto apud Signiam ſatis grandi præſidio, Lucam rediit. Ibi ſuorum operum oſtentator ſpeciem quandam triumphi egit: apud Signiam quoque monumentum victoriæ numum percuſſit.

Caſtrutius ſpeciem quandam Triumphi agit.
Numum Victoria monumentũ apud Signiam percutit.
Guido Præſul Aretinorum Laterinum obſidet.

Dum hæc à Florentinis Caſtrutioq; geruntur, Guido Aretinorum Præſul magnis equitum peditumque copiis Laterinum obſedit. Cauſa verò obſidendi iſta fuit. Pontifex Romanus commotus ob Tiferni occupationem à Præſule Aretinisque nuper

nuper factã, cum fruſtra adverſus eos minas cenſuraſq; exercuiſſet, tandem Corto- *Pontifex Romanus Cortonam à*
nam antiquum opidum à Præſulatu Aretinorum abſcidit, ac proprium illi Epiſco- *Præſulatu Aretinorum abſcindit.*
pum dedit Raineriũ Beordi filium è familia nobili. Is ergò cùm in deminutionẽ ci- *Raineriũ Beordi*
vitatis procutaſſe abſciſſionem ejus opidi videretur, tanta repentè in dignatio apud *filium Epiſcopus*
Aretinos coorta eſt, ut domos Ubertinæ gentis, ex qua is erat, everterent, & caſtella, *datur Cortonæ.*
quæ ab illis tenebantur infeſto milite pervaderent. Cùm itaq; Latetinates, propter *Ubertinæ gentis*
viciniratem gentis, ad favorem ejus inclinare viderentur, & aliæ quoque indigna- *domus evertuntur.*
tionis cauſæ ſubeſſent: ad illud obſidendum cum multitudine Aretinorum profe- *Cortona capitur & ad ſolum evertitur.*
ctus Præſul, tandem opidum cepit, & ad ſolum evertit.

Poſthæc Sabinum exercitus à Præſule traductus: In id opidum nulla jam Cor- *Sabinum expu-*
tonæ injuria, ſed partium ducebat ſtudium. Admotis itaque copiis cùm Sabinum *gnatur.*
quoque obſediſſet, ac tandem expugnaſſet, pari tenore ad ſolum evertit.

Eodem anno per extremum ferè autumni tempus Caſtrutius per proximos a- *Caſtrutius de pa-*
gnatoſq; captivorum de pace cum Florentinis agere cœpit. Ejus rei causâ cùm pa- *ce cum Florentinis agere incipit.*
rentes propinquiq; multa per gratiam conarentur, ac per ſe quiſq; operam navaret,
in ſuſpicionem venere, ne per ſpeciem pacis colloquia proditionis quærerentur. I-
taque ſuppreſſa ejus rei mentio eſt, ſalubrique civitatis decreto proviſum, ne cui
proximo agnatóve captivi alicujus arcis, aut opidi cuſtodiam liceret committi. Ne
autem aperto bello vagari licentiùs quiret hoſtis, unum apud Conblate, alterum a- *Præſidium novum apud Conblate:*
pud Bonum montem præſidia communiverunt, ac ſtationibus militum firmârunt, *alterum apud Bonum montem cõmunitur.*
quo nec per Mugellanum agrum, quod jam ptius tentaverat: nec per Gravem flu-
viũ pervadere poſſet. Vectigalibus quoq; adauctis novos pecuniarum reditus, no- *Graves fluvius,*
vumq; delectum habere conſtituerunt. Præterea in his difficultatibus, ne inferiores
beneficentiâ viderentur, Bononienſibus gravi tunc bello laborantibus, ducentorũ
equitum miſêre ſubſidium. Ita jam demto metu, majori cum animo res à civitate
gerebantur.

Inter hæc hoſtis reductis copiis Murlum opidum non longè à Prato obſidere *Murlum obſidetur.*
conſtituit. Ejus rei gratiâ cum exercitum admoviſſet, machinis, & cuniculis, ac o-
mni expugnandarum artium apparatu pervincere adortus eſt. Erant in præſidio
milites centum quinquaginta, duoque cum his Præfecti è nobilitate Florentina, *Iohannes Adimar,*
Johannes Adimar, & Rainerius Pactius. In his tanta providentia ac magnitudo
animi fuit, ut hoſtiũ conatus longo tempore fruſtrarentur. Caſtrutius ergò ſæpè in- *Rainerius Pactius, Nobiles Florentini.*
caſſum expugnationem adortus, cùm immorandum eſſe videret, quædam circum
opidum præſidia communivit: cuniculos verò in ipſam arcem agere perrexit. Cre-
brò inſuper adortus per diem plurimùm, nonnunquã etiã noctu, nec ſpatiũ ſomni,
nec ullam requietem obſeſſis dabat. Quare tandem laſſitudini militum timentes
Præfecti, quod magni murorũ ambitus aſſiduâ incubatione tuendi erant, re Floren-
tiã nunciatã ſubvenire poſtularunt. Id cùm negligenter fieret, hoſtis interea de præ-
ſidio in præſidium foſſam, vallumq; circũduxit, ac omnẽ ferendæ opis ſpem obſeſ-
ſis præcidit. Durante apud Murlum obſidione, Caſtrutiani milites, qui apud Signiã *Apud Murlum obſidio durat.*
erant, Florentinum agrum aſſiduis incurſionibus infeſtabant: Demũ Piſanâ viâ diſ-
currẽtes, cùm ad ipſas penè urbis portas magno tumultu deveniſſent, irritati ma-
jorẽ in modum cives, in eoſq; egreſſi quatuor paſſuũ millibus ita præcipites egerũt,
ut effusâ ſemper fugâ uterentur, nec ullâ arte, præterquã celeritate pedũ, evaderent.
Ex hoc hoſtes appropinquare urbi formidãrunt: ſed remotiora vexantes loca omni- *Caſtrutii Copiæ*
fariam belli clades inferebant. Obſeſſi verò apud Murlum in dies magis premeban- *Urbi appropinquare formidant.*
tur, ac jam partem murorum cuniculi quaſſarunt. Quæ cùm in præſentia forêt gra- *Carolus Roberti*
via, & in futurũ graviora timerentur, ad extremum jam auxilium reſpiciens civitas, *Regis filius in*
Carolum Roberti Regis filium in Hetruriãe vocare, ac ei civitatis Imperiũ tradere *Hetruriam evocatur.*
cõſtituit. Hujuſce rei gratiâ Legati quinq; creati, Franciſcus Scala, Alexius Renuinus *Legati,*
Donati duo, alter Acciaiuolus, alter Pirucius, Philippus Bartholi filius. Hi decretum *Franciſcus Scala,*
populi ferentes, cùm ad Carolum veniſſent, Alexius (is enim ſcientiâ juris clarus eâ *Alexius Renuinus.*
tempeſtate habebatur) Quod fauſtum, inquit, felixq; ſit tibi, Carole, parentiq; tuo, *Acciaiuolus.*
nobiſq; omnibus, Florentinus populus te in decennium his conditionibus dominũ *&*
gubernatoremq; civitatis deputat. Conditiones inde ex pagella recitatæ ſunt, non *Pirucius Donati,*
diſſimiles his quæ fuerant dudum in traditione Regi deſcriptæ, niſi quòd hîc cer- *Philippus Bartholi filius*
tus pecuniarũ militũq; modus erat præſcriptus: Ibi verò cuncta Regis arbitrio per- *Oratio ad Carolũ.*
miſſa. Juvenis igitur ex ſententia patris civitate ſuſceptâ, ſeſe copiaſq; parabat, proxi- *Carolus civitatem ſuſcipit.*

Digitized by Google

Caſtrutius Murlum ſumma vi oppugnat.

Murlum Caſtrutio deditur.

mâ æſtate in Hetturiam tranſiturus. Caſtrutius verò, dum hæc agebantur, Murlum ſummâ vi oppugnabat. Jamque murorum partem cuniculi everterant: reliquas verò machinæ quaſsârant, Defeſſis militibus ac vulneratis, nulla cùm ratio dutandi ſupereſſet, opidum Caſtrutio deditur, iis qui intus erant, incolumibus abire pactis. Murlo recepto hoſtis mœnia refecit, ac præſidio militum communivit.

Petrus Gallus Florentinorum præfectus. Petrus necem Caſtrutii, & Signiæ receptionem agitat. Suſpicio & Timor Caſtrutii exercitum invadit. Caſianum.

Per hæc ipſa tempora Petrus quidam Gallus, copiis Florentinorum Præfectus cum ſuæ gentis hominibus, qui apud hoſtem militabant, clam tractatu habito necē Caſtrutii, ac Signiæ receptionem multis ac magnis pollicitationibus agitabat. Ea res demum patefacta ſortiri effectum nequivit. Cæterùm captis pleriſq; autoribus, ſuppliciòq; affectis ita turbavit Caſtrutii exercitum, ut cuncta ſuſpicionibus implerentur, Et auxit mox eum timorem, quòd Petrus cum ſubitaneis equitibus, ſolito audaciùs, ad Signiæ portas acceſſit. Itaq; ipſe duobus peditum millibus, equitibus verò ſeptingentis Piſtorio movens, Signiam petiit. Ibi amotis è præſidio iis, de quorum fide dubitabatur, cùm his copiis Florentinum agrum ingreſſus, viâ Senenſi Caſianum uſque pervenit, & quo dolorem augeret, incendia latè exercuit.

Piretola. Caſtrutius Signiam deſerit, & incendit.

Jam fama vulgarat Caroli Regis filii apparatum, nec ambiguum erat illius adventū proximâ æſtate eſſe futurum: quam rem ſecum agitans Caſtrutius Signiam deſerere ſtatuit. Antè tamen quàm id faceret, quo metus ſuſpicio abeſſet ſtructo agmine ad Piretolam venit. Ibi aliquantò commoratus, nemine prodeunte obviam, reductis Signiā copiis poſtera die opidum incendit, copiasq; à Signia Carminianum traduxit: Ea poſthac ſedes fuit belli. Inde Pratenſem Florentinumq; pervadens agrum, cuncta belli cladibus red debat infeſta.

Caſtrutius Petri Florentinorum præfecti tentatam proditionem ulciſci cupit.

** MS. Pal. acceſſit.*

** In MS. pal. omiſſa erant, ſed addenda.*

Petrus Gallus capitur & ſecuri percutitur.

Principio inſequentis anni Caſtrutius, quo Petrum Florentinorum Præfectū pro tentata nuper in ſe proditione ulciſceretur, hęc machinatur. Ratus enim, ut nuper Signiam, ſic etiam alia opida fraude tentaturum, homines ſubornat, qui clā cum Gallo ſerant colloquia, & re arcanè compoſitâ tradere Carminianum paciſcantur. Gallus ad hæc naturâ pronus, cum deſertam ab hoſte Signiam ob ſui unius putaret factum, cupidè magis, quàm cautè, in re periculoſa inceſſit. * Pactus enim proditionem ſine ullo conſilio, ipſe unus conſcius, cum aliquā (delectorum manu *) ad recipiendum opidum profectus, in inſidias ad hoc ipſum inſtitutas præcipitatur. Ibi repentè circumdatus ab hoſte, ac tandem, cùm reſiſteret, profligatus cum multis ſuorum capitur, quem mox Caſtrutius ad ſe ductum ſecuri percuti juſſit. Eam ob rē accelerata Caroli evocatio eſt, atq; iteratò Imperium illi decretum. Conditiones inſuper quædam largiores additæ: Ducenta auri millia in annos ſingulos durante eo bello Florentinus populus exhibebit, ſtipendia inſuper equiti conducto, & pediti: Horum numerus erat ad ſex millia militum. Oratores cum his conditionibus ad accelerandum illius adventum miſſi, Alamanus Acciaiuolus, Spinellus Primerani, Petrus Nardi.

Alamanus Acciaiuolus. Spinellus Primerani. Petrus Nardi. Signia repoſitur. Tributorum inexhauſta penſio.

** In MS. Pal. non erat.*

Eodem anno Signia repoſita eſt, quam ſuperiori anno Caſtrutius everterat. Et quo habitatoribus cōpleretur, data cunctis immunitas eſt, qui in eā coloniā migrarent. Inexhauſta quidem erat per id tempus tributorum penſio: ob ea fugienda (onera *) compluſculi id ſe in opidum contulerunt.

Pontifex Legatum in Hetruriam mittit Iohannem Urſinū Rom. eccleſiæ Cardinalem.

** MS palat. non habebant.*

Carolus Florentiam venit.

Principes diverſæ factionis ſibi proſpiciunt.

** MS. Pal Galeagio.*

Galeatius Vicecomes Mediolanenſium Tyrannus.

** MS. Pal. movendo.*

Per idem tempus Pontifex (Legatum *) in Hetruriam miſit Johannem Urſinum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. Is ergo Piſas mari advectus: Inde Florentiam petens, Caroli adventum, qui eodem ferè tempore ingreſſus in Hetturiam ferebatur, expectavit. Carolo autem compluſculos dies Senis mora fuit ad componendas familiarum diſcordias, civitatem q; in ſuum arbitrium redigendam. Quod cùm tandē ex ſententia perfeciſſet, menſe ferè poſt Legati ingreſſum Florentiam venit. Satis conſtat, neminem unquam ante (quod quidem memoriâ extaret) tanto procerum comitatu, tamâq; inſigni pompâ in Hetruriam veniſſe. Cæterùm in bello gerendo, nequaquam ferventi animo deprǽhenſus eſt, ſeu id tarditate mollitieq; naturæ, ſeu à patre monitus, nequaquam ita ſe ſtrenuum præbere viſus eſt, ut magnitudo nominis, copiarumq; poſcebat. Tantis igitur viribus apud Florentiā creſcentibus, cùm Regis ſimul, Pontificisq; robur, ſupra quàm ferri poſſet, inſurgere videretur, conterriti diverſæ factionis principes ſibi proſpicere perrexerunt, ſolicitati maximè à Galeazio * Vicecomite Mediolanenſium tyranno, qui jā pridē à Pontifice, Regeq; laceſſitus bello, Caſtrutianū in Hetruria tumultum concitarat, & creſcere adverſariorum potentiam haud quieto ſpectabat animo, Is igitur ſolicitando, atque

monendo

monendo * tandem autor fuit, ut principes diverſæ partium factionis, contrario inſurgentes nixu, Ludouicum Bavariæ Ducem, ad Imperatoriam dignitatem electum, in Italiam evocarent. Erat jam pridem Ludouicus Pontifici Romano infenſus, quòd ille nuper ob favorem Genuenſi Gallicoq; bello inimicis præſtitum, Pontifex indignum pronunciârat Imperio, & cenſuras in illum ſeveriſſimè exercuerat. Igitur ubi de mente Italicorum certior factus eſt, ſuperatis confeſtim Alpibus Tridentum pervenit, ut præſens de re propoſita cum proceribus loqueretur, modumq; ſui tranſitus tempuſq; componeret. Tridenti igitur indicto conventu Mediolanenſium, Mantuanorum, Veronenſiumq; tyranni: alii quoq; ex Gallia & Hetruria principes ejus factionis ad eum convenerunt, magniſq; demum pollicitationibus effecerunt, ut omiſſo in Germaniam reditu, copiis verò evocatis Italiam, Romamq; pervadat. Ea res famâ rumoreq; populorum diffuſa, mentes omnium erexit, ac futurâ, ut fit, expectatione ſuſpendit.

Ludovicus Bavariæ Dux Imperator electus, in Italiam evocatur. Ludouicus Tridentum pervenit.

Conventus Tridenti Mediolanenſium, Mantuanorum & Veronenſium Tyrannorum.

Igitur in ſequentis anni principio Ludouicus contractis ad aliquem modum copiis, Tridento movens, per dexteros mõtes Brixiã primò, inde Mediolanũ pervenit. Ibi, ut mos eſt, magno cõcurſu hominũ per manus Guidonis Aretinorũ Præſulis coronatur. Hũc enim Põtifex Romanus ob Tiferni, de quâ ſupra diximus, invaſione primò cenſuris vexatũ, quoniã & cenſuras & Pontificẽ cõtẽnebat, tandẽ omni dignitate privârat, in ejuſq; locũ Boſium quendã Ubertini generis Præſulatus titulo ſubſtituerat: quâ indignatione, ac ſimul ſtudio partiũ inceſſus cùm Aretinis dominaretur, magno equitatu ad Ludovicũ acceſſerat. Nec erat ferè per id tempus major incendii fax. Hujus igitur manibus tunc apud Mediolanũ Ludouicus coronatus eſt,

Ludovicus per Manus Guidonis Aretinorum Præſulis, coronatur apud Mediolanũ.

Boſius Ubertini generis præſulatus titulo ſubſtituitur.

Poſt coronationem verò mora longior fuit pecuniis comparandis, quarũ non avidiſſimus tãtùm ſed etiam indigentiſſimus erat. Atq; eo in genere hic primùm illius improbitas patefacta eſt. Cùm enim operâ maximè Galeazii Vicecomitis in Italiam arceſſitus eſſet, ac, ſummo cũ honore Mediolani receptus, uſq; adeò perverſè ingratus fuit, ut pecuniarũ cupiditate, Dominatu eũ ſpoliaret, & in carcerẽ truderet. Actiũ verò hujus filiũ, quẽ Caſtrutiano prælio interfuiſſe diximus, ac Luchinũ * fratrẽ unà captos ad redemtionẽ ſui magnâ pecuniâ compelleret. Impoſito deinde Mediolanẽſibus novo Præſide, ac XXIIII. civibus in conſilio adjunctis, cùm ſpeciem quandam libertatis ſuboſtentaſſet, quaſi collati beneficii precium, ingentem pecuniarum vim ab illis extorſit.

Ludovicus avidiſſimus & indigentiſſimus pecuniarum.

Galeazius Vicecomes in carcerem truditur.

Actius & Luchinus fratres unà capti, ad redemtionem ſui compelluntur.

* Lucinium. M.P.

Mediolanenſibus novus Præſes à Ludovico imponitur.

Dum hæc in Gallia geruntur, Carolus & Florentini adverſus Caſtrutiũ paratas copias, circa maturationẽ ſegetũ, in hoſtes miſêre. Nõ enim profectus eſt in exercitu Carolus: ſed Florentiæ remanens Novellum quendã è ſuis Proceribus exercitui præfecit. Is igitur cũ exercitu profectus, prima nõ longè à Signia fecit caſtra, triduoque in his locis commoratus eſt, nemine penitùs gnaro, quas hoſtiũ partes foret invaſurus. Demũ noctis ſilentio movens, tabernaculis etiã quò minus ſentiret hoſtis, ad ſpeciẽ relictis, per ſiniſtrã Arni ripã Fuceciũ pervenit. Inde ſubitaneo põte tranſmiſſis paludibus ad opidũ ejus regionis munitiſſimũ (Montẽ incolæ vocant) copiis omnibus cõſedit. Expugnationẽ ejus aggreſſus cùm certatim equites pediteſq; niterentur, ac ſine ulla ſui cura per foſſas ac prærupta evadentes loca, ſcalas mœnibus admoverẽt, multitudoq; ſagittarũ, tanquàm nimbus quidã, hoſtes vulneraret, tandem nudata defenſoribus mœnia capit. Opidani ex primis mœnibus in ſecunda refugerunt. Nã triplici muro opidũ circundabatur. Verùm ſecunda quoq; eâdẽ virtute expugnata, capiuntur. Reſtabat arx. Ea minimè tunc tẽtanda eſt viſa: ſed ad prædam opidanorũ verſi milites, cùm rixæ, contentioneſq; inter domeſticos conductoſq; orirẽtur, qui minus poterãt, ignẽ injecerũt. Id pluribus locis factũ omnia cõprahẽdit, ut nemo ferè cujuſquã ætatis, aut ſexus eo ex opido ſuperforet. Nã & latẽtes flãma, ruinaq; domorũ: & deprahẽſos gladius, iraq; abſũſit. Qui in arce erãt dierũ octo inducias pacti, ni intra eos dies opẽ attuliſſet Caſtrutius, arcẽ dedere promiſerunt. Ea de cauſa Caſtrutius ad ea loca profectus, cùm procul à Florentinis editiori loco conſtitiſſet, atq; impar eſſet numero copiarũ, ferre auxiliũ ſuis nequaquam eſt auſus. Ita arx tandem ab his, qui intus erant, pactione deditur. Florentini potiti integrè opido, mœnibus propugnaculiſq; reparatis, præſidiũ in eo poſuerunt. Inde ad hoſtẽ profecti, nec lõgè ab eo caſtra metati, pugnæ ſe obtulerunt: quã cum detrectaret Caſtrutius, ac intra munitiones (ſuos contineret, *) triduo cõmorati, retrò moverunt caſtra, tranſmiſſiſque paludibus, & agrum Piſtorienſem ingreſſi, Arteminũ

Carolus & Florentini paratas copias adverſus Caſtrutium mittunt.

Carolus Novellum quendam exercitus præficit.

Mons opidum.

Sagittarum multitudo tanquam nimbus hoſtes vulnerat.

Rixa inter milites.

Arx Montis opidi Florentinis pactione deditur.

* Copias detineret. MS. Palatin.

Arteminum obſidetur.

obſederunt. Id quoq; Caſtellum per ea tempora munitiſſimum erat. Aliquot dies circa illud commorati, tandẽ incredibili virtute expugnare adorti ſunt. Cùm egregiè reſiſteretur, ingenti materiæ vi circa muros congeſtâ, incenſâq; vallũ ſimul, portaq; crematur: neq; die, neque noctu oppugnatione intermiſsâ, qui intus erant deſperatis ad extremum rebus, incolumes abire pacti, caſtellum dedidêre.

Carminianum.

Cupientes poſthæc eodem vincendi ardore Carminianum adoriri, Carolus Florentiam revocavit, certior factus de Ludovici adventu. Ille enim poſt Mediolanenſium principes deceptos, pecuniaſq; exactas, cum cæterorum principum Tyrannorumque animos ab ſe ob id alienatos ſentiret, conventum iteratò indixit Urceis in opido Brixienſis agri. Ibi vel purgato, vel attenuato crimine, erectis iterũ animis Hetturiam petit, ſuperatoque Apennini jugo cùm omnibus copiis per agrum Lunenſem Piſas verſus adventabat. Ob eam rem exercitus à Carolo tunc Florentiam revocatus eſt.

Ludovicus Pr-tius conventum indicit. Ludovicus Piſas verſus adventat.

Caſtrutius Ludovicum honore ſummo excepit.

Caſtrutius ubi appropinquare Ludovicum intellexit, obviam cum equitatu profectus, ſummo honore illum excepit, doniſq; & muneribus magnificè fovit. At Piſani, etſi primo Illius adventu in Gallia lætati fuerant, legatoſq; ſuos in primo illo conventu ad eum miſerant: tamen poſtea vel hominis improbitatem, avaritiamq; formidantes, vel contentionem Romanæ ſedis, contra quàm hic apertè nitebatur, perhorrentes, excludere portis omninò ſtatuerunt. Itaq; dudum coronatione ejus nunciatâ, focos & cætera lætitiæ exultationiſq; indicia fieri Piſis vetuerant, & tunc illo appropinquante, urbem communiverant, Germanoſq; equites mercede apud ſe militantes, ob generis ſuſpicionem, ablatis equis pepulerant urbe. Deniq; ſi vi conaretur, vocare auxilia Caroli Florentinorumq; cogitabant. At Ludovicus, ſi ab ea civitate vel unica (per Hetruriam*) Imperatorii nominis fautrice reprobaretur, graviſſimum ſibi ad cætera conficienda ratus, curam maximè verterat in Piſanos, nec quicquam intentatum relinquere conſtituerat: quo ſuæ illos adjiceret poteſtati. Miſit igitur oratores, qui Piſanum alloquerentur populũ, benigniſq; pollicitationibus conciliarent animos. Sed ii, qui Remp. tenebant, ſapientiſſimi & graviſſimi viri, mobilitatem plebis veriti, eos in urbem recuſarunt admittere. Reſtabat igitur vi conari. Sed inerat periculum, ne ad Carolum Florentinoſq; confugientes, auxilia inde quærerent, apertèq; deſciſcerent. Horum igitur mediam quandam placuit viam tentare per Guidonem Aretinorum Præſulem, cui publica cum Piſanis erat amicitia, an à propoſito divelli poſſent. Præſul igitur legatis Piſanorum, principibus civitatis ad ſe fide publicâ vocatis, apud Liberam factam opidum, colloquium inſtituit. Deniq; poſt multa ultrocitroq; agitata, res huc redibat: Piſani ſexaginta auri millia novo Principi dare promittebant, ut inde abiret, nec eos bello adoriretur: in urbem verò uti reciperent nullâ ſuaſione poterant adduci. Eâ conditione per Ludovicum repudiatâ cum Legati re infectâ Piſas reverterentur, Caſtrutius trajecto confeſtim Auſeri fluvio (nam caſtra Ludovici cis amnem erant) Legatos contra fidem cis datam intercipit: Et Ludovicus ſimul atque captos Piſanorum Legatos cognovit, ſubitaneo impetu trajecto amne Piſis copias admovit.

Piſani Ludovicum portis excludere ſtatuũt.

** In MS Pal. non erat*

Ludovicus Piſanos ſuæ poteſtati adjicere conatur.

Piſani Ludovici oratores in urbem admittere recuſant.

Guido Legatis Piſanorum colloquium inſtituit.

Piſanorum Legati conditiones Ludovici repudiant. [illegible] fluvium. Caſtrutius Legatos intercepit.

Legatorum captivitas contentiones parit.

Cæterùm ea captivitas Legatorum magnas in exercitu contentiones peperit. Guido enim Præſul ad dedecus ſui nominis pertinere arbitratus Legatorũ oppreſſionem, quos ipſe datâ fide in colloquiũ juſſu Principis evocaſſet, injuriam ſibi à Caſtrutio inflictam vociferabatur. Non enim tam Piſanos, quàm ſuam fidem eſſe violatam. Peracta deniq; inter eos contentio eſt, cognoſcente Ludovico. Præſul legatos Piſanorum liberandos, remittendoſq; in urbem clamitabat, aperteq; præ ſe ferebat hanc Injuriam non eſſe laturum. Caſtrutius minimè ſe mirari ajebat, ſi ille hoſtes vinci doleret. Ex matre ſiquidem Florentina genitum, neutra ex parte integrum eſſe, itaq; hos ſectari, illis favere. Ut enim generis diverſitatem: ſic animi inconſtantiam miſcuiſſe. Neq; verò hæc ejus vacillatio, inquit, nova eſt, nec primum nunc deprævhenſa. Nam quòd Florentia ſtat, ac non malo domita jam pridem concidit, hic unus eſt cauſa. Urbem enim adverſo prælio fractam, cùm ipſe ad portas urgerem; multitudo autem incluſa, nec frumentum haberet, nec famem diutius tolerare poſſet, & obſideri, & capi nullo negotio potuiſſe, ſi hic (à me quæſitus, rogatuſque ad urgendam obſidionem è ſuperiori parte *) venire voluiſſet. Eam tunc rem ab hoc deſertore, proditoreq; ſuarum partium recuſatam, has nunc moleſtias novo Principi afferre. Atq; ut Florentiam tunc eſſe ſalvam voluit, ita nunc Piſanos in poteſta-

** Hoc non habebant MS. Pal.*

tem

rem venire permoleſtè fert, tu inquit, Princeps non quid Guido Præſul velit, ſed quid tibi conducat ſpectare debes. At hæc Præſul: Se quidem ſui generis nequaquã pœnitere. Nec ſanè ignotum eſſe poſſe Caſtrutio, cùm ille nuper apud Aretinos egenus, & miſer ſuſtentamenta vitæ ab eodem genere reportarit. Ad obſidẽdam verò Florentiam ea de cauſa non veniſſe, quia tunc ſibi pax fuerit cum Florentinis, quam ſalvâ fide frangere non licebat. Se ita ſemper animatum fuiſſe, *ut juris jurandi religionem fidemq., etiam hoſti datam putaverit conſervandam.* Neq; enim, inquit, ſi tu Caſtruti ut proditor, & improbus pacem Florentinis fregiſti, ego quoq; frangere debui. Nam Piſanorum quidẽ facto nil magis obſtitit, obſtatq;, quàm tui unius præſentia. Jam enim certè ſcio Principi huic portæ illæ paterent, niſi te omnium fraudium, proditionumq; autorem Piſani vererentur. Hæc & hujuſmodi altercantes Ludovicus ſeparavit, & ad Caſtrutii favorem apertè inclinare viſus eſt. Aggreſſus igitur obſidionem Piſarum, urbem undiquaq; cinxit, ac, menſe ferè toto circa illam commoratus pactione tandem recipit.

Ludovicus Piſas obſidet, cingit & tandem pactione recipit

Per hæc ipſa tempora Guido Aretinorum Præſul, ob ſuperiorẽ indignationẽ, à Ludovico diſceſſit, quaſi negotiis in Aretinos vocantibus, cùm per maritimã iter faceret, apud Nigrũ montem correptus morbo interiit, vir magnus quidẽ, atq; glorioſus, niſi (quòd *) adverſus Pontificẽ rebellis: quẽ tamen errorẽ ante obitũ recognoviſſe: ac ſi vita ſuppeteret, pro eodem Pontifice adverſus hoſtes militaturum ſe promiſiſſe, quidam literis tradidêre.

Guido à Ludovico diſcedit.

Guido morbo interiit.

* MS. Palatin.

Poſt hujus mortem Petrus cognomento Sacon, hujus Guidonis frater tyrannidem Aretinorum excepit. Ludovicus receptis Piſis duobus ferè menſibus ibi commoratus eſt, pecuniis exigendis ac cæteris parandis, quæ ad iter pertinebant. Conſtituerat enim non Romam ſolùm petere: verùm etiam Roberti Regnum invadere. Sed dum Piſis moram trahit, à Caſtrutio rogatus Lucam primò, mox inde Piſtorium acceſſit, ut Florentiam ex propinquo videret. Reverſus Piſas, cùm omnia tandẽ parata forent, iter per maritimam regionem Romam verſus ingreditur, habens equitum, peditumq; pergrandem exercitum. Caſtrutius, cùm ſibi quoq; eundũ foret, præſidio mille equitũ Lucæ relicto, ipſe cũ quingentis equitibus, ac mille ſagittariis poſt Ludovicum ſecutus Viterbii ſe cum illo conjunxit. Carolus verò quàm diu hoſtium copiæ Piſis conſtitêre, cũ ſuis ipſe copiis Florentiæ cõmoratus eſt: Sed ubi Ludovicũ, Caſtrutiumq; arripuiſſe iter cognovit, Florentinis in concionẽ vocatis, neceſſitatem profectionis ſuæ oſtendit, ac Philippum quendam è ſuis Præfectis cum mille equitibus in præſidio ſe relinquere pronunciavit. Cohortatus deinde cives ad fortitudinem, & conſtantiam, cum cæteris copiis Senas primò, deinde Peruſiam, pòſt in Regnum abivit. Romani jam pridem * audito Ludovici adventu in ſeditione graviſſima verſabantur. Et prævalebat factio Regi, Pontificique adverſa: Ab ea tandem receptus in urbem Ludovicus haud multò poſt magno applauſu populi coronatur. Cæterum nullus in coronando ſolitus ordo, nemo Legatus, nulla Pontificis autoritas affuit. Impoſita eſt illi corona (populi nomine *) à Sciarara Columnenſi, Principe diverſæ factionis, in cujus rei memoriam ipſe, poſteriq; ejus antiquum gentis inſigne coronam addidêre, *quaſi præclarum fuerit ſceleratè feciſſe.*

Petrus cognomento Sacon Guidonis frater.

Ludovicus Romã ingreditur.

Caſtrutius Viterbii ſe cum Ludovico conjunxit, Viterbium.

Carolus Philippũ è ſuis præfectis Florentiæ reliquit.

Peruſia.

* primo M. Pal.

Seditiones Romæ.

Ludovicus Romæ coronatur nullo ſervato ordine.

* MS. Pal non hab.

Ludovico Populi nomine corona imponitur à Sciarra Columneſi.

Sciarra ad inſigne ſua gentis coronam addidit.

Caſtrutio quoque permaximi Romæ ſunt honores impenſi, nec à Ludovico ſolùm, qui cuncta illi eximia tribuebat: ſed à populo etiã Romano. Unus poſt Principem hic ſpectabatur, ad unum hunc omnia referebantur conſilia: Hic deniq; unus erat, à quo res tota pendere videretur. Concurſus maximi tota ex Italia Romã fiebant. Omnes enim qui Pontificem oderant, vel ſtudio partium diverſa ſequebantur, exultanti lætitiâ properabant, jamq; Roberti Regnũ tanquam partium caput pervadendum, occupandumq; dictitabant. Et viriũ certè armorumq; ſat eſſe videbatur, apparatusq; ea de cauſa propalam fiebant. Verſis igitur in Principem animis, ac omnium ſermone illius famam celebrante, ſplendida, memorabiliſq; res in Hetruria geſta, mentes in ſe animoſq; convertit. Philippus enim, quem Præfectum copiis, Florentiæ relictum oſtendimus, rem magnam audacemq; adortus eſt, Piſtoriũ capere, ſecutus in ea re duorum exulum cohortationem, qui locorum gnari intromittere copias promiſerunt. Igitur ſcalis machiniſq; in Pratenſi arce ſecretò fabricatis, ubi tempus rei gerendæ viſum eſt, Philippus cum equitibus, primis ferè tenebris Florentiã egreſſis, Pratum conceſſit, nemine Florentinorum civium, præter unum, gnaro, Simonem Roſam, ſplendidum equitem è ſuprema nobilitate, quem in

Caſtrutio Romæ maximi honores impenduntur.

Concurſus maximus ex Italia Romam.

Roberti Regnum pervadendum dictitatur.

Philippus præfectus rem audacem adoritur.

Simon Roſa ſplendidus eques è ſuprema nobilitate.

partem hujus conſilii jam pridem ſuſceperat. Cum Pratum veniſſet, ſumtis celeri-
ter machinis profectioneque indictâ cum duobus peditum millibus, equitibus
ſexcentis ad Piſtorii mœnia illâ ipsâ nocte pervenit. Ibi exules per glaciem (a-
Exules Piſtorii muros ſcalis aſcendunt.
ſperrima namque erat hiems) foſſas transgreſſi partem murorum maximè, negle-
ctam ſcalis aſcenderunt, ac centum ferè milites ſecutos exceperunt. Complures
quoq; pedetentim transgreſſi foſſas, mœnia perſodere aggreſſi ſunt. Dum iſta fie-
rent, Præfectus fortè vigilum ambitâ cæterâ urbe, in hæc ipſa loca devenit: cum
ut fit, cuſtodes excitaret, depræhenſo ſtrepitu, accurrit, clamoremque extollit. Ad
eam vociferationem experrecti qui loco vicini erant, rem ſenſerunt, celeriterque
diffuſus per urbem clamor, homines exercitavit. Philippus inter hæc ponte ſuper
foſſas injecto frequētes tranſmiſerat, & ſimul mœnia, jam binis locis eſtracta, tranſi-
Philippus præfectus Piſtorium intrat.
tum non pediti modò, verùm etiam equiti dabant, ipſeque Philippus jam inrroie-
erat, ſummâque conſtantiâ rem exequebatur. Quin etiam, qui pro mœnibus erant
in proximam evadentes turrim, cuſtodibus vi oppreſſis ignem in ſubjectam con-
jeceraut portam, quo facilior multitudini foret ingreſſus. Erant Piſtorii in præſidio
milites Caſtrutiani circiter ſeptingentos. Hi, cùm ingreſſum hoſtium ex clamore
ſenſiſſent, trepidi primò convenerunt, volun tatem civium ac proditionem formi-
dantes. Sed poſtquam cives integris animis corripere arma adverſus ingreſſores
Caſtrutiani milites hoſtes ad arcendos properant.
viderunt, ſpem bonam complexi, parte ſuorum apud forum relictâ, cæteri ad arcen-
dos hoſtes cum multitudine civium properârunt. Prælium atrox fuit quantum nun-
quam antè. Tandemque prævalentibus Caſtrutianis ad fracturas uſque ipſas mu-
Caſtrutiani prævalent, & ingreſſos repellunt.
rorum, qui ingreſſi fuerant, repelluntur, multique cōterriti excedebaut urbe, mul-
ti etiā eorū, qui pro mœnibus ſtabant, quaſi re deſperatâ locum deſerentes, ad ſuos,
qui extra urbem conſtiterant, refugerunt. Eratque incertitudo quædam & vacil-
latio per foſſas, & præpedita loca, aliis intrare, aliis evadere properantibus. Sed re-
ſtituebat prælium ipſe Dux, qui cum turma equitum ante fracturas ipſas conſiſtens,
ubi appropinquabat hoſtis, procellam equeſtrem in eos dabat, ac pedem referre
compellebat. Ita ſæpius fluctuante prælio, cùm acriter tamen Caſtrutiani pugna-
Multitudo Philippi præfecti militum irrūpit, & Caſtrutianos frangit.
tent, prævalituri que tandem viderentur, portâ interim crematâ, atque refractâ
multitudo equitum peditumque irrupit, tubæ tum & claſſica militumque clamor
majori tumultu ab ea parte exaudita, Caſtrutianos fregêre. Quare paulatim ce-
Caſtrutii filii duo.
dentes in forum revertuntur. Ibi ſuſceptis Caſtrutii filiis (duo quidem erant)
ad arcem, quam in extrema urbis parte communiverat, aufugerunt. Cives au-
tem omiſſo certamine domos ſuas reverſi poſuerunt arma, victoremque diſcurre-
re per urbem paſſi ſunt, nec poſthac niſi ad arcem præliatum eſt, & quidem non
ſine periculo eorum, qui vicerant. Philippus enim veſtigia ſecutus hoſtium,
Milites Ducem nudatum relinquunt omnibus Copiis.
contra ipſam arcem ſigna conſtituerat: Milites autem ad prædam dilapſi, Du-
cem nudatum penè omnibus copiis dereliquerant. Eam igitur paucitatem con-
Hoſtes eruptionē faciunt.
ſpicati hoſtes, eruptionem ſubitò faciunt, magnoque ruentes impetu non mul-
tum abfuit, quin Ducem ipſum ſignaque opprimerent: nec uſquam eâ nocte
majori periculo res ſtetit. Nam profligatis qui cum Duce remanſerant, cæteros per
**M. Pal non hab.*
urbem ſparſos (prædæque intentos *) opprimere nullum erat negotium. Sed
egregiâ virtute Ducis hoſtium vis ſuſtentata eſt: & ſimul aurora jam affulſerat, mi-
liteſque intellecto periculo ad ſigna recurrebant. Quare deſperatis ad extremum
Caſtrutiani Piſtorium & arcem relinquentes aufugiunt.
rebus, Caſtrutiani relictâ penitus urbe, arce quoque ipsâ deſertâ, aufugerunt. Urbs
tota à militibus direpta eſt ſine ulla exceptione, amicarúmne partium an inimica-
rum quis eſſet: à civium tamen corporibus temperatum.

Philippus Florentiam redit.
Poſt hæc Philippus compoſitis ad aliquem modum rebus, decimo ferè pòſt die
Florentiam rediens, tanto honore ſuſceptus eſt, ut triumpho ſimilis ejus ingreſ-
ſio videretur, ſocietatibus cum vexillis obviam prodeuntibus, magiſtratuque
Caſtrutius Piſtorium amiſſū cognoſcit.
& cæteris ordinibus certatim ſe ad ejus honorem effundentibus. At Caſtru-
tius poſtquam amiſſum Piſtorium cognovit, (celeres enim nuncii mare delati,
neque die neque noctu intermiſsâ navigatione triduo rem ad eum tulêre) ad
Ludovicum profectus graviſſimè queſtus eſt, quod ſe pericula ſua providentem
Romam invitum traxiſſet. Inde feſtinato receſſu cum his quas adduxerat co-
piis (erant hæ ſexcenti equites delecti, & mille ſagittarii) Piſas verſus redire
properavit. In itinere ipſo, quoniam ſolicitudo animi tarditatem corporis an-
teibat, relictis poſt ſe copiis, ipſe cum duodecim comitibus, die noctuque fatigatis
equis,

equis, per infeſta latrociniis vias Piſas pervenit. Ibi præſentiam ſuam oſtentans, animumque afflictis addens rebus, cætera in fide continuit. Poſthæc contractis copiis in agrum Piſtorienſem profectus, Murli in arcem, quæ media inter hoſtes relicta erat, frumentum ſimul præſidiumque induxit. Lucam mox Piſaſque regreſſus Remp. Piſanorúm ſuo pro arbitrio, quaſi communi utilitate id exigente, adminiſtrabat, pecuniaſque ad bellum inde ſumebat.

Murli arx.

Ludovicus inter hæc neſariam rem aggreditur, falſum Pontificem Romanum facere privatâ ſuâ ſententiâ, Johanne XXII ejuſdem ſedis vero antiſtite: quod ludibrium barbari væſanique hominis ſacra fidelium Eccleſia nequaquam recepit: tantum fautores quidam ejus perfidiæ receperunt, qui meritò ab unitate fidelium ſequeſtrati ſunt. Addixerunt ſe quoque huic furori complures apoſtatæ rebelleſque religionum, ac omnis ſentina reprobotum clericorum. Ipſe verò falſus Pontifex ſibi Cardinales creavit, ac cætera veri Pontificis officia æmulatus, Ludovicum in Imperio confirmavit. Ita falſus Imperator falſuſq; Pontifex ſibi invicem autores dignitatis fuerunt, altaria ſacraſq; urbis ſedes mutuò prophanantes.

Ludovicus neſariam rem aggreditur. Falſum Pontificem Romanum facit.

Pontifex falſus ſibi Cardinales creat.

Dum ea Romæ geruntur, Caſtrutius neque diem neque horam intermittens, cùm omnia ſagaci ſcrutaretur animo, tandem in ſpem venit Piſtorii recuperandi. Afferebant verò ei ſpem hujuſcemodi cauſæ: Poſt captũ direptumq; Piſtoriũ, cùm urbs planè rebus omnibus ſpoliata fuiſſet, contentio quædam inter Philippum Caroli Præfectum, & Florentinos erat coorta. Jubebat ille frumentum, cæteraque ad ejus urbis tutelam neceſſaria Florentinos publico ſumtu inferre. Illi verò non ſibi, ſed Carolo quæſitam urbem Piſtorium reſpondebant. Sequidem ducenta auri millia præſtare in annos ſingulos certâ pactione promiſiſſe, quæ jam planè eſſent perſoluta; nec eſſe æquum, ſupra id, quod ſemel conventum, pactumque ſit, populum onerari: Magis verò illum ipſum, qui urbem Piſtorium omnibus rebus exuerit, neceſſaria ad ejus tutelam reſarcire debere. Quid enim indignius, quàm cùm ipſe vacuefecerit, prædam quidem ſibi habere, jubere autem alios replere? Philippus contrà: Jure belli parta militum eſſe conſueſſe. Satis profeciſſe videri, quòd hoſti illam ſuo periculo ademiſſet: prædam verò quam miles ceperit, ut jam reſtituat, petere, ingratiſſimum ſimul iniquiſſimumque videri. His contentionibus neque frumenti quantum ſat erat importabatur, neque cætera opportuna fiebant. Caſtrutius ergò gnarus iſtarum rerum, cùm hoſtium contentiones lucrum exiſtimaret ſuum, exercitu Piſanis Lucenſibuſque indicto, magnis repentè copiis Piſtorium obſedit. Erat intra urbem Simon Toſa eques Florentinus à Philippo relictus, habens in præſidio milites circiter mille, & cum his equites trecentos, prætereà cives Piſtorienſes ejuſdem factionis. Cum his urbem egregiè tutabatur, interdumque eruptione factâ hoſtes invadere, ac turbare opera non dubitabat. Alia verò manus equitum Prati conſiſtens ſæpè Caſtrutianos pervadebat, ut neutra ex parte ſibi quies eſſet. Caſtrutio unica ſpes erat in commeatus defectu; docto, intra urbem duorum non amplius menſium annonam ineſſe. Itaque omiſsâ per vim expugnandi curâ, ad hoc unum intendebat, urbem undique cingere, ac facultatem commeatus obſeſſis auferre. Florentini verò etſi juſtâ quidem, cæterùm damnoſâ indignatione fuerant prius commoti: tamen ubi Caſtrutium tantis copiis Piſtorium circumſediſſe viderunt, ſerò quidem meliora ſuſceperunt conſilia. Nec jam ullus ſumtuum, aut pecuniarum erat reſpectus, ultrò facere omnia, pecunias affatim promere, *& qui priùs parvo in diſpendio renitentes fuerant, magna jam diſpendia volentes ſubibant: quæ eſt fermè natura populorum.* Igitur impigrè contractis copiis equitum ad tria, peditum verò ſupra viginti millia coëgerunt. Frumentum prætereà, & commeatum ſummo labore, ſummâque impenſâ parant per vim & arma Piſtorio inferendum. Philippus omnibus affatim paratis, cùm Prati convenire copias juſſiſſet, inde profectus ad hoſtem duxit, nec longè ab illo metatus caſtra, prælio rem decernere flagitavit. Caſtrutius verò, etſi minimè tentandam ſibi fortunam pugnæ conſtituerat; tamen ſimulatâ re, quaſi pugnaturus foret, aliquandiu hoſtem ſpe vanâ detinuit. Interim verò, neq; nocte intermiſſo opere, munire caſtra, opportuna ſubinde loca foſſis arboribuſq; exciſis præpedire contendebat. Quod cùm tandẽ animadverterent Florẽtini, per vim conãdũ rati, ſtructâ cõfeſtim acie, crebros poſt hac impe-

Caſtrutius Piſtorium recuperare conatur.

Contentio inter Philippum Caroli præfectum & Florentinos.

Caſtrutius Piſtorium obſidet.

Simon Toſa egregiè Piſtorium tutatur.

Caſtrutius Florentinos, quaſi pugnaturus foret, vana ſpe deſtinet.

Florentini vi perrumpere conantur. tus ad munitiones hoſtium facientes, perrumpere conati ſunt. Conantes verò foſſæ impedimentaq; prohibebant, & arcebant præſidia armatorum pro foſſis valloque ab hoſte diſpoſita. Tandem fruſtra conati, cum neque pellicere ad pugnam, neque pervadere munitiones valerent, inopes conſilii reſidebant. *Florentini inopes Conſilii reſident.* Ita complures dies fruſtra moratis tandem abſcedere placuit, ac Piſanum Lucenſemque agrum invadere, ſi fortè eâ re deterritus hoſtis ſuarum metu rerum ad ſolvendam obſidionem queat compelli. Quò autem ſpecioſior eſſet diſceſſus, ſtructâ in conſpectu acie tubas canere juſſerunt, & ad prælium hoſtes provocarunt. Poſtquam nemo extra munitiones prodibat, ſigna moventes, pars quædam Pratum reverſa, ubi cum frumento ac cætero commeatu reſtitit ad omnem motum hoſtis intenta: alii Piſas verſus profecti infeſto agmine portas ad uſque pervenerunt. Fuerunt etiam, qui agrum Lucenſem ingreſsi, eundem Lucæ terrorem inferrent. Caſtrutius ob hoc nihilo magis obſidionem diſſolvit, ratus (id quod erat) præter damnum prædamque nihil periculi ſubeſſe, quando non tàm ſpes, quàm deſperatio hoſtis ad ea loca ducebat. At hi qui Piſtorii obſidebantur, abſumto jam omni, quod intus erat, frumento, cùm fames premeret, ſuoſque paulò antè fruſtra conatus re infectâ abire, conſpexiſſent, deſperatis ad extremum rebus Piſtorium dedunt, tertio ferè poſtquàm obſideri cœptum fuerat, menſe. *Piſtorium Caſtrutio deditur.* Præſidium incolume ex pactione deductum eſt. Fama quidem Caſtrutii nulla unquam ex re tantum enituit, quantum ex hac una obſidione. *Caſtrutii fama enitet.* Admirabile porro viſum eſt, longè adeò paucioribus copiis circa urbem magnam per loca plana circum fuſis, & intus ſimul extraque oppugnatis, induſtriâ ſolùm, ac ſcientiâ rei militaris ita perſtitiſſe; ut adverſariorũ conatus omnes, impetuſque arceret, ac victor tandem urbe in oculis penè tantarũ hoſtium copiarum potiretur.

Florentinis periculum novum nunciatur. Fractis civium animis ob Piſtorii amiſsionem, ac bellum ex propinquo magis quàm unquam horrentibus,* periculũ inſuper novum tremendumq; nunciatur. ** M. P. horrendum.* Ludovicus enim fruſtra tentato contra Robertũ Regem progreſſu, tandem Româ abiens in Hetruriam redire conſtituerat, eoq; animo Tudertũ uſq; iter fecit, ut palàm dictaret ſe Florentiam petere. *Tudertum.* Eratq; ad eum concurſus exulum, & omnifariam adverſariorum. *Ludovicus Florentiam invadere conatur.* Res tota ſic ferebatur compoſita, uti Ludovicus cum exercitu per Peruſinum Cortonenſemque veniret Aretium. Inde paratus ſtructuſq; Florentiam invaderet, Caſtrutius è diversa regione victor à Piſtorio cum omni ſuorum manu ſuperveniret: *A tribus locis Florentini invaduntur.* Ubaldini verò, ac cæteri diverſæ factionis Tyranni, qui circa Apenninum incolunt arces, aliâ rurſus manu per Mugellanum agrum diſcendentes, ab ea quoque parte obſidionem urgerent. *Periculum Florentinis imminet.* Erant hæc formidoloſa, ac plena *ſolicitæ* expectationis, ita ut plerisque nullam ſupereſſe ſpem à periculo videretur. Quippe vel Caſtrutius ipſe per ſe ſatis robuſtus hoſtes * terrere poterat. ** hoſtis MS. Pal.* Quid addito Ludovici exercitu, atque præſentia cum omni inimicorum cœtu? Exanimatâ igitur metu urbanâ multitudine, ac futurum anxiè expectante, * horror primò velut attonitos habebat cives: ** ſpectante. M. P.* *Horror attonitos habet cives Florentinos.* mox ſe reſpicientes, ultroq; cohortantes nihil facere providereq; omiſerunt, quo ab imminenti periculo ſervarentur. Igitur Varicũ cæteraq; ſuperioris Arni opida, quæ ad Aretinos ſpectant, affatim communire, ac validis præſidiis firmare placuit. *Varicum communitur.* Ad hoc binos per ſingula opida Florentinos cives cum manu militum ſagittariiſque poſuêre. Idem factum eſt per alia caſtella, quorum aut de fide, aut de imbecillitate timebatur. Urbis inſuper munimenta undique inſtaurata: Admoniti præterea ſocii, ut quaſi ad extremũ opus, quanta maximè poſſint, auxilia mitterent. His proviſis forti jam animo diſcrimen expectabant, futurũ certè maximũ, ni Dei benignitas avertiſſet. *Florentini forti animo diſcrimen expectant.* Ludovicũ Tuderti aliquot dies cõmoratũ, cùm omnia jam ad iter in Hetruriã parata eſſent, novæ coortæ ſpes ad inferum mare diverterunt. *Siculorum claſſis.* Claſſis enim Siculorum, quæ Regnum Roberti invadere conſtituerat, tardiùs comparata, demùm eo tempore advenit, cùm jam Ludovicus cæptum Regni negotium omiſiſſet. *Petrus Federici Regis filius.* Præerat autem claſſi Petrus Federici Regis filius, erantque cum ea claſſe naves Genuenſium exulum, qui Regi adverſabantur. *Ludovicus Viterbium redit.* Hi omnes, cùm ad Tyberina oſtia perveniſſent, cognito Ludovici ex urbe diſceſſu, per nuncios illum multis precibus arceſſiverant. Ea de cauſa Tuderto profectus Viterbiũ rediit, relictò, ibi Pontifice atq; impedimentis, ipſe cum equitatu delecto Cornetũ (ibi nãq; præſtolabatur claſſis) profectus eſt. *Cornetum.* In colloquio magis querelæ effuſæ, quàm ulla proviſio aut reparatio facta. Illi fruſtra paratã claſsẽ magnãque vim

que vim pecuniæ incaſſum abſumtam. Hic tarditatem adventus, ac res ſimul ſpesque ſuas ob id fruſtratas, querebatur. Ad reditum autem in Regnum, quod illi poſtulabant, muſſare videbatur, fatigato milite, ac urbe Româ, quæ ſtatim poſt illius diſceſſum amicos fautoresq; illius diſperſerat, adverſante, aditibusq; in Regnũ firmo Regis præſidio cuſtoditis. Ludovicum igitur à cogitato in Florentinos impetu hujusmodi cauſæ vel averterunt, vel certe retardârunt. Caſtrutiũ autem per hæc ipſa tempora mors opportuna oppreſsit. Poſt receptum enim Piſtorium, & quibus erat opus firmatum, cùm Lucam ad cætera paranda rediiſſet, in valetudinem incidit adverſam, ac poſt paucos dies è vita diſceſsit. Cauſam verò hujus morbi ex labore caſtrenſi immodico, nimiaque corporis animique fatigatione proveniſſe putant.

Ludovicus avertitur à cogitato impetu in Florentinos.
Caſtrutius moritur.

Obiit quoq; per idem ferè tempus Galeazius Vicecomes, qui dudum in Mediolanenſes cæterasque Galliæ civitates amplum, ac Regno ſimile tenuerat Imperium. Is enim poſt res amiſſas, ac perditas opes, ad Caſtrutium confugerat, ac in Piſtorienſi obſidione cum illo fuerat. Ibi contracto morbo Piſciæ in opido è vita deceſsit.

Galeazius Vicecomes obiit, Piſciæ.

A Caſtrutio filii duo ſuperſtites relicti, Arrigus & Galeranus: eos, qui tenera adhuc ætas tantæ moli impares reddebat, ſub matris amicorumque tutela pater dimiſerat. Hi igitur celato obitu Piſas novis copiis occupârunt, veriti ne Piſani re cognitâ rebellandi conſilium ſumerent. Neque vana erat ſuſpicio. Nam Piſani dominatum Caſtrutii haud ſatis æquo ferebant animo, facultatem omnem arrepturi. Decursâ igitur urbe, à populo aliquot locis fuſo, cùm dominatum vi & armis adoleſcentulis confirmaſſent, tunc demum patefacta mors, &, funus omni magnificentiâ peractum. Nuncius de Caſtrutii obitu ad Ludovicum pervenit, cùm adhuc in colloquio claſsis eſſet. Ex hoc mutato repentè conſilio omnibus poſthabitis cuius per maritimam Piſas contendit. Ita imminens civitati periculum non tàm humanâ ope, quàm divino eſt beneficio ſublatum.

Arrigus & Galeranus Caſtrutii filii.
Caſtrutii filii Piſas occupant.
Funus Caſtrutii peragitur.

Florentiæ auditus Caſtrutii obitus inter ſpem ac metum vix credibilis videbatur. Mox ut magis ac magis confirmatus eſt, verſis in lætitiam animis non jam de repellendo, ſed de inferendo bello, cogitabant. Hoc enim uno acerrimo ſublato hoſte, & Ludovicum jam, & cæteros longè comtemnebant. Igitur eductis repentè copiis expugnare Carminianum adorti, in quo ſatis validum erat præſidium, cùm ſigno dato unum ſub tempus ad mœnia ſubiiſſent, incredibili tandem virtute munitiones transgreſſi opidum expugnarunt, & usq; ad arcem cum magna hominum cæde pervicerunt. Arx deinde octo continuos dies machinis, baliſtisque oppugnata eſt, nec diuturnã promittebat moram incluſorũ in ea hominum multitudo, quãvis magnã vim annonæ brevi conſumtura. Verùm, quia adveniſſe jam Piſas Ludovicus ferebatur, ne quid fortè novi emergeret, pacti cum his, quæ aſportare ſinguli poſſent, incolumes abirent: & paucâ inſuper pecuniâ equitibus additâ receperunt arcem. Ludovicus ubi Piſas advenit, ſummâ gratulatione populi receptus quo benevolentiam ſibi conciliaret, ac ſpem dominatus Caſtrutianis auferret, Tarlatum equitem Aretinum, fratrem Guidonis Præſulis, cui amicitiam cum Piſanis & odium adverſus Caſtrutium fuiſſe diximus, civitati præfecit. In cæteris quoq; non ſatis placato corde in Caſtrutii filios videbatur eſſe. Quamobrem illi primò timentes Lucæ portas claudebant, nec quenquã ab illo proficiſcentẽ intrare urbem patiebantur. Demũ lenitâ irâ, cùm adoleſcentiũ mater, grandia ferens munera, Piſas ad eum veniſſet, natosq; ſuos illius fidei cõmendaſſet, Lucã proficiſcitur. Ibi per ejus præſentiã inſurgente plebe, ac tyrannidẽ Caſtrutianorũ incuſante, gubernationẽ adoleſcẽtibus ademit, & quẽdã è proceribus ſuis Lucæ Præſidẽ impoſuit, ſimulq; magnam pecuniæ vim Piſanis Lucenſibusq; imperavit, quaſi mercedem tyrannidis ſublatæ.

Florentini ob Caſtrutii obitum lætantur.
Carminianum expugnatur.
Arx etiam recipitur.
Tarlatus frater Guidonis præſulis Piſanis præficitur.
Tarlatus Lucæ præſidem è proceribus ſuis imponit.

Dum hæc in Hetruria geruntur, Carolus Roberti Regis filius morbo correptus, apud Neapolim obiit diẽ, cívesq; illius imperio liberi Remp. ex integro capeſſentes, bonâ jã ſpe gubernationi incubuerunt. Et ſanè jam pridẽ odio fuerat Apulorũ, Campanorumq; avara cupiditas, cuncta ad rem pecuniariã referentiũ. Quanquã profuit in multis Regiæ domus favor: attamẽ (quod negari non poteſt) inexhauſta quædam pecuniarum materia Florentia illis fuit. Ut ſi quis à Carolo primo Siciliæ

Carolus Roberti filius apud Neapolim diem obiit.

Rege

HISTORIARUM FLORENTINARUM,

LIBER SEXTUS.

PRincipio inſequentis anni Ludovicus, quoniam Germani equites, qui ab eo transfugerant, omnibus cœptis cogitatisque ſuis obſiſtere videbantur, nec promiſſæ ab Accio pecuniæ comparebant; quò his proſpiceret incommodis, transire in Galliam ſtatuit. Relicto itaque Piſis falſo Pontifice, cum omni hæreticorum apoſtatarumq; ſentina; ipſe cum his, quæ ſupererant copiis, ſuperato Apennini jugo per agrum Parmenſem deſcendit in Galliam. Atque hæc omnia ſic ab eo gerebantur, quaſi propediem Piſas ad Pontificem rediturо. In Gallia verò majora longè, quàm putabat, impedimenta offendit. Accius enim illius perfidiam in paterna dudum everſione expertus, parére noluit adventanti: ſed Mediolano cæteriſque opidis longè excluſit. Quare bello eſt in his locis neceſſario implicatus. In Hetruria verò poſt ejus diſceſſum, varios caſus, varioſq; eventus res ſuſceperunt: Germani ſiquidem quos in colle imminenti Lucæ diximus conſediſſe, haud multò poſt ejus tranſitum in Galliam, Marcum Vicecomitē, quem à Ludovico miſſum pro obſide retinebant, ſibi Ducem præfecerunt Hujus maximè operâ atq; ingenio freti tandem Lucam occupant, intromiſſi per arcem à veteranis, qui cuſtodiæ præerant. Mox per Legatos Florentiam miſſos obtulerunt eam ſe urbem dedere velle. Duo ab his poſtulabantur: Stipendiorum antiquorum diſſolutio: ea ſumma erat auri millia circiter octoginta. Secundum pro Caſtrutii filiis præcipua quædam. His namque ut amicitia erat paterna cum Marco Vicecomite, & ingreſſum Germanorum in urbem Lucam, odio præſentis dominatoris, curaſſe videbantur.

Ludovicus in Galliam deſcendit.

Accius Ludovico adventanti parere noluit.

Germani Marcū Vicecomitem ſibi Ducem præficiunt. Luca occupatur. Florentinis Luca offertur.

Re igitur Florentiam delatâ variè conſultatum eſt à civitate. Erant, quibus (ſine ulla cunctatione *) ſuſcipiendam à Florentino populo Lucam, ac pecuniam Germanis exolvendam: Erant etiam, qui totam hujusmodi oblationem repudiandam cenſerent. Oberantq; utilitati publicæ ſimultates privatæ. Quod enim præcipui quidam cives ferebantur autores, repertoreſq; hujusce facti Germanis fuiſſe, horum ſucceſsibus renitentes adverſarii contrà pugnabant. Cùm igitur de his ad populum Magiſtratus referret, ac variæ pro cujusq; ingenio dicerentur ſententiæ, propiusq; ad repudiandum res inclinaret: Pinus Toſa eques Florentinus, qui unus ex autoribus fuiſſe Germanis ferebatur, in hunc modum ſententiam dixit. Si quēadmodum leges domi, ſpectatiſsimi cives, quas tempus experientiaq; rerum magiſtra, inutiles arguit, ſic etiam detrimentoſa foris conſilia corrigere vobis liceret; non multum aut mihi, aut alteri cuiquā patriæ amatori in hac deliberatione veſtra putarem laborandū. Quippe tempore ipſo comprobante quid factu ſit optimum ſequeremini. *Nunc autem ea quoniam eſt natura rerum propoſitarum, ut malè ſuſcepto conſilio pœnitere nil proſit: Omnes & anniti & conari oportet, quo Reip. commodū amplectamur.* Res enim hæc, ni fallor, permagna agitur, & in qua plurimū referat hoc, vel illud eligatis. At me quidem aut error habet ingens, aut permulta ſimul ad ſuſcipiendam Lucam vos hortari videntur, quæ cum ante oculos poſita ſint, miror eſſe quoſdam, qui ſe hoc videre, intelligereq; diſsimulent. Ipſe breviter, quæ intueri videor, ſingulatim diſcurram. Utilitatem Lucæ ſuſceptio vobis duplicem affert: Nam & ſedes illa per vos occupata hoſtibus non patebit, & ipſa vobis contra hoſtem peropportuna erit. Scitis enim quot bella per hoſce annos, gravia quidem, & aſpera pertuliſtis, ea omnia ab his, qui Lucam tenuerunt, vobis eſſe illata. Hæc igitur facultas ademta hoſti permagnam Reip. noſtræ ſecuritatem pariet, nocendique cupidos longiùs ſubmovebit; ut jam ab ea parte nihil ſit ampliùs formidandum. Nulli verò nobis, neque animis inimiciores, neque opibus infeſtiores ſunt, quàm Piſani. Nil porrò opportuniùs ad eos comprimendos, quàm Luca urbs finitima penè in veſtibulo eorum poſita, ut, ſive inferendum adverſus eos, ſive repellendum ſit bellum, permagnam exinde opportunitatem ad utrumvis habeamus. Age verò ipſa per ſe quanta potentiæ erit acceſsio, pulcherrimā munitiſsimamq; urbem, tantū agri, tot opida, tot arces in poteſtatem veſtram devenire? Quid autem gloria, & amplitudo nominis,

** MS. Pal. Non hab.*

Pini Toſa equitis Florentini oratio in Luca ſuſcipienda.

Utilitas duplex in ſuſcipienda Luca.

** MS. pal. nec opibus nec potentia pene par.*

nominis, majeſtáſque Florentini populi quantum augeſcet, ſi civitas, dudum noſtræ opibus & potentiâ penè par * vobis ſubjiciatur? Equidem ut iſtâ communi vitâ moribusq; hominum utor: ita illis me moveri fateor, quæ bona apud homines putantur, extendere fines, imperium augere, civitatis gloriam ſplendoremq; extollere, ſecuritatem utilitatemq; aſciſcere: quæ niſi expetenda dicamus, & cura Reip. & pietas in patriam, & tota penè hæc vita nobis fuerit pervertenda. Hæc ſi illi, qui ſuſcipiendam vobis diſſadent, contemnunt, ac pro nihilo cenſent, novas porrò vivendi normas in vitam adducunt: Sin illa probant, ac in bonis exiſtimant, hanc ſuſcipiendam putent neceſſe eſt, unde tot ſimul bona commodaque proveniunt. Mihi quidem divino quodam beneficio hæc oblata facultas nobis videtur, ut ex qua urbe primò Fagiolanus, poſtea Caſtrutius non ſine clade nobis intulerunt bellum, eam nunc urbem ſine periculo, ſine vulnere poteſtati noſtræ ſubdere valeamus. Quod ſi hanc facultatem nobis oblatam nunc prætermiſerimus, deinde à quibusdam hujus populi adverſariis Luca ſuſcipiatur, bellumque inde, tumultusque inſurgat: quis non meritò nos culpabit? quis non carpet? quis non juſtas ignaviæ pœnas ſubire nos dicet? quod dum liceret illam accipere, tàm ſocordes ignavique fuerimus. *Damna, ô cives! & incommoda omnia gravia ſunt: ſed illa maximè, quæ noſtrâ proveniunt culpâ. Nam ſuâ quidem ignaviâ incidere in mala, præterquam quod damnoſum, turpe inſuper eſt, ac ſibi ipſi, qui commiſit, acerbum. Itaque ſapientes culpam modò ab hominibus præſtandam putant: eventum autem rerum non præſtandum, illud enim noſtræ: hoc verò fortunæ poteſtatis eſt.* Duo contra hæc dici maximè video. Nam ſunt, qui ſatis vos habere, monentes id, quod eſt, tuendum cenſeant, & nec impenſis nec cœptis ſeſe novis onerandum: Alii ſuſceptionem ejus urbis non improbant quidem, ſed absque ullo impendio venturam demum in poteſtatem noſtram arbitrantur. Hi divinare mihi videntur: ſuperiores verò longè aberrare. Tuendum quod eſt, ſolum cenſent: Quaſi verò iſta ſuſceptio non pro tutela fiat eorum, quæ poſsidemus, aut ſuperiora bella inde nobis illata, non in periculum hæc ipſa amittendi conjecerint. Non eâdem iſti mente in patrimonio proprio, ac in Rep. verſantur. Patrimonium quidem ſemper augere quærunt, atque in eo die noctuque anhelant: Reip. verò acquirere interdicunt. *Populus Romanus parens noſter, nunquam orbis imperium nactus eſſet, ſi ſuis rebus contentus nova cœpta, impenſasq; refugiſſet.* Nec ſanè idem propoſitum eſt homini publicè & privatim. Nam publicè quidem magnificentia propoſita eſt, quæ in gloria amplitudineque conſiſtit: privatim verò modeſtia & frugalitas. Itaque qui de Rep. conſultant, grandiorem animum, celſiusque propoſitum aſſumere debent, nec tam de impenſis & laboribus, quàm de gloria ſplendoreque cogitare. At ſine ullo impendio ad nos deveniret. Quàm vereor ne, ſi nunc non acceperimus, * longè poſt hæc majora, & fruſtra quidem, impendere cupiamus. *Occaſionem poëtæ tradunt crines à fronte proferre, ponè verò calvitiem habere, ut dum te adit apprehendere queas: ſin verò neglexeris, nullam poſt anſam nanciſcare.* Hæc ego metuo ne nobis eveniant, cives, ſi nunc fortunæ ad nos converſæ munus, facultatemque non apprehendamus. Mea igitur ſententia eſt, Lucam ſine ulla mora ſuſcipiendam, & hanc facultatem nobis oblatam nullo modo negligendam eſſe, *cùm ſuſceptio nobis utilitatem, ſecuritatemq;, & gloriam afferat: rejectio autem periculum, & infamiam comminetur.*

** accipimus. M. P.*

Pini Toſæ ſententia in ſuſcipienda Luca.

Cives Pini conſilium negligunt.

Pinus quidem ita: cives autem partim invidiâ, partim tributorum formidine id conſilium neglexerunt, vanâ opinione detenti, quaſi Luca tandem ad eos nullis foret pecuniis perventura. Itaque poſt longas conſultationes res infecta dimiſſa eſt, malo admodum conſilio civitatis.

Luca à Florentinis demittitur.

Piſtorienſes pacē à Florentinis quærunt.

Murlum.

Carminianum.

Arteminum.

Iacobus Stroza eques Florentinus.

Per idem tempus Piſtorienſes Ludovici rem in deterius labi cernentes, pacem à Florentinis quæſiverunt, quæ illis vel cupienter conceſſa eſt. Per eam pacem exules fermè omnes Piſtorium rediêre. Præterea Murlum per eandem pacem Florentinis reſtitutum, & Carminianum, Arteminumq; Piſtorienſis agri caſtella, ut Florentini retinerent, conceſſum. Quoq; pax ea ſtabilior eſſet, quatuor ex præcipuis Piſtorienſium familiis equeſtri dignitate à populo Florentino inſigniti ſunt. Inſignivit autem populi nomine Jacobus Stroza eques Florentinus ad hoc ipſum cum poteſtate publica Piſtorium miſſus, donoq; his dati in ſingulos aurei numi quingenti. Inſuper ludi equeſtres grandiori magnificentiâ ob eam pacem Florentiæ celebrati. Hanc

Piſtorienſium

Piſtorienſium pacem proxima Lucenſium caſtella, quæ ſunt circa Nebulam amnem conſecuta ſunt, interponentibus ſeſe Piſtorienſibus pacemq; ſuadentibus. Piſani quoq; ſub idem ferè tempus ad libertatem ſpectantes, repellere Ludovici jugum perrexerunt. Ejus rei causâ Marco Vicecomite cum Germanorũ aliquâ manu clàm arceſsito, & intra urbem recepto, arma populariter corripiunt, depulſoque demum Tarlato Præſide cum omni Ludovici præſidio Remp. liberatã ſuo jam ipſi auſpicio gubernârunt. Ita mutatis undiq; rebus Hetruriæ ſtatus novabatur.

Nebula amnit.
Tarlatus Præſes Piſis depellitur.

Marcus Vicecomes ob navatam Piſanis operam magnificè ab illis donatus, haud multò pòſt Florentiam venit, receptusq; eximiè, ac publicè honoratus, negotium Lucenſe iteratò induxit, propoſitis iisdem conditionibus, quæ ab initio fuerant civitati oblatæ. Eas ob res conſultatio iterata eundem, quem primò habuerat exitum, habuit. Itaque Marcus ad extremum re infectâ cum paucis equitibus in Galliam abiit. At Germani Lucæ relicti cùm pecunias quærerent, eamque urbem non ſecus atq; mercem quandam licitationi offerrent, tandem ad Piſanos rem detulêre. Nec verò cunctati ſunt Piſani illam capeſſere. Quippe jampridem ſoliciti, ne tam finitimâ urbe potiretur Florentinus, haud cunctanter pecunias ſolvere, urbemq; ſuſcipere paciſcuntur. Id poſtquam Florentiæ auditum eſt, nulla mora, quin bellum inferretur Piſanis, quod poſt præſidium Ludovici ejectum tacito magis conſenſu, quàm aperta pace fuerat intermiſſum. Ea de cauſa profecti equites peditesq; ad Piſarum uſque mœnia, repentino impetu pervasêre.

Marcus Vicecomes negotium Lucenſe iteratò inducit.
Marcus in Galliam abiit.
Piſani Lucam capeßunt.

Sub idem ferè tempus Catinum opidum, quod nuper in fidem Florentini populum devenerat, ad hoſtes defecit, opidani ſiquidem pulſis Florentinæ pacis autoribus, Caſtrutianiſque militibus (adhuc enim ingens per ea loca ſupererat veteranorum manus) receptis, ſubitò extulerunt bellum. Cùm cætera quoque illius regionis opida eundem ſecutura motum viderentur, mittere confeſtim copias placuit. Dux autem his præfectus eſt Amerigus Donatus Curſii filius, eques Florentinus, qui cum ingenti equitum peditumque manu ad ea loca profectus, rebelliones ſuo adventu compeſcuit, nec multò pòſt Victulinum eadem meditatum, interceptis Principibus, qui per colloquia profecti ad hoſtes fuerunt, occupavit. Inde Catinum circumſiſtens urgere cœpit impigrè adeò atque infeſtè, ut neque commeatus importari, neque ingredi quiſquam, aut egredi quiret. Inter hæc Piſani, ſpe potiundi Lucâ ob coortas difficultates excluſi, pacem cum Florentinis fecerunt. Conditiones ferè dictæ eædem, quæ fuerant in priori pace. Sæpius deinde tentata Lucæ deditio cùm à civitate reiiceretur, Spinulæ, tandem Genuenſi, viro nobili, divitiiſque ſupra privatum modum abundanti, ſuſceptâ pecuniâ Germani illam tradidêre, venientemq; cum præſidio in arcem validiſsimam, quam in ea urbe Caſtrutius muniverat, induxêre. Spinula igitur receptâ urbe, civibusq; in ſuam voluntatẽ benignè traductis, pacem agere cupiebat. Florentinis autem longè diverſa erat mens. Spes enim ſimul cupidoq; inceſſerat Lucâ potiundi: itaq; nec Piſanos nuper tulerant ſe ingerentes, neq; tunc Spinulæ factum æquo ferebant animo. Quamobrem rejectâ pacis flagitatione Catinum acriùs premere, aliaq; Lucenſis agri caſtella ad defectionem hortari, auxiliaq; rebellantibus * polliceri, cœperunt. Spinula igitur & Lucenſes cùm ſe bello haud diſſimulanter impeti viderent, audendum aliquid rati, in proximum caſtellum, quod fortè per eos defecerat dies, copias educunt. *Affuit fortuna cœptis.* Multa cum inimicorum cæde caſtellum ipſum vi expugnatum receperunt. Inde gratulabundi Lucam reverſi opem ferre obſeſsis ad Catinum ſtatuunt. Adhæc majora equitum auxilia convocare, ac peditem cogere, magnaſque ad eos copias ex Gallia venire à Ludovico rumor erat. Ob eum rumorem validioribus præſidiis obſidionem firmare placuit, atque ita Catinum circummunire, ut, quamvis potentiſsimus adventaret hoſtis, undiq; tamen excluderetur. Ad hæc verò non tàm Catini utilitas, quàm generoſa quædam celſitudo impellebat animi, *quod magnum aliquid de ſe ipſis opinantes alienum protinus à dignitate exiſtimabant, ſi hoſti concedere viderentur.* Hujus igitur rei cauſâ longum atque anxium opus aggrediuntur.

Catinum opidum ad hoſtes defecit.
Amerigus Donatus eques Florentinus Dux præficitur.
Victulinum occupatur.
Catinũ urgetur.
Piſani pacem cum Florentinis faciunt.
Lucæ deditio ſæpius tentatur.
Spinulæ Genuenſi Luca tandem à Germanis traditur.
Florentini Spinulæ factum iniquo ferunt animo.
Catinum acrius premitur.
* M. P. rebellationibus.
Fortuna affuit cœptis.
Catinum circummunitur.

Catinum eſt opidum in monte edito, planitieſq; ſub eo meridiem verſus pateſcit, cæteris verò ex partibus undiq; colles cingunt. Florentini igitur per planitiem primò, quod ab ea parte maximè acceſſus erat hoſti, foſſam latam profundamque diduxerunt, aggeremque poſt eam atq; vallum crebris cum turribus propugnacu-

Catinum opidum deſcribitur.
Florentini foſſã deducunt.

liſque extruxerunt. Foſſam autem ipſam aqua ex flumine derivata explebat. Externus verò foſſæ ager truncis, ac præacutis arborum ramis crebro multiplicique inter ſe nexu diſpoſitis, & ab ſtipite ſub terra dimiſsis muniebatur. Erat hujus foſſæ longitudo paſſuum millia circiter ſex, atque ita ab radicibus montium reducta, ut inter eos, ac vallum caſtris ſpatium ſat eſſet. Inde per colles munimenta producentes opportunis locis occupatis, reciſiſque aditibus & caſtellis, præſidiiſque impoſitis undiquaque Catinum cinxerunt, ut eſſet hic ambitus caſtrorum munitionumque ſupra duodecim millia paſsuum. Mirifica certè res, ac vel apud Romanum populum memoranda.

Catinum undiquaq; cingitur.

Piſcia opidum. Uzanum arx occupatur. Florentini repelluntur.

Hoſtes parato exercitu cum ex Gallia equitatus ſuperveniſſet, Lucâ profecti ad opidum Piſciam conſtitêre. Inde proximâ arce, cui Uzano nomen eſt, occupatâ, ex eo rurſus loco per ſuperiores colles irrumpere conati, Florentinorum concurſu ad eas munitionum partes facto repelluntur, ac irrito cœpto pedem referre coguntur. Sæpius poſthæc improvisò conati, cùm eodem modo prohiberentur, majores ſubinde copias parant: Ad ſuperiorem equitatum quingentos equites Germanos belli expertes adjungunt: Peditum verò multitudinẽ ex Piſano Lucenſique agro, vel præmiorum pollicitatione, vel ſtudio partium maximam cogunt. Cùm ſatis parata eſſent, non clam, nec per colles, ſed apertis, campeſtribus locis ad munitiones pervenerunt. Florentini toto caſtrorum robore ad ea converſi loca contra hoſtes ſtetêre, atque ita primo die caſtra ſunt facta, nihil ut præter vallum foſſamq; intereſſet. Hoſtes pugnâ decernere cupiebant, idq; jactabundi flagitabant. Florentini verò neque deducere copias ex præſidiis munitonum poterant, ne tantus dudum labor ſuſceptus irritaretur: neq; pugnandũ exiſtimabant, niſi integro milite. Itaq; ſatis putabant, ſi, munitiones tutando, hoſtium impetũ conatumq; repellerent. Igitur hoſtes ex compoſito armatâ multitudine, & fortiſſimo quoq; milite cohortato loca diſtribuunt, partes conſignant, unoq; impetu pluribus ſimul locis ſuccedunt ad munitiones oppugnandas. Eodem ferè ordine Florentini ad tutandũ feſtinant, & clamor ingens utrinq; attollitur. Sed, qui ſubibant hoſtium non ſagittis modò, & tragulis, ſed ſaxis quoq;, & vallo propugnaculiſque terrebantur, * & cùm ad aggerem ventum erat, acutis ramis ſeſe induebant, foſſæ quoq; altitudo, & aqua conſpecta omnem conatus adimebat ſpem. Quibus difficultatibus repulſi, tandem omiſsâ per vim irrumpendi curâ, ad ingeniũ convertuntur. Erat foſſæ, ut diximus, longitudo per planitiem circiter ſex millia paſſuum: Caput autem ab ea parte, quæ Piſtorium verſus aſpicit à colle, qui eſt ſub caſtello Serra incipiebat. Id quò magis aberat ab hoſte, eò cuſtodiebatur minus. Hoſtes igitur, re per exploratores cognitâ, partem copiarum per noctem dimiſsam ea improvisò loca invadere jubent. Ipſi autem quo magis à ſuſpicione divertant, primâ luce ad munitiones ſuccedunt, & majorem, quàm nunquam conatum de induſtria oſtentant. In hanc pugnam intentis omnium animis, copiæ hoſtium, quas per noctem miſſas diximus, repentè ex inſidiis (egreſſæ *) munitiones invadunt, nactæq;* locum defenſoribus vacuũ, intrò penetrârunt. Inde ad lævam ſecus vallum diſcurrentes, fugã trepidationemq; edidêre. Delatæq; in proximũ præſidium, brevi momento expugnant, Præfectum ejus Jacobum Medicem, Florentinum equitem, capiunt, prædam ingentem nanciſcuntur. Lucenſes, qui ad alias munitionum partes Florentinis oppoſiti ſtabant, ubi ſuorũ ingreſſum cognovêre, omiſsâ oppugnatione, citato agmine ad ea loca contenderunt, quo per priorũ* veſtigia penetrarent. Simulque Florentini re intellectâ omnem confeſtim equitatum ac levis armaturæ militem effuſo curſu eò dimiſêre. Cætera verò acies ſtructa, & compoſita ſecus vallum æquis fermè regionibus cum hoſtium acie procedebat: Sed equitatus à Florentinis præmiſſus interiori, atq; eò compendioſiori viâ profectus longè antevenit, prælioq;* cum his, qui intraverant, hoſtibꝰ, implicatur. Et ſuccedebat prælio levis armaturæ miles, qui equitibus permixtus rem eâ die geſſit egregiè. Ab his pulſi tandem hoſtes, qui munitiones intraverant, ad Catinum refugerunt. Reliqua verò Florentinorum acies ad munitiones concurrens, facilè eas tutata eſt à cætero hoſtium ingreſſu. Ita pars una hoſtium incluſa: reliqua excluſa remanſit.

Florentinorũ pugna cũ hoſtibus.

* ferie bantur. M.P.

Serra caſtellum.

* aderat in MS. Pal.
* namque MS. Pal.

Iacobus Medices Florentinus eques capitur.

* priora MS. Pala.

* præliumq; MS. P.

Florentini bifariam partiti reſiſtunt hoſtibus.

Secutis poſt hæc diebus, acerrimum fuit certamen, cùm ab externo hoſte ſummâ vi munitiones oppugnarentur: intus verò incluſi idem ſub tempus ab opido acriter invaderent. Adverſus eam vim Florentini bifariam partiti copias,

reſiſtebant,

reſiſtebant, ut equitatus cum aliqua peditum manu ab radice montium repugnaret, cæteræ verò copiæ munitiones ab externo tutarentur impetu: pugnabaturque eodem tempore à fronte & à tergo, & ſimul turres munitionesque toto ambitu tutandæ erant, in quibus cum magna neceſſariò diſtineretur manus, ſummum in periculum res veniebat, & quo magis ſperabant hoſtes, cò acriùs nitebantur. Sed contra hæc omnia incommoda peropportunum remedium fuit, quòd intellecto periculo tota penè civitas ſe in caſtra diffudit. Ita multitudine virorum ſuppeditante ſpem conatus hoſtibus ademêre.

Pugnant à fronte & à tergo.

Spinula igitur Lucenſium Dux multos dies fruſtra conatus, retrò tandem movit caſtra ad opidum Piſciam. Obſeſsi verò cùm antea neceſſariorum anguſtiâ laborabant, tùm addito novarum copiarũ adventu majori inopiâ premebatur. Afferebat deſperationẽ receſſus ſuorum: erumpendi nulla penitus videbatur facultas: expectare autẽ, ac diuturniorẽ experiri morã, defectus cõmeatuũ prohibebat. Quib' ad extremũ difficultatibus victi deditionẽ facere conſtituunt, pacti, ut incolumibus abire ſibi liceret, deducto veteri novoq; præſidio vacuum Florentinis opidum reliquêre. Per hunc modum Catinũ receptũ eſt, longo quidẽ certamine, ſed admodũ glorioſo. Agmina penè triumphantia in urbem, coronatiq; fronde milites domum ad conjuges & liberos ſuos eximiâ omnium gratulatione redierunt.

Piſcia opidum.

Catinum Florentinis vacuum relinquitur.

Conſultatũ poſt hæc de Catino evertendo, pervicitq; tandẽ eorum ſententia, qui retinendum cenſebant, propter eximiam ejus opportunitatem ad bellum.

Haud multò poſt reductas in urbem copias Bugianum (quod antea caſtellum in poteſtate Florentini populi fuerat) ad Lucenſes defecit. Cùm ejus rei causâ majores copiæ ſubitò adveniſſent, egreſsi repentè opidani cum adventitio milite vicum ei caſtello ſubjectum invadere perrexerunt. Erat in eo aliquantulum copiarum, quæ ubi fraudem opidanorum, ac novum clam præſidium receptum vident, raptis confeſtim armis non ſolùm egregiè tutati ſunt locum: verùm etjam fractos hoſtes magno ſui detrimento perſecuti ſunt. Multa jam ſuadere videbantur Lucam ipſam obſideri, atque capi poſſe: primum, quod ipſi per ſe Lucenſes imbecilli ſanè atque impares erant, præſertim civitate diviſâ, magnâque exulum manu in hoc ipſo bello Florentinos ſectante. Externi verò nulli videbantur opem laturi. Nam Piſani quidem novâ pace obligati, nihil contrà molituri credebantur.

Bugianum ad Lucenſes deficit.

Ludovicus autem Romani nominis invaſor, unica partium ſpes, fractus ac debilitatus Gallico bello tandem in Germaniam trans Alpesque abierat, falſusque Pontifex ab eo Piſis relictus poſt Piſanorum rebellionem ad verum Pontificem ductus veritatem agnoverat: nihilque ſupererat (in præſentia *) quòd videretur formidandum. Quas ob res Florentini magnâ ſpe verſi ad bellum, non jam levia conſectari, ſed Lucam ipſam caput atque arcem belli obſidere conſtituunt. Ad hoc ubi ſatis omnia parata, ſtructaque ſunt viſa, egreſſi in arma contra hoſtes duxêre. Ac primum Cerulio, Vimmariaque, ac cæteris imminentibus Lucæ arcibus occupatis, inde mox deſcendentes urbi ipſi admoverunt caſtra, primò ab una urbis parte mox creſcentibus copiis, & amicorum auxiliis confluentibus, alia ſubinde apperere loca andiquâque illam cinxêre. Cùm durior indies redderetur obſeſſorum conditio, nec futuri ſpes præſentia ſublevaret mala, Spinula rebus diffidens modò pactiones tentare cùm Florentinis, modò alienum refugium circumſpicere, ſcrutari denique omnia indagarique incepit. *Magnam in bello vim habet fortuna, ut nihil tàm exploratum videri poſſit, de quo non ante ſupremum ſit eventum rei dubitandum.* Obſeſſis enim tunc penitùs fractis, & quo ſe verterent, neſcientibus, cùm neq; ſpes, neque conſilium ſupereſſet, fortuna ipſa, quod nemo prius ſuſpicari poterat, ſubminiſtravit auxilium. Joannes erat Boëmiæ Rex, Herrici ejus qui dudum Imperator in Hetruria deceſſerat, filius. Hunc aliis de cauſis Italiæ finibus propinquantem Brixiani ſeditione domeſticã advocarunt. Qua de causâ Brixiam cum equitatu ingreſſus, (haud multò poſt *) Bergomates quoq; vicinos eâdem fermè ratione ſuſcepit, ac per amicos paternos vires extendit. Ad hunc igitur Spinula & Lucenſes legatione miſsâ Lucam dedidêre. Ille opem ferre obſeſſis, periculoque liberare pollicitus eſt. Id etſi armis agendum exiſtimabat: tamen viam primò humaniorẽ ingreſſus, Legatos Florentiã mittit, qui ſui juris eſſe Lucã docerent, ac benignè poſtularent obſidionem diſſolvi. Quod negatum cùm eſſet, ad vim converſus & arma, copias

Ludovicus Romani nominis invaſor.

Falſus Pontifex ad verum Pontificem ductus veritate agnoſcit.

** MS. Pal. non hab.*

Florentini Lucam obſidere conſtituunt.

Cerulium.

Vimmaria.

Lucæ caſtra admoventur.

Spinula pactiones cum Florentinis tentat.

Lucenſibus obſeſſis fortuna auxilium ſubminiſtrat.

Iohannes Boëmiæ Rex, Herrici Imperatoris filius.

Brixia.

** MS. Pal. non hab.*

Iohannes Rex Bergomates ſuſcepit.

Eid. m. Regi Luca deditur.

párat,expeditionem in Hetruriam indicit.Florentinos,præterquam quod inopinata res turbabat animos,illa inſuper afficiebat cura, quòd ortâ nuper in caſtris ſeditione conducti milites nullâ Ducis reverentiâ, cædes & incendia fœdè patraverant. Ob quæ ſuſpecti ſimul, contumacesq; nec ipſi ſe Duci, nec Dux illis ſe ſatis credebat. Et jam transfugia quædam ex caſtris facta erant conductorum. Quamobrem periculoſum rati expectare hoſtem,ubi appropinquare Præfectus Regis cum equitatu nunciatus eſt,obſidione miſsâ,copias reduxêre,quinto ferè menſe poſtquam obſideri fuerat cœptum.

Florentinorum ad Lucam bona ſpes in irritum recidit.

Per hunc modum primus Florentini conatus populi ad Lucam plenus dudum bonâ ſpe,in irritum recidit, ac majora ſubſecuta certamina diſpendiis & periculis mali pœnas conſilii à populo exegerunt. Aliquot dies poſtquam Lucam venerat Regis Præfectus,Florentinum populabundus ingreditur agrum, habens equites ad mille ducentos, peditum autem ad duo millia. Temeraria procul dubio res,attamen ſortita ſucceſſum.Cùm enim faciliter intercludi poſſent, triduo agros populati magnas inde prædas abegêre.

Johannes Rex accipit Parmam Rhegium Mutinam ſeſe ultro dedentes.

Per idem ferè tempus Johannes Rex Parmam,& Rhegium,& Mutinam Galliæ urbes, ſe ultrò dedentes,accipit.Ita propinquior potentiorq; factus indies magis formidabantur.

Colloquium Regis & Legati Romanæ ſedis.

Proximo dehinc anno plurimum aucta ſuſpicio eſt ob colloquium congreſſumque Regis & Legati Romanæ ſedis, qui Bononiæ præerat: in quo perquàm amicè ſeſe receperant contra omnium expectationem,ut non modò non ſuccenſeret Legatus Regi pro occupatis Galliæ civitatibus:verùm etiam ſibi gratias videretur habere. Et ſecuta mox convivia, arctæq; amicitiæ ſigna moverunt hominum mentes, & in ſuſpicionẽ verterunt,*quibus eſt de rebus,quò clariores ſint, paulò altius rep etendũ.*

Bellum Galliæ cum originem traxit a Genuenſi bello. Robertus Rex.

Bellum Gallicum, originẽ traxit à Genuenſi bello. Pulſi enim dudum Genuâ cives diverſarum partium,ſe ad Mediolanenſes contulerant, eorumq; freti opibus, redire in urbem conabantur. Altera verò factio,Roberto Rege advocato,ſeſe & urbẽ illi dediderat,cujus freta viribus cõtra adverſarios repugnabat. Admiſcuit ſe tũ his certaminib⁹ pontifex Romanus,Legatũq; ſuũ miſit in Galliã.

Pontifex Romanus ſeſe admiſcet Genuenſibus certaminibus.

Creſcẽte igitur Romanę ſedis potẽtiâ. ita cõplures annos gerebatur bellũ,ut appareret,mera partiũ ſtudia in illo verſati. Robertus enim Rex,Florentiniq;,ac tota illiuſmodi factio Legato in Galliã,Legatusq; ipſe,cũ opus erat,in Hetruriã ſubmittebat auxilia. Mediolanenſes autem, Veronenſesq;,& Mantuani,cæteriq; Imperii fautores contrà nitebantur.

Poſt diſceſſum igitur Ludovici ex Gallia,Legatus Bononiæ conſiſtens, Mutinã & Rhegium,& Parmã,quæ dudũ urbes ab eo defecerant,graviſſimo urgebat bello: quo metu hæ civitates ſeſe Johanni Regi dediderunt. Secuta ergò colloquia,& amicitiæ ſigna Regem inter Legatumq;,cùm antè his de cauſis crederentur hoſtes,querelas ſimul ſuſpicionesq; pepêrêre. Robertus enim Rex, quòd paternã inimicitiam adverſus Johannẽ exercebat,Legati factũ indignabatur: Florentini verò ob ereptã è faucibus penè Lucã, & antiquã Henrici patris obſidionẽ,infenſiſſimi erant. Eodẽq; modo per Galliã,Mediolanenſes, Veronẽſes, Mantuaniq; principes, Legati veteres hoſtes,Johannem,etſi à ſtirpe ſuarum partium fautorẽ,tamen ob hanc ipſam Legati conjunctionẽ,ſuſpectum habuêre.

Conjunctio animorum initur inter principes Galliæ,Robertum Regem & Florentinos contra Iohannem & Legatum.

Ita cõtra penè naturã rerum cõjunctio quædam animorum inita eſt inter principes Galliæ, Robertumq; Regem, & Florentinos, contra Johannem & Legatum, quæ haud multò pòſt hos ipſos omnes in unum & apertum fœdus conjunxit.

Piſtorienſes poteſtatem civitatis Florentinis tradiderunt. Piſtorienſes ut ſubiecti ſunt habiti.

Per idem tempus Piſtorienſes arbitrium, poteſtatemq; civitatis Florentino populo tradidêre,cõmoti ob diſcordias civium,quòd ii,qui dudum pulſi à Caſtrutio per Florentinã pacẽ redierãt in urbẽ,plus poſſe adverſarios,permoleſtè ferebant, videbanturq; ob eã indignationẽ res novas moliturí. Quare prævenientes familię dudum in Florentina pace honoratæ,dedendi protinus urbem auctrices fuere, neque poſthac ut fœderati,neque rurſus ut ſubditi: ſed ut ſubjecti Piſtorienſes ſunt habiti, etſi ad ſpeciem jus deligendi Magiſtratus,cæteraque iſtiuſmodi liberi populi ſimulacra eis in deditione reſervata ſunt.

Barga opidum ab hoſtibus obſeſſum.

Eodem anno Bargam opidum Lucenſis agri,quod in poteſtate Florentini populi erat,obſederunt hoſtes. Eam obſidione ut quo diſſolverent, Florentini cum exercitu ingreſſi Lucenſem agrum ad Cerulium caſtra fecêre, ſperantes metu Lucæ obſidionem deſerturos. Cùm nihilo magis ob id moverentur, omnibus copiis Bargam petiêre. Hoſtes munitiſſimis caſtris ſe circa opidum continebant, atq; ita reci-

detant

derant aditus, ut importari nil poſſet: Pugnā verò detrectabant. Quare fruſtrati à ſpe opis ferendæ, noſtri domum irriti rediêre. Bargaq; paulò pòſt inopiâ frumenti Lucenſibus redditur. *Barga Lucenſibus redditur.*

Altero de hinc anno creſcente Legati ſuſpicione, quoniam Johannes, relicto in Italia equitatu, cum Carolo ejus filio ipſe trans Alpes ad majores cōparandas vires abierat, magno conſenſu fœdus initum eſt. Fuerunt in eo fœdere Veronenſium, Mantuanorumq; tyranni: Præterea Accius Vicecomes, qui nuper Caſtrutiano bello Florentina pulſaverat mœnia, tantumq; indignatio potuit & utilitatis ſpes, ut acerrimi quondam hoſtes in unum amicitiâ ſocietateq; jungerentur. Conditiones verò ad ſcriptæ hę: totis ut viribus, cùm opus eſſet, ſibi invicem opitularentur: Interim verò belli gerendi causâ equitum tria millia in armis haberent. Horum Florentini ſexcentos conferrent, totidem Robertus Rex: Maſtinus autem Veronenſium tyrannus octingentos, Accius Mediolanenſium ſexcentos: Ferrarienſium principes (nam hi quoq; in fœdus venerant) ducentos, totidem Mantuanus. *Fœdus novum initur.* *Conditiones fœderis.* *Maſtinus Veronenſium Tyrannus.* *Mantuanus.*

Legatus per hæc ipſa tempora Ferrarienſes bello perſequebatur, caſtraq; habebat apud Argentam opidum, qui ubi initam ſocietatem à Florentino populo cum hoſtibus intellexit; irâ & indignatione commotus, oratores Florentiam queſtum miſit. Hi conſumtâ pleraq; oratione, veteribus inimicitiis refricandis, damnandoq; fœdere ab illo ut ſe disjungeret * civitas, poſtularunt. Ad hæc reſponſum eſt: Florentinum quidem populum Romanæ ſedis fautorem inprimis fuiſſe, atq; eo magis indignari, ſi quis adverſariorum ſuorum ab ſede illa foveatur. Nec verò cuiquā admirationi eſſe debere, ſi adverſus Johannem Herrici filium, quem & paterna vetus inimicitia, & nova Lucæ injuria infeſtū reddat, ſeſe putaverint muniendos. Sub hoc reſpōſo oratores dimiſſi. Et conſtabat plus intelligi à civitate, quā verbis exprimeretur. Nam conciliatus quidem Pontifici Johannes Rex, per Francorum Regem, quem arctiſſimo cōſanguinitatis attingebat gradu, credebatur, hoc totum Italiæ cœptum non invito Pontifice adoriri. *Argenta opidum.* *Legatus ob fœdus ictum indignatur.* ** adiungeret. MS.P.*

Per hoc tempus Carolus Johannis filius Lucā acceſſit, fuitq; metus, ne majori aliquâ re invitatus Apenninum tranſiret. Cæterùm paucos dies Lucæ cōmoratus, audito patris reditu, in Galliam properans, Parmæ illi occurrit. Venerat cū Johanne haud magnus equitatus, verùm optimus quiſq; & belli cupidiſſimus ex Germania & Gallia, plurimumq; viri nobiles, & principes quidā cum illo advenerant. Sed ex civitatibus, quæ ante diſceſſū in fide erant Regis, per mediū hoc tempus Brixiam, & Bergamum Maſtinus averterat: Accius verò Ticinum abſtulerat: Ticini tamen arx tunc etiā à ſuis tenebatur. Quare profectus Ticinū Rex ferre obſeſſis auxiliū tentavit. Sed ita foſſis caſtellisq; circum muniverat * Accius, ut nihil ad extremum Rex proficere poſſet. Itaq; populato infeſtiùs Mediolanenſi agro, Parmam copias reduxit. *Carolus Johannis filius Lucam accedit.* *Brixia.* *Bergamum.* *Accius Ticinum abſtulit.* ** Communiverat MS.Pal.*

Legatum apud Argentam opidum habuiſſe caſtra diximus: nec longè ab his Ferrarienſium conſtiterant copiæ. Prælio itaq; commiſſo profligati ſunt Ferrarienſes è unusq; è principibus eorum Nicolaus, eo in prælio captus. *Ferrarienſes in prælio profligati.* *Nicolaus princeps captus.*

Propius deinde admotis caſtris Ferraria obſidebatur. Ad hanc obſidionē præter victrices copias magna Bononienſiū multitudo, & cuncti Flaminiæ proceres Legati juſſu coierant in caſtra. Ferraria ita ſecus Padū amnem ſita eſt, ut mœnia penè fluvio abluantur. Statim infra urbē ſciſſus gurges inſulā facit, in quâ vetuſtū fuit opidū. Id opidum cū à Ravennatibus impeteretur bello deſertū creditur, & trans amnem multitudo traducta urbē cōdidiſſe. Hoſtes igitur primò in ea inſula contra urbē: poſt hæc transmiſſo amne mœnibus admoverūt caſtra, valloq; & foſſâ muniti terribiles aſſidebant. Fracti jam antè prælio Ferrarienſes, urgente ad portas hoſte, graviſſimo in diſcrimine verſabantur. Ob hoc igitur ſociorum periculum Florentini auxilia mittere cōſtituerant. Sed inerat difficultas maxima, quòd neq; per Flaminiam neq; per Bononienſem agrum, omnia tenente Legato: neq; rurſus per Mutinenſem, aut Parmenſem, Regis impedientibus copiis, transmitti auxilia poterant. Ne tamen deeſſent ſociorum ſaluti, longo anfractu per Genuēſium, & Mediolanenſium fines, copias mittere ſtatuerunt. Tantum longitudo itineris breviores modò copias fecit, delectiq; ſolū miſſi equites quadringēti, cumq; his profecti * duo ex nobilitate, præſtantiſſimi per ea tempora juvenum, Franciſcus, Pallæ filius, Stroza, & Ugo Vieri filius, Scala. Hi Genuam primò, inde pedeſtri itinere Mediolanum pervenêre, urbēq; ingreſſi ſunt, ſub vexillo Florētini populi, nō cōquerente modò Accio Vicecomite; *Ferraria obſidetur.* *Flaminia proceres.* *Ferraria ſitus.* *Florentini Ferrarienſibus auxilium mittunt.* ** præfecti MS.pal.*

verùm etiam omni liberalitate obviam prodeunte. Ex Mediolano Veronam petentes, recepti ſunt pari magnificentiâ à Veronenſium tyranno. In hoc tandem loco, quia reliquus cogebatur exercitus, aliquamdiu conſtitêre.

Iohannes cum Legato de communi bello conſultat.

Per hæc ipſa tempora Johannes Bononiam ad Legatum profectus, cùm de cōmuni bello conſultarent, ſtatuit quàm primū, cum omni equitatu ad urgendā obſidionem ſe in caſtra conferre. Ea de cauſa Rex parte copiarum præmiſsâ, ipſe Parmā reverſus eſt ad cætera comparanda. Hæc res impulit auxilia ſociorum, quæ Veronæ coacta erant, ut prævenire maturarent. Veronâ igitur profecti equites, Ferrariam ingreſſi ſunt, nec ulla poſthac fuit mora, quin caſtra adorirentur. Armatâ ergò multitudine urbanâ, omnibusq; paratis, cum duabus ſimul portis eruptionē feciſſent, caſtra hoſtiū adoriuntur. Naves etiā, quatū ad triginta habebant, per flumen ad caſtra oppugnanda dimittūr. * Florentini, multis id munus detrectantibus, cam ſibi partē in diſtributione locorum ſuſceperant, ut pone * caſtra aggrederentur. Et conjunxerāt ſe his Veronenſium equitū ad centū quinquaginta, & in his plerīq; Florentini exules, qui antiquo partium æſtu jactati, apud Veronēſes tyrannos, tanquā in portu aliquo tranquillitatis, conſtiterant. Hi omnes, circumdatis hoſtiū caſtris, è diverſa ab urbe regione, vallum repentè invadunt, ac minus ab ea parte intento * hoſte, quāquam difficillimo aditu, intra munimenta penetrârunt. Atq; fortuna ita fuit, ut non longè ab eo loco vexilla Regis, equitatumq; ab eo præmiſſum in caſtra oſtenderent. Lærati igitur eam potiſſimùm pugnam ſibi oblatam, in qua præter communē cauſā, privata inſuper ultio expoſcenda eſſet, cohortati ſuos in vexilla Regis feruntur. Regii equites præliorum gnari pugnam fortiter excepetunt. Certamen atrox fuit, atq; aliquandiu ita pugnatum, ut neutram in partē inclinaret victoria. Sed præcipua eo die pugnandi laus, penes Duces ipſos Florentinorum fuit: cùm ambo pari ardore in prima verſarentur acie, viri militares, & magnâ domi famâ, extendere factis gloriā properabant, magisq; exemplo, quàm verbis adhortabantur ſuos. His bonis artibus impigrè freti, tandē hoſtes exſuperant, ac referre pedē compellunt, ſimulq; refracta pluribus locis munimēta caſtrorū pervaduntur. Additur præterea terror hoſti, quòd cùm magna effuſaq; eſſet fuga, ad ulteriorē fluminis ripam pons nimio pondere delapſus eſt. Quo facto omnis hoſtium equitatus, & maxima peditum pars intercipitur. Per hunc modū victoria Ferrarienſibus ſociis parta cū magna adverſatiorū ſtrage.

** MS. Pal. mittuntur.*
** pene. MS. Pal.*
Florentini exules.
** invento MS. Pal.*
Regii equites præliorum gnari.
Florentini magìs exemplo quam verbis ſuos adhortantur.
Florentini hoſtes exuperant.
Hoſtium equitatus intercipitur.
Victoria Ferrarienſium.

Flaminia deficit à Legato.

Ob hanc victoriam cuncta paulò pòſt Flaminia defecit à Legato, & Bononiæ ita trepidatum, ut, niſi Johannes Rex cum equitatu adveniſſet, populus arma fuiſſet capturus: illius præſentia res novas compeſcuit.

Caſtrutii filii, obſides, clàm arripiunt fugā.

Eodem anno rex Lucam ſubitò acceſſit hujuſmodi cauſâ pertractus. Cùm ob adverſum præliū afflictæ Legati ſimul Regisq; opes viderentur, Caſtrutii filii, quos obſidum loco Rex ſecum habebat, clàm arreptâ fugâ, ex clientelis paternis magno numero coacto, Lucā ſubitò ingreſſi ſunt, urbemq; in ſuā poteſtatem redegerunt, præter arcem, in qua præſidiū erat Regis. Ea res effecit, ipſe ut Rex duobus ferè millibus equitum Lucam properè accederet. Ibi pulſis adoleſcentibus, urbeq; receptâ, magnam vim pecuniæ Lucenſibus imperavit, &, quaſi pertæſus Italiæ, trans Alpes abire conſtituit. Lætam victoriâ civitatem diluvium aquarum penè ſubmerſit. Circiter enim Calendas Novemb. quatuor diebus, totidemq; noctibus continuato imbre, incredibili aquarum multitudine, amnes per Caſentinatem, Aretinumq; agrum egreſſi alveis, inſtar æquoris omnia texêre. Inde paſſim deſcendentibus, cum Seva quoq; fluvius, inundato Mugellano agro, plenâ decurreret valle: Arnus autem nullis neq; ripis, neq; terminis coërceretur, omnia ſupra urbem loca complentur. Ea vis aquarum in muros perlata urbis, partem illorum ad orientem verſam proſtravit. Inde urbem quaſi captam, expugnatamq; diſcurrens, trepidis ac fugientibus civibus cunctam occupavit, ut ad templum Martis ſupra dimidium Porphyreatum columnarum, humilioribus verò locis ſupra XII. pedes altitudo aſcenderet. Nec prius increſcere deſtitit aquarum moles, quàm ad occidentem quoq; non capiente jam urbe aquam, mœnia ſubvertit. Tunc demum egeſta vis, & decreſcere pelagus cœpit. Tres urbis pontes dejecti, & proxima ſecus fluvium ædificia, multæq; per urbem domus concidêre.

Diluvium aquarum Luca.
Seva fluvius.
Aquarum vis muros proſtravit.
Tres urbis pontes ab aqua dejecti.
Novum metum Florentia à Nobilitate incidit.
Nobilium familiæ robuſtiſſimæ trans Arnum fuerunt.

Ceſſante aquarum metu, cùm homines velut attoniti remanſiſſent, novus iterato metus incidit à nobilitate. Robuſtiſſimæ trans Arnum familiæ nobilium erant: pontes autem disjecti eas ſeparaverant, ut jam duæ urbes ex una factæ viderentur. Et rixæ quædam coortæ ſuſpicionem augebant. Ob hunc metum pontes duo rati-

bus facti, quo transarninæ plebi, ſi opus foret, ſuccurreretur. Tunc demum timeri deſitum eſt.

Florentinorum ſociorumq; Oratores communi de re conveniunt.

Eodem anno Florentinorum ſociorumq; oratores communi de re apud Henricem in Liguribus convenêre. Movebat autem, quia Legato gravi plagâ perculſo, Johanneq; Rege trans Alpes relictâ Italiâ digreſſo, proſperis ſecundisq; rebus, de præda jam inter ſocios oriebatur contentio, diſcordiam paritura, ni obviam iretur. Itaque proſpicere * jam inde, & antevenire placuit. Re igitur diſcuſsâ ita tandem cõvenit, uti Cremona Mediolanenſi, Parma Veronenſi, Rhegium, Mantuano, Mutina Ferrarienſi, Luca Florentino deſtinaretur. Hæc bonâ fide procuranda adjuvandaq;, quoad urbes iſtæ in poteſtatem venirent. Bellumq; poſthac acriùs cœptum.* Prima hoſtium ruina ab eo, qui caput fuerat malorum omnium, Legato incepit. Hic erat vir Gallus intolerabili ſuperbiâ atq; faſtidio: Et auxerat naturæ vitiũ proſperitas fortunæ, nihil ut jam minus ferendum, quam ejus protervia videretur. Cùm ergò Ferrarienſes captâ poſt prælium Argentâ, Bononienſem in agrum copias traduxiſſent, lateq; omnia vaſtarent, cives per eam occaſionem ſumtis armis verterunt impetum in Legati ſatellites: quibus variè per urbem oppreſſis, ipſe trepidus in arcem munitiſſimam, quam ſibi conſtruxerat, refugit. Bononienſes arcem obſeſſam die noctuq; oppugnabant. Quæ cùm Florentiæ eſſent audita, etſi populus nõ invito animo hanc Legati ruinã * percipiebat: tamẽ vicit humanitatis reſpectus, ut pro reverentia ſedis Romanæ de Legati ſalute cogitarent. Ita miſſi cõfeſtim Bononiã oratores quatuor, & cũ his equites trecẽti, ex Mugellanoq; agro magnus peditũ numerus. Hi rogãdo atq; monẽdo ſequeſtres tandẽ fuère, ut Legatus, redditâ civibus arce, incolumis abiret. Id tantâ difficultate impetratũ, ut aliquot dies adverſus eorũ preces reſiſterent Bononienſes, & poſt rẽ impetratam, cùm extra mœnia Legatũ deducerent, vix à populi impetu in eum ruentis defendere illius ſalutem potuerint. Magnâ demũ vi Florentiã perductus, mox Piſas, inde mari delatus, ad Pontificem abiit.

Contentio de Præda inter ſocios orta.

** MS.Pal proſperè*

** tepenum MS Pal.*

Bellum acriùs incipitur.

Legatus caput omnium malorũ.

Legatus refugit.

** MS.Pal. iniuriam.*

Florentini pro reverentia ſedis Romanæ de Legati ſalute cogitant.

Legatus ad Pontificem abit.

Florentini Lucam obſidere conſtituunt.

Altero dehinc anno Florentini Lucam obſidere conſtituerant, atq; ita convenerant, ut ex ſociorũ copiis, quę circa Parmam erant in caſtris, pars Apenninũ tranſiret ad Lucæ obſidionẽ perurgendã. Hæc itaq; auxilia expectantibus, Florentinis inſidiæ in caſtris ad Parmam deteguntur. Equites enim Germani pecuniâ corrupti, ſeditionem in exercitu facere, ac Maſtinum cæteroſq; Duces, qui præerant caſtris, interficere conſtituerant. Hoc à Legato, quo injurias ultum iret, procuratum credebatur. Igitur eâ re detectâ, pleriq; Germanorum Parmam traſfugêre, turbatioque iſta effecit, confeſtim ut Parmæ ſolveretur obſidio, deficientibusque auxiliis, Luca quoque quo minus obſideretur, impedimento fuit.

Equites Germani pecunia corrupti ſeditionem faciunt.

Turris marmorea fundari cœpta eſt.

Per hoc tempus marmorea turris, quæ eſt ad Reperatæ templum, fundari cœpta eſt, architectata quidẽ à Jotto, inſigni per eam tempeſtatem pingendi magiſtro. Is & fundamentis jaciundis præfuit, & formam, qualem nunc videmus, præſtanti magnificentiâ operis deſignavit.

Iottus inſignis pingendi magiſter.

Maſtinus Veronenſis Dux.

Eodem anno copiæ ſociorum, duce Maſtino Veronenſi in agrum Parmenſem reverſæ, obſidionẽ ex integro inchoarunt: Fuitq; in his Florentinorũ equitatus ex fœdere cõſtitutus. Aliæ inſuper copiæ circa Lucã deductæ cuncta belli terroribꝰ infeſtabant. Ob hæc Johannes Rex, qui in Galliã ulteriorẽ abierat, quò imminens Lucę periculũ depelleret Regi Francorũ dono illã dedit. Ipſe autẽ Rex, accitis Florentinis civibus, quorũ multitudo ingens in regno ejus negotiabatur, donationem factã oſtendit, ſuãq; eſſe Lucã proteſtatus eſt: proinde abſtineret Florentinus ab inferẽdo bello. Ea res Florentiam à negotiatoribus perſcripta, nequaquã retardavit populi cœptum. Nec planè Rex ipſe rem perſecutus eſt, certior factus à Roberto Rege, Lucam ad Johannem nunquam jure pertinuiſſe: * ſed ſua dudum, cùm eſſet à Fagiolano primum, mox à Caſtrutio occupata.

Parma obſidetur à ſociis.

Iohannes Rex Lucam Francorũ Regi dono dat.

** perveniſſe MS.Pal.*

Iohannes Pontifex Romanus moritur

Benedictus Pontifex ſuccedit.

Hoc anno Johannes Pontifex Romanus è vita migravit: in ejus locũ Benedictus ſucceſſit. Proximâ dehinc æſtate, fervente in Gallia bello Parmaq; obſeſſa, novũ rurſus bellũ in Hetruria cõcitatur. Aretinorũ enim poſt mortẽ Guidonis Præſulis, Petrus cognomẽto Sacon acceperat dominatũ. Hic fuit vir bello quidẽ admodum præſtans, ad urbanas verò cõverſiones nõ ſatis aptus. Cùm tamẽ opes à fratre partas ſuſcepiſſet nõ ſolùm tenuit eas armis: verùm etiã extendit, præcipuè tyrannis, & his qui ẽ ſuarũ partiũ infeſtꝰ, quos caſtellis arcibusq; exutos, lõgè lateq; diſperſerat. Florẽtini cũ hoc pacẽ agebãt, intẽti Lucẽſis belli curis: Peruſini verò pro occupato dudũ

Novum bellum in Hetruria concitatur.

Petrus Sacon dominatũ accipit poſt Guidonis Præſulis mortem.

Florentini cum Petro pacẽ agũt.

Conjunctio arcana inter Perusinos & Tyrannos a Sacone eversos.
Nerius Fagiolanus Princeps.
Burgum oppidum Nerius invadit.
* XXIV. M S Pal.
* opisque M S. Pal.
Saconis certamen cum Perusinis.

Tiſerno ita ſe habebant, ut odia potiùs occulta, quàm apertum ſupereſſet bellum.

Rebus in hunc modum ſe habentibus, arcana quædam conjunctio ſit Peruſinos inter & tyrannos à Sacone everſos, quorum longè Princeps adverſarius erat Nerius Fagiolanus, ejus, qui dudum Piſas Lucamq; tenuerat, filius. Is ergò, acceptis clã copiis, nullo tale aliquid ſuſpicante, Burgum (id eſt oppidũ ſecus Tyberim XIIII * millibus paſſuum ab Aretio) per proditionem invadit. Cùm arx nihilominus præſidio teneretur, Sacõ re auditâ eò raptim copias duxit, opiq; * ferendę intẽtus omnia timabatur. Inter hæc Peruſini (ut compoſitum erat) omnibus repentè copiis viâ Cortonenſi, quæ eſt à Burgo diverſiſſima, in agrum Aretinum ſupervenêre. Quod poſtquã à Sacone intellectũ eſt, omiſſâ Burgi curâ Aretium rediit. Ibi armatâ populi multitudine, & ſub ſignis ſtructâ, certiſſimâ dimicandi ſpe ad hoſtes contendit. Nec Peruſini quidẽ detrectarunt certamẽ, ſed ut pote viri fortes, ſe ad pugnã cõparârunt. Ubi autem ſigno dato concurſum eſt, anceps atroxq; prælium fuit. Tandẽ ſuperantibus Aretinis, & animis viribusq; prævalentibus,

Peruſini ab Aretinis in fugam vertuntur.

Peruſini multâ ſuorũ cæde in fugã vertuntur, quos turbatos proſtratosq; perſecuti victores, magnam ediderunt ſtragem, ac viginti ex hoſtibus ſigna eo prælio capta retulerunt. Inde agrum Peruſinum ingreſſi, non longiùs ab urbe, quàm duobus paſſuum millibus fecerunt caſtra, omniaque circum mœnia igne ferroque popularunt.

Florentini auxilia equitum Peruſinis mittunt.
Genuenſes Saconi mittunt auxilia.
Pacata urbs.
* M S Pal. compeſſendum.
Parma oppugnata capitur.
Parmam Maſtinus ſuſcipit.
Mutina ac Rhegium capiuntur.

Florentini autem, cognito Peruſinorũ caſu, memores priſtinarum amicitiarũ, confeſtim auxilia equitũ illis miſêre, quibus ex gravi conflictatione ſuſtentati ſunt. Nec multò pòſt Genuenſium auxilia quædã Saconi miſſa (erat namq; ſibi uxor Genuenſis) dum prope urbem Pacatæ faciunt iter juventutis concurſu invaduntur, armisq; & impedimentis direptis iter retrò vertere coguntur. Ita civitas, etſi nondum apertum ſuſceperat bellum: partes tamen Peruſinorum animis præferebat, quæ multum valuit ad curſum victoriæ capeſſendum. *

Per idem ferè tempus Parma jam pridem oppugnata, cùm amplius reſiſtere nequiret, ad extremum capitur: eam, ut convenerat in fœdere, Maſtinus ſuſcepit.

Mutina quoq; ac Rhegium paulò pòſt eodem tenore in victoris manum devenere. Una reſtabat Luca, Florentinis belli præmiũ deſtinata, eademq; ſemper quaſi fato quodam novi certaminis inexhauſta materia, Lucæ ſiquidem causâ in Gallicum bellũ ſe conjecerant Florentini: ejusdem Lucæ causâ aliud rurſus bellum adverſus Maſtinum ſuſceperant. Lucæ etiam causâ Piſanum poſtea bellum exarſit, de quibus jam dicere aggrediemur.

Ruffi Parmenſes tres fratres.

Tres erant fratres Ruffi Parmenſes, nati ſummo loco, quibus Johannes Rex Parmam & Lucam abiens reliquerat gubernandam. Horũ duo coacti bello cùm Parmam tandẽ dediſſent, multa ultro citroq; pacti ſunt, & illud inprimis, ut is, qui Lucæ præerat frater certâ pactione Maſtino illã dimitteret. Id factum non repugnantibus Florentinis fuerat, ductis vanâ ſpe, quòd faciliorẽ hanc fore viam arbitrabantur, ſi rẽ in ſuam fidem Maſtinus ſuſcepiſſet; præſertim cùm fratres illi in ejus poteſtate eſſent futuri. Ipſe verò tyrannus palàm dictitabat, Florentinis ſeſe id negotium faceſſere. Eorum quidẽ auxilia omnibus victoriis obſidionibusq; per Galliã affuiſſe: Cæteros verò ſocios præmia belli conſecutus, Florentinũ populum unũ reſtare, cui Luca ex fœdere debeatur. Id non magis ad populi Florentini ſtudium, quàm ad fidem ſuam cæterorumq; ſociorum pertinere. Hæc & hujusmodi prædicanti fides adhibita erat, eo magis, quo conſona vero honeſtoq; profari videbatur. Itaq; illi permiſſum

Lucam Maſtinus ſuſcipit.
Florentini Lucam poſtulant.

negotiũ eſt, ejusq; ab opere civitas dependebat. Re igitur aliquanto protractâ, Lucã, dante illo, qui tenebat, fratre, Maſtinus ſuſcipit, ac ſuo præſidio communit. Florentini miſſis confeſtim ad eum Legatis ſecundum promiſſa Lucam poſtulârunt. Tyrannus autẽ (primò) benignis affatibus, dum rem cũ Ruffis fratrib⁹ cõponit, exigui tẽporis morã ne gravatè ferant, poſtulat. Mox eo tranſacto, cùm Legati inſtarẽt, difficultates alias reperire, Ruffis fratrib⁹ debitam à Rege pecuniã dicere, magnas inſuper impenſas ab iis dẽ factas, quas reſarciri oporteat. Pro his omnibus ſummã promit

Maſtini improbitas in poſtulandis impenſis.
Florentini populi mens nimis proclivis.
Tyrannum Legatorum Florentinorum deſideria fruſtratur.

auri, trecenta ſexaginta millia. Quâ in re licet improbitatẽ tyranni impudentiſſimè verſari cernebat Florentinus populus: tamen deſiderio potiundæ Lucæ adductus, eã ſũmã tradere paciſcitur. In quo maximè admiretur quis hujus populi mentẽ in utrãq; partẽ nimis proclivẽ. Pro quâ enim nuper, offerentibus Germanis, ac propè rogantib⁹, parvã dare pecuniã recuſarat: pro eadẽ paulò poſt intolerabilẽ auri ſummã recuſanti, ac propè denegãti tradere nitebatur. Nam neq; hoc ipſum pactũ conven-

rumque

tumq; ſervavit tyrannus: ſed alia ex aliis quærens diffugia, turpi perfidiâ Legatorum deſideria fruſtrabatur. Venerat enim in eam ſpem, ut exiſtimaret, Lucâ retentâ, Hetruriæ civitatibus dominari poſſe. Hos illi animos faciebant latiſſimæ per Galliam opes, quibus nemo ejus ſeculi Tyrannus par fuit: frequentes præterea adulatores, * quibus dominatorum atria ſunt referta: Multa * etiā Tuſci generis exules, novarū rerū avidi, excitabant. His accedebat facultas, quod ex Parmenſi in Lucenſem agrū brevis eſt tranſitus, & Apennini ferè dorſo conjuncti fines, quā facilè copias poſſet transmittere. Finitimos quin etiā Piſanos ob ſtudia partium, vetusq; in Florentinos odium, putabat cauſæ non defuturos. Hæc meditantē fruſtrātemq; animadvertens Florentinus populus, Legatis tandē mandavit, ut queſti proteſtatiq; injuriā diſcedāt. Id cùm feciſſent Legati, Tyrannus quaſi lucrum arbitratus, ſi omnia turbarentur, quas Lucæ habebat copias, repentè in agrum Florentinum prædatum miſit. Ita rupto fœdere bellum Lucenſe ex integro naſcitur. Florentini, etſi contentio magna proponebatur, ac jam defeſſos novum excipiebat bellum, neq; conciderunt animis, neq; quicquam remiſerunt priſtinæ dignitatis, ſed acrius vehementiusq; ſe attollētes, non trepidè, nec turbulentè, ſed maturo ſingula providebant conſilio. Pecuniis enim comparandis decemviros cum poteſtate publica: ſex verò ad conſilia belli præfecerunt. Inprimis quoq; illud proviſum, uti Legati ad Accium Vicecomitem, cæteroſque Gallici belli ſocios mitterentur, qui & arguerent Maſtini perfidiam, & opem illorum adverſus eam fraudem implorarent.

** multi M S. Pal.*

Legati Florentinorū Luca diſcedunt.

Bellum Lucenſe ex integro naſcitur.

Florentinorum maturum conſilium contra Maſtinum.

Societas quoq; cum Peruſinis ac Senenſibus renovata eſt, verentibus (id quod erat veriſimile) ne Sacon ob tradita Peruſinis auxilia ſe Maſtino conjungeret. Copias verò apud Catinum, & Fucetium bipartitò quaſi in ſtationes diſtribuerunt, ne hoſtium equitatus, qui ſatis validus erat Lucæ, in Florentinum poſſet agrum licenter diſcurrere. Inter hæc Peruſini, ſociorum auxiliis freti, agrum Aretinum magnis copiis intrârunt, cuncta igne ferroq; vaſtantes. Conjunxerunt quoq; ſe illis Aretinorum exules, multas magnaſque clienteles in agro habentes.

Societas à Florentinis cum Peruſinis ac Senenſibus renovatur.

Peruſini agrum Aretinum vaſtant.

Hinc defectiones quædam opidanorum * fieri, & in deterius labi res cœperunt. Fregit autē plurimū Aretinorum animos Tiferni amiſſio. Huic urbi Rodulfus præerat Tarlatus, eques Aretinus, præſidiūq; habebat nō cōtēnēdum. Verùm eorū ipſorū, qui in præſidio erāt, corrupti pecuniâ quidā prodere hoſtibus urbē paciſcũtur. Hujus arcani autor deductorq; fuit Nerius Fagiolanus, taliū quidē rerū vel ſolertiſſimus artifex, quæ ubi ſatis cōpoſita ſunt, accitis Peruſinorum copiis noctu ad Tiferni portas acceſſit, Ibi a proditoribus, qui pro mœnibus excubabant, receptus, urbe potitus eſt: Rodulfo poſt nocturnū prælium, quo fruſtra pellere hoſtē nixus erat in arcē refugiente, quæ & ipſa mox unà cū illo capitur. Per hunc modū Tifernū amiſſum eſt. Sacon autē in caſtella, quæ sūt circa Ambrā * fluviū (ea nāq; rebellaverāt) cū exercitu profectus, quędā illorū expugnata receptaq; ſubvertit: reliqua verò ejusdē regionis: Bucinū, Galatrone, Leolinū, ac cætera his finitima Aretinorū caſtella ſeſe ob ancipitē belli metū Florētinis dedidēre. Hæc eo ſunt anno in Hetruria atq; Gallia geſta.

** opidorū M S. Pal.*

Rodulfus Tarlatus eques Aretinus.

Peruſini per proditionem Tiferna potiuntur.

Tifernum amittitur.

** Vaum è M S. Pal. Arnum.*

Ambra fluvius.

Bucinum.

Galatrone.

Leolinum aliaq; caſtella ſeſe Florentinis dedunt.

Proximo dehinc anno Florentini ſtatim veris initio bellum Aretinis apertè indixerunt. Mox hinc Peruſini, inde Florentini magnis exercitibus agrum Aretinum ingreſſi, ſimulque circa urbem in unum conjuncti crebra in portis ipſis commiſerunt prælia, ac latè omnia vaſtaverunt.

Per hoc ferè tempus rumor increbuit, Maſtinum ad octingentos equites per Flaminiam Farſinatemque agrum Aretium mittere. Et erant, qui ad forum populi * jā perveniſſe aſſeverarent. Ejus rei causâ copiæ à Florentinis in Flaminiā miſſæ, conjunctis Bononienſiū auxiliis, ne qua Maſtini equitatus tranſire poſſet obſervabant. Sed & Lucę qui erat hoſtiū equitatus incurſionibus nonnunq̄ factis in Florentinū agrū, turbabat ſanè accolas, ab illo & illata dāna pleraq; & accepta. Cū itaq; pluribꝰ locis miſce .etur bellum, ac penè tota Hetruria fluctuaret, Maſtiniq; potētia formidaretur, placuit in Galliā, ſi qua fieri poſſet, bellū trāsferre, Id unū maximè omniū ſalutare ab initio perſpectū cōſultatumq; in Rep. fuerat. Cæterū Legati ad Principes Galliæ miſſi cū ſingulos adiiſſent neminē pellicere ad bellum cōtra Maſtinū potuerāt, nō q̄ amarēt eū homines, ſed quòd ejus potentiā formidarēt. Demū ad Venetos cōverſa civitas, quos & finitimos Tyrāno, & nōnihil læſos, infenſosq; illius potētiæ intelligebat, multis adhortationibꝰ tādē obtinuit, in ſocietatē ut venirēt (belli *) Ob eā ſocietatē Florētinorū ſtatim copiæ quędā ad ea loca trāſmiſſæ, pariq; itē numero à Venetis

Florentini bellum Aretinis indicunt.

** MS. Pal. Popilii & recte.*

Hetruria tota bello fluctuat.

Maſtini potentia formidatur.

** MS. Pal. perfectum.*

Veneti in ſocietatem belli cum Florentinis veniunt.

** MS. F. non hab.*

Tarviſinus ager.

tis addito, in Tarviſino primùm agro bellum adverſus Tyrannum commoverunt.

Ruſſi fratres a Maſtino rejecti ſunt. Pontremulum opidum. Ruſſi fratres in fœdus Venetorum & Florentinorum recipiuntur. Petrus Ruſſus Lucæ detrimenta poſſe inferri, oſtendit. Præfecti Lucenſis calliditas; Cerulium. Præfecti Lucenſis prælium cum Florentinis. Florentini Lucenſes in fugam vertunt. Florentini circumventi ab hoſtibus conciduntur. Vexillifero occiſo hoſtes Vexillo potiuntur. A Ruſſo hoſtes ſuperantur & in fugam vertuntur.

Dum hæc in Venetis geruntur, Ruſſi fratres, de quibus Lucam Parmamq; accepiſſe Maſtinum diximus, rejecti ab eo, & contra fidem exagitati in opido Pontremuli obſidebantur. Hi ad Florentinorũ Venetorumq; opem converſi, in fœdus recipiuntur. Ex his Petrus Ruſſus vir præſtans in re militari Florentiã veniens, oſtẽdit, ſi ſibi copiæ darentur, poſſe Lucæ detrimẽta inferri, obſidionemq; ſuorũ ſimul diſſolvi. Acceptis igitur octingentis Florentinorum equitibus, magnoq; peditatu addito, Lucã petivit; nec longè à mœnibus caſtra metatus per ſingulos dies infeſtiſſima portis inferebat ſigna. Hæc eo propoſito fiebãt, quò hi, qui in caſtris erant ad Pontremulũ, Lucæ auxilium ferre coacti, obſidionẽ diſſolverent: quod tamen ipſum aſſequi non potuit, impeditus calliditate Præfecti, qui Lucæ præerat. Is enim, cùm Ruſſi propoſitum animadvertiſſet, cum omnibus ferè copiis egreſſus, apud Cerulium conſedit: qui locus Florentinum verſus agrum maximè ſpectat. Ex eo loco ſe cùm de induſtria oſtentaret, commeatumq; impediret, vi ipsâ eſt aſſecutus; ut Dux Florentini exercitus omiſsâ Lucâ retrò duceret copias. In reducendo autem, quoniã ſub ipſo hoſte transeundum erat, præliũ committitur. Foſſa erat jam pridẽ bello Caſtrutiano facta, à monte in paludem, aditum ſecans. Ad eã præmiſſi equites, foſſam oppugnarunt, ac demum vi transgreſſi præſidia hoſtium, quæ ibi tutelæ gratiâ fuerant, in fugam verterũt. Inde profligatos inſecuti, neq; ratione ullâ, neq; conſilio: ſed temerè atq; incautè ad caſtra uſq; hoſtium delati ſunt. Quorum periculum cùm animadverteret Ruffus, receptui cani juſſit, & pòſt eos miſit, qui ex præcepto revocaret. Sed illi victoriâ elati, & prælio calentes, cùm neq; tubam, neq; monitorem exaudirent, circumventi repentè ab hoſtibus ita conciduntur, ut pauci eorum effusâ retrò fugâ evaderent, reliquis aut captis aut interfectis. Vexillifer anteſignanorum, qui princeps fuerat illius temeritatis, in portis penè caſtrorum hoſtium occiditur, vexilloq; hoſtes potiti ſunt. Quâ victoriâ elati omnibus confeſtim copiis in reliquam Florentinorũ aciẽ magno impetu magnoq; clamore deſcẽderunt. Ruffus interrito animo ſuos cohortatus ruentes in ſe excipiebat hoſtes. Etſi primò quidẽ impetu, quoniã è monte in ſubjectos delati quaſi procellã dabant, parũper mota acies retulerat pedẽ: Mox tamẽ æquato prælio cùm acriter pugnaretur, hoſtes ſuperãtur, & in fugam vertuntur: quos Ruffus inſecutus, magnũ eorum numerũ occidit, cõplures etiam cepit, & in his Maſtini Præfectum, qui Dux fuerat copiarum. Poſt prælium unâ nocte iiſdem locis victores commorati, poſterâ Fucetium, inde Florentiam rediêre.

Ruſſus adverſus Maſtinum bellum recipit. Tarviſium. Patavium Maſtinus tentat. Bogolenta. Ruſſus nullam requiem permittit hoſti. Tyranni mens frangitur.

Nec multò poſt victoriam Ruffus, poſcentibus rebus, in Venetos profectus, ſummã belli adverſus Maſtinũ de ſociorũ ſententia recepit, geſſitq; cũ ſumma conſtantia & moderatione. Prima ejus militia ad Tarviſium fuit: quo in loco cùm hoſtes variè percuſſiſſet, in Patavinum inde agrum traductis copiis per paluſtria, impeditaq; loca improviſus advenit. Patavinum per id tempus Maſtinus tenebat, copiasq; in his locis habebat ingentes, quas tamen in Ruſſi adventu ſic intra munitiones continuit, ut pugnæ fortunam experiri non pateretur; ſperans à populationibus cohibendo, & commeatus impediendo, citra ullum periculum ſeſe hoſtem averſurum. Ruffus igitur detrectantibus pugnam hoſtibus, magnâ difficultate per interrupta itinera cum exercitu profectus ad Bogolentam poſuit caſtra. Eum locum acri conſilio Ducis electum conſtat, quòd foſſam ſecus habet navigabilem, per quam commeatus poſſit afferri, nec amplius ſeptem paſſuum millibus Patavio abeſt, loco idoneo ad bellum inferendum. Ibi ſtativis, vallo & foſsâ in antiquum morem, communitis, nullam requiem permittebat hoſti, ſæpè improviſo impetu portas ad uſq; diſcurrens: ſæpè ſigna inferre audens, ſæpè ingreſſum attentans: quibus rebus adeò mentem ſimul viresq; Tyranni fregit, *ut, qui paulò antè de occupandâ Hetruriâ cogitarat, tunc ſolicitus eſſet, de patrio ſolo retinendo.*

Aretini premũtur. Aretini Saconẽ adeunt ut eum civitatis miſereat.

Dum hæc in Venetis geruntur, Aretini indies magis premebantur, cũ ad Peruſinum bellum, per ſe magnum, Florentinum inſuper bellum acceſſiſſet, Tiferno Burgoq; amiſſis, crebrâ etiam Caſtrorum rebellione factâ, cives Saconem adeunt, rogãtq; uti eũ civitatis miſereat. Se quidẽ & duraſſe hactenus, & durare paratos; modò ſpes aliqua, & ratio belli gerẽdi oſtẽdatur. Sin deſperata ſint omnia, proſpiciat aliquãdo urbi de ſe nõ improbè meritæ, & pacẽ, ſi nõ bonã, attamẽ aliquâ cõditione civitatis præſtet. Ea cùm egiſsẽt cives, in ſuſpicionẽ Saconis venerũt. Itaq; ſtipatus armatorũ catervis nõ cives jã minus, quàm hoſtes formidabat, & quaſi deſperatis reb⁹

animum

animum cœperat ad conditiones traducere. Cùm Peruſini & Florentini, per ſe quisque, affectarent, ac in eo planè infida ſocietas eſſet, Saconem plurimæ ad Florentinos cauſæ magis inclinabant. Primum, quòd belli principia odiorumque acerbitates ſibi cum Peruſinis erant: Deinde quòd pleríque ejus inimici ſe illis conjunxerant: quibus inſtigantibus vix arbitrabatur fore, ut ulla ſibi conventa ſervarentur. Hæc verò in Florentinis leviora omnia. Et accedebat illa quoque ratio inprimis valida, quòd ipſe Florentinâ matre ortus è familia nobili, permultos propinquitate Florentiæ contingebat: quod plurimum videbatur ad ſecuritatem ejus attinere. His de cauſis ad Florentinos magis inclinatus eſt. Ipſi verò, quia clandeſtinos tractatus ea de re habitos cum Sacone à Peruſinis cognoverant, recipere conditiones feſtinârunt. Summa verò conventorum hujuſmodi fuit: Florentinus populus jus arbitriumque Aretii in decennium haberet; Sacon, agnatíve omnes Saconis Florentini cives imposterum forent; caſtella & prædia, quæ privatim habuiſſent, uti priùs poſſederant, ita poſſiderent. Præter hæc autem Saconi tradita XL. auri millia: Inſuper decem & ſeptem millia Aretinis mutuata, quæ conducto militi ſolverentur. Ita Tyrannus improbus pecuniam militibus, quos ipſe in cervices conduxerat civium, etiam poſt finitam tyrannidem, à civibus ipſis exolvendam providit. Quæ verò ipſe quaſi precium venditæ patriæ accipiebat, pro ſe retinuit.

Saco ad Florentinos inclinatur.

Conventa inter Florentinos & Aretinos.

Florentini Aretium ſuſcipiunt.

Poſt fœdus XII. ex primariis civibus Florentiâ miſſi urbem ſuſcipere cum ſumma populi gratulatione. In Aretinis enim (quemadmodum & in aliis Hetruriæ civitatibus) factiones erant duæ, earumque adverſatrix Imperii fautrixque Eccleſiæ (quos Guelfos dicimus) fuit major procul dubio, ac potentior multa per ſecula ſuo nomine Remp. gubernavit. Declarant ſocietates cum Florentino populo antiquiſſimæ ſanè, confeſtim poſt Federici Imperatoris mortem, initæ, quæ uſq; ad Arbienſem pugnã duravêre. In ipsa verò Arbienſi pugna (in qua Guelforum nomẽ in Hetruria penè deletũ eſt) conſtat publicis annalibus, Aretinos cũ Florentinis prælio interfuiſſe, ac plures ferè cæſos Aretinorum acervos, quàm illius * ſociæ civitatis.

Factiones duæ in Aretina civitate.

Guelfi.

In Arbienſi pugna Guelforum nomen deletum fuit.

** M S. Pal ullius*

Caroli poſt hæc nomen ab Aretinis ſtatim receptum fuit, & in partibus ita perſeveratum, ut neq; terror Corradini, neq; hoſtium victoria & cædes amicorum de mœnibus propè conſpecta à fide partium dimoveret.

Caroli nomen ab Aretinis recipitur.

Ortâ deinde poſt multos annos ſeditione inter nobilitatem & plebem, operâ maximè Guilgelmini Præſulis factio hæc Guelforũ Aretio pulſa ſe Florentinis cõjunxit, communiq; robore iis, qui in urbe remanſerant, intulerunt bellum. Quo tẽpore commiſſo apud Campaldinum prælio, Guilgelminus eſt interfectus.

Aretii ſeditio oritur inter nobilitatem & plebem.

Guilgelmini Præſulis opera Guelforum factio Aretio pulſa, ſe Florentinis conjunxit.

Campaldinum, Guilgelminus interficitur.

Poſt hujus Præſulis mortem Tarlatum genus præpotens opibus, gubernationem civitatis ſuſcepit. Eo Remp. tenente, factio illa expulſa variis temporibus in urbem reſtituta eſt, nunquam * tamen integra: ſed aliàs alii, principibus ſolùm, ac majoris potentiæ hominibus in exilio relictis. Suſceptâ igitur à populo Florentino urbe, & exules omnes redierunt, & factio illa dudum peſſumdata ſe confeſtim erexit, ac jam demto Tyranni metu liberis vocibus gratulabantur. Ut verò in conſtituenda Rep. Priores populi, ac Vexillifer juſtitiæ creati ſunt (quorũ * officiorum ne nomina quidẽ Tyrannus eſſe in civitate paſſus fuerat *) tãta repentè lætitia eſt coorta, vix ut lacrimæ præ gaudio tenerentur. Ita lætis tunc animis Aretini primùm in Florentini populi jus poteſtatemque venêre.

Tarlatum genus gubernationem Aretii civitatis ſuſcepit.

** nuſquam M S. pal.*

In conſtituenda Repub. Aretina, Priores populi ac Vexillifer juſtitiæ creantur.

** non aderant in M S. Palat.*

At Peruſini hoc Florentinorum factum graviſſimè ferentes, cùm ſe deluſos * planè circũventos q; putarent, Legatos confeſtim Florentiã miſêre, qui & quererẽtur injurias, & bello parta ſecundũ fœdus repoſcerẽt. Hi Magiſtratũ cùm adiiſſent, poteſtate dicendi factâ, orationẽ hujusmodi habuere. Adventus noſtri cauſam, ô Florẽtini, ſilentibus etiã nobis palàm eſſe omnibus arbitramur. Quis enim, q modò pacta conventaq; inter populos norit, nõ & à vobis contra fœdus magnificè ventũ, & nos ferre non debere eã contumeliã intelligat? *Nempe durũ eſt, contẽni à ſocio, ſceleratũ deſtitui propè ſacrilegiũ oppugnari.* Quid ergò ſpoliari ſimul & contumeliâ affici? Ita nuper fœdus ictũ eſt civitatib⁹, ut neq; pax fieret ulla cũ hoſte, niſi de ſociorũ volũtate, & cũcta bello parta forẽt cõmunia. Hæc jurata religioſè, ac talib⁹ literiſq; firmata, utrũ tãdẽ patiũtur vos ſic Aretiũ ſuſcepiſſe? vel teſtãtur id à vobis fieri nõ potuiſſe ſalvâ religione & fide? Nobis profectò hæc eo gravior Injuria videtur quo minus facti eſt ulla defenſio. *Nã ex libidine cõtra fœdus venire, id eſt ſocios pro nihilo ducere.* Quod enim, quæſumus, diffugiũ, aut q̃ defenſionẽ quiſq̃ veſtrũ aſſumat? Defiiſſe nos eſſe in

Aretini lætis animis in Florentini populi poteſtatem venerunt.

** M S. pal. depulſos.*

Legatorum Peruſinorum oratio ad Magiſtratum Florentinum.

armis?

armis? At nunc etiam ſumus. Serò acceſſiſſe ad bellum? At prius, quàm vos, inferre cœpimus. Nullius mometi fuiſſe milites noſtros? At nihil terribilibus erat hoſti. Profeciſſe parũ? At plurima & muniтiſſima cepimus loca, *Quæ igitur contemnendi cauſa fuerit, cùm nulla fuerit conquerendi?* Atqui ſi verum audire non piget, non tàm de Tyranno, quàm de nobis, Florentini Aretium accepiſtis. Sacon (credo) vobis ſponte dedit, benevolentiâ (ſe ipſum *) ut fit, utque Tyrannorum eſt mos, poteſtatem exuit, vobis conceſſit: Nihil profectò dici poteſt minus. Nos, nos inquam ad hoc invitum repugnantemque compulimus Tyrannum: nos hanc vim neceſſitatemque attulimus: (à nobis circa urbem opida illa ademta ſunt *) A nobis crebro incurſu noctu dieque vexatus ſpem reſiſtendi omnino amiſit. *Quis igitur autor eſt facti? qui compulſus eſt, an qui compulit?* Iſte credo, niſi fortè qui de navi jactat, cauſam ſibi non tempeſtati putemus conſignandam. Quod ſi autóres ſumus, ut apparet, *quanta injuria eſt, nos his rebus, quarum ipſi cauſa ſumus, ſpoliare pergere?* Venatores mediusfidius, etiam ii quibus nulla inter ſe eſt, ſocietas, *ſi feram è ſilvis à ſe primò excitatam perſequantur, ea fortè ab aliis capiatur, reddi lex & mos gentium jubet. Nihil enim indignius viſum eſt, quàm alieno labore parta retinere.* Quid ergò vos, & ſocii, & jurati? nónne indigniſſimum eſt, ſi ne in communionem quidem prædæ à nobis excitatæ et perſecutæ nos admittatis? At non vult hoſtis in tuas manus devenire: Ad hoc ſcilicet in ſocietatem coivimus, ut voluntatem hoſtis ſpectaremus? Porro ne illud ipſum, quod nunc facit, vult: ſed vi ipſâ compellitur. *neceſſitas enim omnia frangit. Quid autem minus convenit, quàm voluntatẽ hoſtium attendere, ſociorum negligere? Viri ſapientes nullâ in re humanâ neq; maiorem, neq; ſanctiorem fidem, quàm in ſocietatibus exegerunt. Nam ſi in ſocio fides violatur, quid iam in vita ſtabile ſuperſit?* Itaque aliarum ferè litium iudicia quodammodo privata ſunt, nec aliud ferè quam pecuniæ damnum in illis verſatur: *Pro ſocio autem iudicium in caput tranſit. Nuſquam enim integrum hominem haberi leges voluerunt eum, qui non integrâ fide ergà ſocios fuerit adinventus:* à teſtimonio, à curia, à foro, à publicis honoribus, ab humana denique ſocietate repellendum illum amovendumque conſuerunt. Quo magis eſt à vobis, Florentini, etiam nunc conſiderandum. *Non enim quid concupiſcat animus; ſed quid fas & jura ſinant ſpectare debetis.*

* MS. Pal. non hab.

* in utraque MS. Pal non erant.

Magiſtratus Florentini reſponſio.

Legati quidem Peruſinorum ita dixerunt. Florentinus verò Magiſtratus, quoniam oratio, quàm decebat, arrogantior viſa fuerat, ne momento quidem temporis differre reſponſum ſtatuit, ne intercapedo ipſa ullâ ex parte minueret dignitatem. Quare ad Legatos converſus audacem, inquit, verborum copiam ſemper vobis, Peruſini, adeſſe, & antea quidem ſciebamus, & nunc oratio veſtra manifeſtè oſtendit. Neceſſe autem fuerit in reſpondendo noſtram parumper conſuetudinem intermittere, veſtram aſſumere. *Nam atrociter objecta placidè repelli non debent.* Sed antequam de jure fœderis diſputemus, quod violatum à vobis eſt, Peruſini, non autem à nobis: refutanda videtur illa jactãtia, quâ vobis totũ belli opus, quaſi nos nulli aut nuſquam fuerimus, tribuiſtis, cujus id fuit immoderationis, & de nobis, & ad nos iſta dicere? cujus præterea vanitatis? An quid vobis ſperare unquam licuit * de Aretinis, ſi nos ſedentes certamen veſtrum quaſi de theatro quodam ſpectaſſemus otioſi? Nempe quid veſtræ, quidvé illorum poſſent vires prælium inter vos initum patefecerat. Superatis, fractis, atque fugatis vobis, cùm Aretini victores circum mœnia obſtreperent veſtra, opem tulimus indigentibus, quâ ſervati eſtis. Audetis ergò vos ſolos confeciſſe bellum dicere? quibus niſi opitulati eſſemus, bello ipſi vos eratis confecti? (De nobis, inquit, Aretium cepiſtis *) O arrogantiam ſingularem! O verborum audaciam non ferendam! Nóſne de vobis cepimus? Ipſi nulla pars belli eramus? Et quid mentes Aretinorum fregit? Quid deſperationem reſiſtendi attulit, niſi bellum à nobis illatũ? *Cùm veſtrum ipſi per ſe longè contemnerent bellum.* * Jactate, in verbis quantum libet! Nam id quidem perfacile eſt: *levitas tamen verborum non mutat factorum gravitatem*, Venio nunc ad ſocietatis fidem, quam à nobis violatam dicitis, cùm id ſit veſtrum. Audete negare, ſi poteſtis, ſecretos cum Sacone de accipienda urbe tractatus habuiſſe, nuncios & literas ea de re clàm ad eum miſiſſe, voluiſſe accipere, ſi potuiſſet fieri. Quæ cujus fidei ſunt, Peruſini? cujus integritatis? *Fides in ſocietatibus nullâ magis re, quàm voluntate, & animo violatur Nam factum quidem perinde haberi ſolet, uti propoſitum fuerit agentis.* Mens & voluntas pro ſcelere eſt, conatus fraudandi turpitudinem contrahit, qui cùm fuerit in vobis, quid

* licent MS. Pal.

Aberant è Pal. MS. utroque, Sed meritò reſtituenda.

* Iſta iterum decrant in M. Pal.

Levitas verborum non mutat factorum gravitatem.

quid nunc objicere audetis? *Levius eſt à nobis factum, Peruſini, quàm à vobis attentatum:* propterea quòd vos eo tempore tentaſtis, cùm integra erat ſocietas, nos eo tempore fecimus, cùm veſtrum jam ſcelus, & fraudandi conatus omne ſocietatis vinculum, juraque diſſolveret. *Nam perfido fides ſervanda non eſt.* Quid enim facere nos oportuit, cùm per fraudem vos conari adverſus ſocietatis fidem ſentiremus? Nonne contra dolum & conatum veſtrum nos communire? Nonne fraudem ante veniendo excludere? Hoc nos fecimus, à vobis edocti, qui per nos ipſos optimâ fide quieturi fueramus. *Non poteſtis de eo facto à ſociis juſtè conqueri, quod vobis in ſocios licere ſtatuiſtis.* Si igitur viri ſapientes nulla in re humanâ neque majorem neque ſanctiorem fidem quàm in ſocietatibus exegerunt: ſi nusquam integrum hominem haberi eum leges voluerunt, qui non integrâ fide erga ſocios fuerit adinventus: Si ab humana denique ſocietate repellendum amovendumque cenſuerunt: videte, quanta vos maneant, Peruſini, qui tam gravi legum ſapientumque cenſuræ obnoxii reperiamini. Nam factum quidem noſtrum legitimam habet defenſionem, cùm vos jam ſocietatis jura fraude veſtrâ ſuſtuliſſetis. Veſter autem conatus, quo minus infamiam contraxerit, defendi non poteſt. *Quanta igitur dementia eſt, veſtrum & crimen verbis augere?* Circumſpicere vos oportuit, Peruſini, & quid loqueremini & ad quos, magis attendere. *Nam impudentia iſta verborum non turpitudinem occulit, ſed acerbat. Quis enim ferat objectantem, quod ille ipſe, qui objectat, commiſit?* Perverſa in oratione veſtrâ impudentia fuit: Bellum vos confeciſſe ſolos dixiſtis, cùm id ſit noſtrum: fraudem à nobis commiſſam, cùm id ſit veſtrum. At communionem ſaltem poſtulamus! Non habet eam vim Legatio veſtra, ut ita * poſtulet, ſed ut nos jurgio laceſſat, ut contemnat, ut nullam in partem belli fuiſſe utiles redarguat. Ad hoc, ut apparet, totum legationis veſtræ propoſitum convertiſtis. Nam qui ex jure poſtulant, neque maledictis, neque contumeliâ potiùs, quàm honeſtis verbis, præſertim ad civitatem loquentes, uti conſuerunt.

Perfido fides ſervanda non eſt.

**iſta MS. Pal.*

Cùm dicendi finem Magiſtratus feciſſet, & qui aſſidebant cives, pro ſe quisq; caſtigando mitigarent, lenioribus tandem verbis tractari res cœpta eſt, & utrinque jam rationes auditæ. Denique inter has civitatum diſcordias quoniam dijudicari poſſe videbatur, adhibita eſt mediocritas quædam, ut Peruſini Licinianum, Sabinum, Florianum, Anglare opida Aretinorum tenerent, ac Magiſtratum quinquennio Aretium mitterent, ad quem ex judiciis provocatio eſſet. Et res quidem Aretii diſcordiæque, & bella in hunc modum cecidêre. *

Licianum, Sabinum, Florianum, Anglare, Opida ſunt Aretinorum.

**concidere MS. pal*

Lucenſe jam negotium reſtabat magis porrò difficile, nec in Hetruria ſolùm, verùm per Galliam quoque transpadanamque regionem variè implicatum. Principio igitur inſequentis anni Maſtinus, quoniam & captum Aretium, & auctas in Hetruria Florentinorum cognoverat opes, Accium quendam è ſuis Ducibus cum novo equitatu Lucam dimiſit. Is equitatus ad veterem additus, cùm ſatis magnum numerum confeciſſet, movit hominum ſtudia, mentesq; erexit. Itaque Florentini paratis confeſtim copiis, ſociorum quoque auxiliaribus arceſſitis, magno exercitu Lucenſem agrum ingreſſi, omnia ferro igneque popularunt. Hoſtis impar tantæ multitudini ſigna conferre abnuit: Opido tantùm & mœnia tutabatur. Eam ob rem pugna nulla commiſſa eſt, populationes modò latè actæ.

Lucenſe negotium.

Maſtinus Accium è ſuis Ducibus Lucam dimittit.

In Gallia verò cùm in ſumma res eſſet ſpe, cuncta repentè turbavit Germanorum ſeditio. Maſtinus enim virtutem Ruffi metuens grandi mercede à Germanis equitibus, qui ſub Ruffo militabant, redemerat, ut interfecto Duce ad ſe tranſirent. Sed dum maturantur inſidiæ, res interea patefacta eſt, lataq; hujus facinoris conſcii ad mille Germani equites, facto repentè globo, ac igne pluribus locis, ne quis perſequi poſſet, per tabernacula injecto, ad hoſtem transfugêre. Erant in caſtris ante hæc transfugia Florentinorum Venetorumque ſupra quinque millia equitum. Reliqua ergo multitudo, refectis caſtris, eodem loco perſtitit, nec Dux ſuo caſu perterritus eſt, quo minus ſolitâ viveret uteretur que fiduciâ. Jam cæteri Galliæ principes ruinam Maſtini ſperantes in ſocietatem coierant, & quantum nunquam antea copiæ Mantuano in agro cogebantur, Mediolanenſium, Ferrariēſium, Mantuanorum. Ad hos Ruffus Marſilium fratrem cum duobus millibus quadringentis equitibus miſit: ipſe cum reliquis apud Bogolentam remanſit in caſtris. Copiæ ſociorum ubi coactæ ſunt, ex Mantuano in Veronenſem tranſiverunt agrum. Harum ſumma penes Lucinum Vicecomitem omnium ſociorum conceſſu habebatur.

Germanorum ſeditio.

Germani equites ad mille ad Maſtinum transfugerunt.

Transfugia Florentinorum & Venetorum ſuper quinq; millia equitum.

Marſilius Ruffi frater

Bogolenta.

Lucinus Vicecomes.

Igitur Lucinus Veronæ admotis copiis, ſedem ipſam, ac domum Tyranni p[illegible] quo milite quatiebat

Carolus Johannis Regis filius, Feltrum. Bellona.

Eodemque tempore Carolus Johannis Regis filius alia ex parte adveniens, Feltrum, & Bellonam Maſtini urbes invaſit.

Tyranni periculoſum ſed ſtrenuum conſilium.

Tertia Patavium caſtra premebant. Quibus circumventus malis Tyrannus periculoſum quidem, veruntamē ſtrenuū ſumit cōſilium. Veronâ egreditur cū omnibus copiis. In his equitum fuerunt ad tria millia, peditū multitudo ingens, cæterū urbana & inexercitata. Cum his ad hoſtem ferociter profectus, aciem in conſpectu ſtruxit, poteſtatemq; dimicandi fecit. Lucinus, etſi longè præſtabat equitatu: tamen neq; in aciem copias producere, neq; fortunam pugnæ experiri voluit. Quæ res hoſtium * animos, ferociamq; adauxit: ſuorū verò ita fregit mentes, aliis alia ſuplcantibus, ut conſilium ſumerent diſcedendi.

Lucinus fortunam pugnæ experiri non vult.

** Hominum MS. Pal.*

Hoc incendio domi reſtincto Maſtinus, quaſi ſecundam tempeſtatem nactus, in Patavinū agrum copias traduxit, ac tribus paſſuum millibus infra Bogolentam ipſo in flumine caſtra fecit, eo conſilio, ut commeatum impediret, ſimulq; ut cæteras copias, quæ cum Marſilio aberant, redire in caſtra prohiberet. Rex erat jā in anguſto. Nam & deſperatum erat fortunā prælli tentare illâ paucitate copiarum: & deſperatū manere intercluſo commeatu. *Sed ingenium multa reparat invictum.* Cùm enim animadverſum eſſet, Maſtini copias ex hoc eodem flumine, nec aliunde aquandi facultatem habere, ſuis ipſum artibus Ruffius aggreditur. Herba eſt in his locis amaro nimium ſucco, Hanc milites juſſu Ducis quæſitam comportatamq; in ripa * fluvii conterebant, in aquam projiciebant. Ea ſecundo curſu ad caſtra hoſtium delata horrendoq; ac tetro ſapore aquā inficiebat, ita ut nec hominibus, nec equis utilis eſſet. Qua difficultate ad extremum victus hoſtis, irrito cœpto abſcedere coactus eſt.

Ingenium invictum multa reparat.

Ruffus Maſtini copias aggreditur.

Herba amaro ſucco in aquam projicitur.

** Inuuiam MS. Pal. Sed incómode.*

Ruffus poſt hæc cōjuncto fratre Patavio copias admovit. Patavii erat Albertus Maſtini frater, natu quidē major, ſed nequaquā pari autoritate. Hunc Patavini oderant cuncti, *ſed metus, ut fit, populum cohibebat.* Stante igitur ad portas Ruffo omniaq; tentante, tandem cives corripiunt arma, domumq; Tyranni invadunt: Ruffum ante cum exercitu intra mœnia admittunt. Autor autē hujus defectionis rerūq; novarū fuit Ubertinus Catta, longè nobilitate & potentia princeps. Hic urbē Tyranno primùm dederat, coactus civili diſſenſione: poſt multa atq; gravia ab eo perpeſſus, hanc liberandi viā cogitarat. Præſidiū omne Tyranni à Patavinis oppreſſū eſt: (Ipſe verò captus & Venetias miſſus *) Verùm hanc lætitiā felicitatemq; victoriæ haud multò pòſt turpavit ipſius Ruffi obitus. Etenim compoſitis Patavii rebus, Silicem opidū expugnare adortus; cùm in ipſa porta committeretur prælium, ac vi perrumpere milites conarentur, opidani verò contrà pugnarent, Ruffus ex equo proſiliens, pedes ad primos ſuorum convolavit. Ibi ſuos adhortanti, manum etiā conferenti, cum undiq; tela volitarent, haſtâ ſupra femur tranſfigitur: qua divulsâ cùm hoſtem in ſeſtius irritatiusq; urgeret, in foſſam proſiliit, ac per eam in opidum tranſire perrexit. Hic madefactum vulnus exarcerbatū eſt. Itaq; paulò pòſt relatus Patavium e vita migravit.

Albertus Maſtini frater

Patavinorū defectio.

Ubertinus Catta.

Tyrannus capitur, & Venetias mittitur.

** In MS Palat non habebantur.*

Ruffus haſta transfigitur.

Marſilius frater moritur.

Marſilius quoq; alter frater morbo, quem primò contraxerat, & dolore germani, paucis poſt hæc diebus moritur. Horum mors Florentinorum Venetorumque turbavit animos, magnisq; ſunt illis ab utraque civitate honores impenſi. Nam eorum virtute maxima pars belli exiſtimabatur confecta.

Brixia à Maſtino deficit.

Brixia fermè per hos ipſos dies à Maſtino defecit: eā Mediolanenſis potitus eſt.

Proximo de hinc anno Venetorum Florentinorumq; copiæ in agrū Veronesē traductæ, non longè ab urbe caſtra fecerunt. Aliquot dies cōmorati, cùm & caſtella quædam munita cepiſſent, ac hoſtium vires pluribus locis attriviſſent, tandem majori conatu Vicentiam obſederunt.

Vincentia obſidetur.

Maſtinus cùm in deterius rem labi cerneret, capto fratre, amiſſis magnis quatuor urbibus, multisq; cum his opidis, Vicentia finitima in periculo conſtituta, ſibi jā ipſi diffidens, oratores de pace ad Venetos miſit. Veneti autem & ipſi per ſe proclives erant ad pacem, & accedebat publicè Maſtini deprecatio, privatim autem multorum amicitiæ. Itaq; pax tandem illi à Venetis data eſt, ea conditione, ut Tarviſium Tarviſinumq; agrum Venetis dimitteret. Florentinis verò id modò cautum, ut ſi in pace venire ipſi vellent, Piſciam & Bugianum de hoſte acciperent, cæteraque Lucenſis agri caſtella, quæ poſſidebant, retinerent. Exulibus verò Lucenſium, qui cum Florentinis Venetisq; in eo bello fuiſſent, in urbem Lucam redeundi jus foret. His

Maſtinus oratores de Pace ad Venetos mittit.

Pax à Venetis Maſtino datur.

Tarviſium.

arcanee

arcanè compoſitis per legatos Florentiā miſſos,& ſe pacem velle dixerunt,& conditiones protulerunt. Proinde ſi pax Florentinis placeret, ea affore, quæ pacti eſſent: ſin magis bellum,hoc etiam eorum arbitrio permitti.

Hoc Venetorum factum pergrave viſum eſt Florentino populo: Sed ad curam deligendi neceſſitas ipſe vocabat. In eo conſultationes variæ frequentesq; habitæ. Remanere Tyranno Lucā, quā nuper Florentinis per fraudē ademiſſet, cujusq; gratiā ipſi bellum ſuſcepiſſent, turpiſſimum videbatur, ipſaq; vicinitas nihil firmi habitura. Contra verò, ſi bellum continuarent ſoli, arduū ſanè ac difficile, præſertim tot ſumtibus defeſſis, exiſtimabant fore. Et invitabat Piſcia Bugianūq; duo Lucēſis agri oppida: quæ ſi reciperentur, infirmior Tyrannus ad bellum videbatur futurus. Hæc tādem vicit prævaluitq; ſentētia, miſſisque ad Venetos legatis mandatū eſt, pacem ut maximè improbarent, ac diſſuadere conarētur. Quòd ſi perſtarēt in ſentētia Veneti, conditiones, quoad fieri poſſet augerent, pacē tandē oblatā reciperent. Legati fuerūt Franciſcus Pactius, Alexius Rinutius, Jacobus Albertus. Ab his Legatis nihil profectum eſt, obſtinatis ad pacem Venetorum animis. Itaq; pax eſt tandem iiſdem, quibus convenerat priùs, conditionibus recepta.

Florentini miſſis Legatis ad Venetos pacem cum Lucenſibus diſſuadent.

Franciſcus Pactius, Alexius Rinutius Iacobus Albertus Legati.

Poſt hæc liberæ civium mentes nō à bello tantùm: ſed etiam à ſuſpicione belli conquierunt, niſi quòd Maſtinus per finem quaſi ejus anni Lucam venit. Et quidem adventus etiam in pace formidabilis erat: Verùm ille paucis diebus Lucæ commoratus, nullâ penitus innovatâ re in Galliam rediit.

Maſtini adventus etiam in pace formidabilis.

Proximo dehinc anno, qui ſub recentem fuit pacem, nihil memoriâ dignum à civitate geſtum comperio. Auguria tamen permulta & fœda, futuras inde portendebant clades. Tacta eſt enim de cœlo turris ædium publicarum. Tacti ſunt etiam muri urbis. Porta quoq; Bononienſi viâ fulmine icta, & tres illic homines exanimati.

Auguria multa & fœda.

Meſſes eo anno tenuiſſimæ famē haud dubiè minabātur. Ea ſolicitudo perpulit ad capita hominū dignoſcēda, ut quāto importatu opus foret, cerneretur. Cenſu igitur habito reperta ſunt civium capita intra urbem degentium nonaginta millia.

Civium capita intra Florentiam degentium nonaginta millia reperiuntur.

Sequitur annus trecenteſimus quadrageſimus ſupra mille. Hic annus inſignis fuit multarum rerū novitatibus. Principio Cometes in cœlo viſus hominū mentes ſuperioris anni auguriis pavidas, magis conterruit. Nec vanū id præſagiū fuit. Secuta enim mox peſtis, non per urbem modò: verùm etiam per agrum, fœdâ ſtrage, magnā vim hominum abſumſit, nec adoleſcentes tantùm, ſed profectos ætate, & aliquot in Rep. inſignes, ſedecim millia urbanæ multitudinis extincta per eā peſtem tradunt.

Ann 1340.

Cometes in cœlo.

Peſtis ſedecim millia urbanæ multitudinis abſumſit.

Vergente jam in hiemem anno, cùm ea peſtis deſeviſſet, novæ res inter cives coortæ majorē in modū quaſſarūt civitatē. Caput verò ſeditionū hinc fluxit: Magni quidā è plebe homines, nec hi qdē multi admodū numero, cæterū plus æquo ſibi arrogantes Rēp. pro arbitrio gubernabāt, impoſitoq; ad bienniū peregrino Magiſtratu homine crudeli, & cūcta pro libidine illorū miniſtrāte, omnib⁹ nimirū erāt terrori. Affecti ab hoc injuriis multi: ſed inſignes eâ tēpeſtate familiæ duæ, Bardi Freſcobaldi. Qua indignatione cōciti principes earū familiarū conjurarunt, ut raptis ſubitò armis Magiſtratū ejusq; fautores adorirētur. Cùm patrandi dies adeſſet, res ad Priores delata eſt. Itaq; populus cōfeſtim quaſi nobilitas adverſus eū inſurgeret, ad arma vocatur. Cōtrà verò ea pars nobilitatis, cui periculum parabatur, raptis & ipſa armis trans Arnu loca tenebat, pōtesq; ſtationib⁹ poſitis tutabatur; ſperās, ſi auxilia ſupervenirent externa, facilè inde in reliq̄ urbē evadere poſſe. Ea formido movit populū, ut eorū ſpē cogitataq; præverteret, itaq; inſurgēte trans Arnū plebe, cis Arnū quoq; magnâ manu per infimū pontē irrupente, impetus fit in cōjuratos. Ex hoc illi paulatim recedere, ac pedē referre cœperūt, circaq; ædes proprias magis cōglobari, quoad amiſsâ tandē ſpe, nocte proximâ urbe exceſſerunt. Poſthæc populus arma depoſuit, ac judicio acta res. Poſtulati enim de vi publica, cū nemo cōpareret, abſentes dānantur, ædesq; illorū magna urbis deformitate ſubverſæ. Deniq; eò usq; proceſſum eſt ſeveritatis, ut vel diligēs opera degnata ſit, ne qua ſociorū amicorúmve civitas profugos reciperet. *Quod malo conſilio factū, haud multò pòſt non contēnendū Reip. attulit detrimentum.* Excluſi ſiquidem ac repulſi à civitatibus amicorum contra voluntatem propoſitumq; animi, multa Deum hominesque teſtati, tandem coacti ſunt, ſeſe ad Piſanos conferre: quæ res ſecutis mox certaminibus multum obfuit civitati. *Cives enim ſic odendi ſunt, ut tamen cives illos eſſe meminerimus.*

Seditio nova Florentiæ.

Bardi. Freſcobaldi.

Conjuratio Principum familiarū duarum.

Abſentes damnantur, adesq; eorum ſubvertuntur.

Excluſi & repulſi ſe ad Piſanos conferunt.

Turbatam domi Remp. externum mox excepit bellum, Parmam enim per hoc tempus Accius quidam Parmenſis ē ſ[illegible] & ipſe nobilitate à Maſtini domina-

Bellum externum.

Inter Veronenſes & Mantuanos bellum renovatur.

tua vertit, auxilio fretus maximè principum Mantuanorum. Itaq; & bellum confeſtim inter Veronenſem, Mãtuanumq; renovatum eſt: & quia acceſſus ad urbem Lucam per agrum Parmenſem Maſtino fuerat, præciſâ jam eâ facultate apparebat, Lucam teneri ab eo non poſſe. Ea res Florentinos Piſanosq; ſimul erexit ſtudio Lucæ potiundæ. Duæ erant conficiendi viæ, una belli: altera pactionis. Bellum quò minus Florentini ſuſciperent, obſtabat novæ pacis autoritas. Et ſimul erat metus, ne ille indignatione ex bello cõceptâ ad Piſanos inclinaret. Itaq; ut minus glorioſa: ſic magis viſa eſt pactionis via.

Maſtinus Lucam venali haſtæ ſubjicit.

Quare viginti viri ad hoc ipsũ cũ poteſtate publica creati, hãc viãm ſecuti sũt. Sagax verò Tyrãni mens cùm civitatũ deſideria odoraſſet, Lucã venali haſtæ ſubjectâ licitationem augebat. Primũ igitur certamen de precio fuit, de quo ità contendebatur, ut appareret, qui pecuniâ ſuperati foret, eós ad arma ituros.

Florentini offerunt CCL. millium.

Tandem cùm plus offerret Florentini, *Tyrannus velut libra ad pondus inclinavit.* Summa licitationis fuit CCL. milliũ. At Piſani ſimulac rẽ ad Florentinos inclinare ſenſerũt, in arma vertũtur. Urebat enim propinquus Florẽtinorũ metus:

Lucinus Vicecomes, Accio defuncto in principatu ſucceſſit.

Et faciebat animos ꝙ Lucinus Vicecomes (is enim Accio nuper defuncto in principatu ſucceſſerat) cæteriq; per Galliã Maſtini hoſtes magna ultrò pollicebãtur auxilia.

Piſani Lucam circumſident. Fucetium.

Itaq; Mediolanẽſium, Mãtuanorũ, Parmẽſiũ, Patavinorũ auxiliarib⁹ acceptis, ipſi domeſtico equitatu peditatuq; affatim addito Lucã circũſedere. Id poſtq̃ à Florẽtinis intellectũ eſt, (nec erat jã dubium, quin ea res ad arma ſpectaret) ſuas & ipſi copias expediunt, ſociorũ amicorumq; auxilia rogant. Profecti cũ omnib⁹ copiis ad Fucetium conſtitere.

Florentini agrũ Piſanum populant.

Inde miſſis ad Piſanos nunciis, qui juberent Lucã abſiſtere, cùm illi nihilo minus perſtarent, ac propè inexpugnabiliter caſtra cõmuniſſent; conſiliũ cepere Piſanũ agrum pervadendi. Itaq; Arnũ transgreſſi Piſas duxerunt, ac omnia circũ urbẽ longè lateq; popularunt. Loca etiã quædã munita ceperunt. Sed neq; terror urbis neq; vaſtatio agri, neq; caſtellorum expugnatio Piſanorũ obſtinatã mentẽ infringere valuit, quin perſtantes in obſidione durarẽt. Itaq; cùm nihil per eã viã ſe profecturos Florentini viderent, & imbres propè continui per hos ipſos dies quaſi deditã operã turbarẽt, retrò ad Fucetiũ duxerũt. Maſtinus inter hæc per legatos poſtulabat, uti ne jã ultra differrẽt, Florentinus Lucã accipere, pecuniã ſolvere. Ea res agitata ex integro eſt, variantibus ſententiis civium. Neq; enim dubium erat, quin honeſtè reſilire à pactione liceret, urbe obſeſsâ & caſtellis à Piſanis quibusdã captis. Itaq; illud ipſum jã liberè in conſultationẽ veniebat, ſuſcipiendáne foret Luca, ſic obſeſſa, an totum hujusmodi cœptum relinquendum? Vicit tandem ea pars, quæ ad dignitatem potior videbatur, *quaſi turpe eſſet cœptum omittere.*

Luca à Florentinis LXX. millibus de priori ſumma detractis recipitur.

Illud modò proviſum aſſentiente Tyranno, ut ob præſentes difficultates LXX. millibus de priori ſummâ detractis, Luca uti tunc erat, ita reciperetur. Horum gratiâ obſides dati adoleſcentes primarii, Ferrariæ manſuri, donec promiſſa complerentur. Solutionibus verò laxata intervallis tempora.

His conventis ſolenniter firmatisq;, quod reliquum erat ad ſuſcipiendam urbem ire placuit. Profecti cùm omnibus copiis in colle, qui Lucæ imminet, caſtra fecerunt. Piſani ante Florentinorum adventum trina circum Lucam muniverant caſtra. Tunc autem ob præſentiam hoſtis ſe contrahentes in una magis parte continebant. Ea res facultatem noſtris præbuit urbis recipiendæ. Quare delectis è toto exercitu equitibus trecentis, quingentis verò peditibus, dedito inter ſe ſigno, unũ ſub tempus & à Luca, & à Florentinorum caſtris ad munitiones Piſanorum impetum fecerunt,

Florentini Lucam intrant. Iohannes Bernardini filius Medix, Naddus Oricella, Ricciardus Riccius Legati pecunia perſoluta, Urbẽ arcemq; ſuſcipiunt.

hisq; ab ea parte disjectis Lucam intrarunt. Cùm his copiis legati tres ad recipiendam profecti Johannes Bernardini filius Medix, Naddus Oricella & Ricciardus Riccius. Hi pecuniã (ſic enim convenerat) Maſtini militibus qui in præſidio fuerant, perſolutâ, urbem arcemque ſuſceperunt.

Receptâ igitur Lucâ ingenti lætitiâ & gratulatione de tutanda jàm cogitabatur. Præſidium erat validum, urbs munitiſſima, rerum ſuppeditabat copia, itaq; vel lentâ expectatione perfringere licebat Piſanorum conatus, qui & duobus amplius menſibus ſteterant in obſidione, & quoniam receptâ jàm à Florentinis erat, fractis debilitatisq; iacebant animis. Sed vicit ſuperbum præcepsq; conſilium, nil actum exiſtimantibus, niſi hoſtis vi & manu pelleretur. Quare octavo poſt receptionem die, è colle, quo prius conſtiterant, deſcendentes, ad fluvium Auſerim fecerunt caſtra,

Pugna Florentinorum cum Piſanis. Piſanorum acies Triplici ſtàt præſidio.

procul ab hoſte non amplius mille paſſibus. Inde poſtri die primâ luce copias producunt, poteſtatemq; pugnandi hoſtibus faciunt. Piſani, cùm ſibi pugnandum viderent, partem valli ad Florentinos verſam ſuſtulerunt, foſſasq; complanarunt. Mox productis copiis aciem ſtruxere. Triplici ſubſidio Piſanorum acies ſtetit. Primum ante-

teſignani

teſignani equites ad octingentos delecti; Hos Sagitarii utrinq; cingebant: Poſt hos ſigna ſtabant cum omni robore virorum. Tertium fuit expeditum agmen, cui repri- 1.
mere obſeſſos, ſi fortè ex urbe in caſtra eruptionem facere conarentur, mandatum erat. Florentinorum verò duo tantùm fuerunt agmina: unum anteſignanorū, in quo

Florentinorum duo agmina.

1. fortiſſimi è toto exercitu delecti equites ad mille ducentos. Hos tria ſagittariorum
2. millia cinxerunt. Poſt hos ſigna cum omni robore equitum peditumq; affatim ſtructa. Ut igitur occinuerunt claſſica, terribili inter ſe congreſſi impetu conflixerunt anteſignanorum acies, dureq; & atrociter aliquandiu pugnârunt. Tandem ſuperantibus Florentinis, Piſanorū anteſignani terga verterunt, ſeq; ad majorē aciē, ubi ſigna ſtabant, receperunt. In eā quoq; velut procella quædā ſeciui victores primo ſtatim impetu ita turbârunt, ut & ſigna proſternerēt, & Ducē exercitus cū aliquot proceribus caperent. In his fuit Arrigus Caſtrutii filius, & ſupremi quidā Piſanorū, exules quoq; Florentinorum aliqui. Victoria haud dubiè parta erat, ſi alterū agmen proſecutum fuiſſet: Sed ſtetit immobile, nec poſt ſuos inceſſit. Itaq; quo magis retulerat plebem hoſtis, eo plus à ſuis disjuncta Florentinorum prima acies impar tantæ molis fuit. Quare conglobati ad extremum agmen Piſani, toto ſimul exercitu adverſus unam aciem dimicantes illam profligârunt. Alterum verò Florentinorum agmen nec ſe pugnæ admiſcuit, nec quenquam amiſit, ſed fugâ protinus arreptâ Piſciam aufugit. Ex prima verò acie plurimi cæſi captiq; ſunt. Fuerunt etiam, qui munitiones transgreſſi Lucam refugerunt. Captivi verò Piſanorum omnes ſervati, præter Johannem Vicecomitem Piſani exercitus Ducem, qui ad ſigna captus, ac inde ad majus Florentinorum agmen traductus in ipſa fuga Piſciam tractus eſt.

Dux exercitus Piſanorum capitur.

Arrigus Caſtrutii filius.

Piſani profligant Florentinorum aciem.

Alterū Florentinorū agmen aufugit.

Florentiæ confeſtim delatus rumor multò quàm fuerat, atrociora vulgârat: cæſum exercitum omnem, deletas funditus copias, ſigna ab hoſtibus capta murmur fuit. Sed ubi ſalva eſſe ſigna, ac ſupra duas exercitus partes incolumes eſſe auditum eſt, reſumtis rurſum animis ad ſtudium reparandarum virium convertuntur. Inprimis (*ut durioribus ferè in rebus fieri conſuevit*) ad Robertum Regem reſpicere, & aliquem ex regio genere cum auxilio poſtulare. Cū ea peterentur, ultrò Rex ipſe Lucā per Legatos de Florētinis repetiit, ſua dudū cū eſſet, ab Fagiolano per vim occupatam oſtendens. Nec latuit Florentinum populum, id eo conſilio ab Rege fieri, quo mittendi ſubſidii onus averteretur. Itaq; ſuis illum vaframentis aggreſſi, dedere ſe illi Lucam reſponderunt. Eam tamen ob rem non ultra motus eſt Rex, quàm ut legatos mitteret, qui ex autoritate regia agerent cū Piſanis, ut Lucā ſuam, utiq; veterē urbem, & nunc à Florentinis reſtitutam, oppugnare deſiſterent. Sed vana Regis poſtulatio vanioribus itē verbis deluſa eſt à Piſanis. Nullo enim alio reſpōſo dato, quā ſe de ea re Legatos ad Regē miſſuros, obſidionē pertinaciùs, quā antè sūt perſecuti.

Florentini Robertum Regem cum auxilii opoſtulat.

Robertus Rex Lucam per Legatos de Florentinis repetit.

Peridem tempus ſuſpicio ingens fuit apud Aretinos, ne Sacon rebus adverſis Florentini populi elatus, tyrannidem rurſus invaderet. Nam affectare quidem illum nemo dubitabat, quoniam antè regnare conſueſſet: Rediiſſe verò adverſarios in urbem, & ante oculos verſari ſuos, nonnunquàm etiam verbis inſectari, anxiè ferre putabatur. Creſcente igitur ſuſpicione cives Præſidē adeunt, periculum oſtendunt. Trahitur in ſententiam Præſes, & arma capere jubet. Illi correptis armis Saconem circumſiſtunt. Capiuntur multi præterea diverſæ factionis: multi ob eas ſuſpiciones ablegantur. Capitur etiam Lucæ Tarlatus Saconis frater. Is enim nuper cum aliqua manu equitum peditumq; in expeditionē Florentini populi profectus, cōmiſſo prælio inter anteſignanos egregiè dimicaverat: Qui poſtquam à Piſanis victores ipſi, ut diximus, victi ſunt, per medios hoſtium cuneos, ſibi viâ gladio factâ, Lucam aufugit, ibiq; cum cæteris obſeſſis remanſit. Hic quia expers omnis culpæ credebatur, & quia in prælio ipſo, & obſidione egregiâ virtute erat cognitus, honeſtiori genere captivitatis ſine carcere aſſervabatur. Itaq; non multò pòſt, dum unà cum Johanne Medice Præfecto præſidii extra Lucæ portā equitaret, concito repentè equo ad Piſanos trāsfugit. Ob eas res Sacon & agnati, qui cum illo capti erant, Florentiam ducti, carceri mancipantur: Bellumq; his de cauſis in Aretinis ſuſcitatum eſt, frequentibus illorum caſtellis rebellantibus ad id bellū. Ricciardus cācellarius, eques Piſtoriēſis, Dux miſſus armatâ Aretinorū multitudine, Bibienā cæteraq; Saconis caſtella infeſto milite populatus eſt, domosq; ejus familiæ intra urbē inſigni magnificētiâ ædificatas evertit.

Tarlatus Saconis frater capitur.

Ioannes Medices Præfectus præſidii.

Tarlatus ad Piſanos tranſfugit.

Ricciardus Cancellarius.

Dum hæc in Aretinis geruntur, Florentini in Lucam verſi, de ulciſcenda clade ſervandaq; urbe cogitabant. Cum ergo urgerent obſidionem Piſani, auxilia ab Re-

ge ſperatâ nequaquam eſſe ventura appareret, Florentini hoc regis factum graviſſimè indignabantur, & circumſpiciebant oculis, ſi quem aſſciſcere poſſent, in belli ſocietatem.

Ludovicus Romanus Imperator.
Tridentum.
Imperator Ludovicus cum Florentinis coire fœdus cupit.

Fortè per id tempus Ludovicus, qui Romani Imperatoris nomen inſigniaq; invaſerat, transmiſſis Alpibus redierat Tridentum. Ad hunc Maſtino autore adhortatoreq; Florentini Legatos miſerunt. Is ſingulari in Piſanos erat odio ob ſuperiorẽ defectionem, & coire fœdus cum Florentinis cupiebat. Erat quoq; Roberti Regis Pontificisq; Romani manifeſtiſſimus hoſtis. Sed tamen civitas indignatione accensâ, nihil non facturâ putabatur. Hujus rei indies ſuccreſcens fama multos conterruit, quaſi turbatis rebus, Florentini per Ludovici favorem à Roberto & Pontifice diſſidentes, bello tandem adverſus illos implicarentur.

Societates Florentinorum fidem abrumpere coguntur.

Societates Florentinorum permultæ ac maximæ in Roberti regno & Galliarũ partibus, integrâ ad eam diem fide, negotiabantur. Apud has magna pecuniarum vis cum jam pridem variis ex cauſis fuiſſet, unum ſub tempus, ob natum hinc metũ, repetentibus cunctis, fidem abrumpere coactæ ſunt cum incredibili dãno civitatis. Nec tamẽ coivit cũ Ludovico Florentinus. Et ſi enim res peropportuna videbatur: vicit tamen ad extremum partium reſpectus, ac per ſe potiùs conari ſtatuit. Quamobrẽ duo millia equitum mercede conducta: Ex Bononienſibus verò ac Ferrarienſibus ſexcentos, à Maſtino quingentos coëgêre. Ad hoc domeſtico equitatu peditatuq; addito magnũ exercitum comparârunt. Copiis autẽ ducendis, belloq; adminiſtrando præfectus eſt Malateſta Ariminenſis, vir per eã tempeſtatẽ inprimis clarus.

Malateſta Ariminẽſis præfectus.

Quarto Nonas Octobris accepta clades prælii fuerat. Legationibus mittendis apparatibusq; faciẽdis, cùm hiems interveniſſet, neceſſariò in futurũ ver expeditio eſt dilata. Id ubi venit, Florentiâ movẽtes, per Nebulã fluviũ ad hoſtẽ duxerunt. Cùmq; in cõſpectũ veniſſent, caſtra in colle ſupereminẽti fecerunt, procul ab hoſte quinq; millibus paſſuũ. Piſanis fortunã pugnæ nequaq̃ experiri propoſitũ erat ſeq; intra munitiones cõtinebant. Itaq; ſervandis * ſagaciter locis, tentãdisq; hoſtiũ animis, aliquot diebus cõſumtis, tandẽ in plana deſcendentes loca, aciẽ, caſtris hoſtiũ admoverunt, conati, ſi qua pellicere ad præliũ poſſent. Cũ verò à Piſanis nemo prodiret, ſatis ad ſpeciẽ actum exiſtimantes, perumpere in urbẽ aggrediuntu, cõmeatũque ad id paratũ importare. Munitiones & foſſæ ab hoſtibus de induſtria factæ impediebãt omnia, ut etiã ſine repugnãtia tranſeundũ ſi eſſet, difficillima tamẽ & anxia foret tranſitio. Hoſte verò cuſtodiente armato traducere impedimenta impoſſibile videbatur. Quare ad dextrã flectentes per Auſerim fluviũ tranſire cõtenderunt. His quoq; locis difficultates oriebantur. Duo erant pontes in Auſeri, quibus ad urbem iri poſſet: Horum utrũq; hoſtis tenebat, munimentisq; cõpræhenderat. Florentini ergò inter utrumq; pontẽ delecto loco, maximè contra urbem caſtra fecêre, eo conſilio, ut poſtridie ſtructi paratiq; vado trajicerent. Id eò facilius erat, quod amnis ibi ſciſſus in brachia inſulam facit, nec integer uno alveo, ſed imminutus diſtractusq; procurrit. Hac igitur ſpe quieſcentes lucẽ expectarunt, ſarcinasq; & cõmeatũ expedierunt, quæ in urbem traducerentur. Eâ nocte imbres aſſidui cadentes flumẽ ſic auxerunt, ut tranſeundi vado nulla eſſet facultas. Quamobrẽ quatriduo iiſdẽ in locis retenti, ſpacium dedêre hoſtibus adverſam illi ripã muniendi. Itaq; redeunte poſtea ſerenâ luce, alveoq; decreſcẽte, munitionib⁹ & concurſu hoſtiũ impediti fruſtra trãſire conati ſunt: Deſperatoq; demum tranſitu abſcedere compelluntur. Poſt hæc in agrũ Piſanũ transgreſſæ copiæ fœdâ populatione cuncta vaſtârunt. Sed Piſani nihilo ob eam rem commoti, in obſidione perſtiterunt, certâ jam fiduciâ urbis potiundæ.

** M S. Pal. Scrutandis*

Florentini à Piſanis deſperati abſcedere compelluntur.

Dũ hæc in Piſanis gerũtur, Aretinorũ exules, cõtractâ in unũ multitudine, paulò ante lucẽ ad urbẽ venerũt. Ibi locũ nacti cuſtodib⁹ vacuũ, quà fluvius ſecans mœnia in agrũ exit, urbẽ ſubitò intrârũt. Fuerunt autẽ hominũ ad tria millia, cũ urbẽ pervadere cœpiſſent, exciti eo tumultu cives arma corripiũt, ſeſeq; cohortãtes impetũ faciũt. Prælium fuit atrox, multæq; utrinq; cædes. Sed tãdẽ ſuperati exules, per ea ipſa, qb⁹ paulò intraverãt loca, præcipites agũtur. Capta ſunt de exulibus vexilla ſex præterea intercepti complures, de quibus ſupplicium eſt poſtea ſumtũ. Ceciderunt autẽ illo prælio Aretinorũ viri duo, quorũ virtute eâ nocte urbs plurimũ defenſa fuerat, Lucius Guaſco & Cincius Brãca. Hi cũ adverſ⁹ exules fortiter dimicarent, interfecti sũt: præterea optim⁹ quisq; & fortiſſim⁹ civiũ vulneratus. Ob ejus noctis periculũ omnes Gibellinæ factionis homines, qui reliq erãt in urbe, expelliũtur. At hi q Lucæ prçerãt

Aretinorum exules urbem intrant.
Prælium exulum cum civibus atrox.
Exules ſuperantur.
Lucius Guaſco Cincius Branca.
Gibellinæ factionis homines urbe expelluntur.

Florentini

Florentini, cùm neq; ad ſe deferri cõmeatũ poſſe, neq; moveri Piſanos ob vaſtationẽ agri viderent, neceſſitate coacti, deditionẽ facere conſtituũt. Quare pacti, ut incolume præſidiũ abducere liceret, urbẽ reliquerunt Piſanis, nono ferè menſe, poſtquàm fuerat recepta. Nullo unquàm bello magis dehoneſtatum eſt Florentini populi nomen. Et traxit mox ignominia foris accepta aliud domi dedecus majus. Quaſi enim ira quædã cælitùs premeret, Tyrannus, quod nunquàm antea fuerat, civitati impoſitus libertate ſublatâ in civium ſanguinem deſævivit. Nam amiſsâ Lucâ cives malè concordes, atque (ut rebus fit adverſis) ſuperiora errata alii aliis objectantes, ſpretâ belli curâ, ſimultatibus odiisq; ſecum ipſi pugnabant. Viginti viros, quib⁹ autoribus emta nuper Luca, bellumq; erat ſuſceptum, populus ſic oderat, ut ne nomen quidẽ ſine execratione ſuſtineret audire. Horũ exiſtimatio non publicè modò, verùm etiã privatim per vicos & compita lacerabatur. Malateſtæ quoq; Duci, qui bello præfuerat gerendo, quia parùm ſucceſſerat, non ſatis nomen erat acceptum. Ita fato quodã impellente alter, qui rebus præeſſet, quærebatur.

Luca Piſanis à præſidibus relinquitur.

Florentini populi nomen dehoneſtatum.

Tyrannus Florentinus in cives deſævit.

Cives Florentiæ ſecum ipſi pugnant.

Malateſta Ducis nomen non erat acceptum.

Gualterius erat Gallus, claro natus genere, quẽ nudo inaniq; titulo Athenarũ Ducẽ vocitabant. Hunc nuper, fervente bello, cùm Neapolim applicuiſſet, cognito Florentinorũ conatu, amor cepit in expeditionẽ veniendi. Fuerat enim per tẽpora Caſtrutiani belli Florentiæ cõmoratus cum Carolo Roberti regis filio, moresq; civitatis & homines norat. Quare invitatus à Florentinis civibus alacri ſe animo ad iter paravit, pervenitq; ad exercitũ cũ parva equitũ manu, eâ ipsâ die, quâ Malateſta Dux è colle, quo caſtra fecerat, deſcendens, ſtructas copias hoſtiũ caſtris admovit. In exercitu autẽ vigilando, & impigrè res obeundo cõmendationẽ ſibi non exiguã cõparavit. Ita & nobilitatis favore, & virtutis opinione ſublevatus in hac difficultate tẽporum & diſcordia civiũ, quaſi idoneus reb⁹ ſanandis, cum poteſtate legitima præficitur urbi, ac belli cura ſibi demandatur. Domi igitur militiæq; poteſtatẽ nactus volvere multa ſecũ, & cogitare cœpit, quẽadmodũ pro arbitrio dominari poſſet. Vir enim Gallus, & Galliarum morib⁹ aſſuetus, ubi plebs penè ſervorũ habetur loco, nomina artium artificumq; ridebat. Multitudinis arbitrio regi civitatẽ ridiculũ exiſtimabat. Faciebat verò animos diſcordia civiũ, plenæq; odiorũ mentes. Primò nobilitatem duris legibus obnoxiã, iniquo animo conſtituta ferentem, ſuã fore totam arbitrabatur, propterea quòd quę pars civitatis premitur, ea ſemper novas res cõſuevit optare. Tenues verò, & opifices, ac totã illã civitatis turbã nullum negotium putabat ad ſe traducere. Nullã enim iis neq; dignitatis neq; libertatis curã intelligebat eſſe. Reſtabat medius populus: In eo difficultas omnis verſabatur. Igitur in hunc audendũ putans, homines proximo Lucenſi negotio verſatos, atq; ob id recenti infamia flagrantes, arripi jubet. Ex his Johannẽ Medicẽ Florẽtinũ equitẽ ſecuri percuti jubet. Naddo autẽ Oricellæ & Ricciardo Riccio, qui item Lucæ cum poteſtate publica fuerant, eidem ſupplicio deſtinatis, ſummis civiũ precib⁹ vitã largitus eſt, grandiori tamen pecunia multatis. Objectũ eſt alteri, quòd pecunias à Piſanis accepiſſet: utriq;, quod Remp. in quæſtura fraudaſſet. Poſt hæc Guilielmũ Altovitã capit, extremoq; ſupplicio afficit. Cauſa adſcripta, quòd, dum Aretio præfuit, multa ob pecuniã nefaria cõmiſiſſet. Hanc ejus ſive crudelitatẽ ſive ſævitiã in civib⁹ puniendis multitudo uſq; adeò lætis excipiebat animis, ut palàm gratularetur: Hunc virum fortẽ, hunc interritum prædicabant: Cæteros magiſtratus potentiorum ſatellites carnificesq; veniſſe: Hunc unũ repertũ, qui in potentiores ipſos animadvertere non formidaret. His vocib⁹ ubiq; nomen ejus celebrabat, tollebatq; multitudo: Ac ſi quando ꝑ urbẽ incederet, laudibus acclamationibusq; proſequebatur. Accedebat nobilitatis favor, ut verbis occultior, ſic ad agendũ efficacior. Optimates etiam quidã vel metu publico vel privatâ familiaritate ſeſe illi addixerãt. Et jã ſuadebãt multi totius civitatis frena capeſſere: Ipſe quoq; in ſpẽ elatus non dubitabat cupiditatẽ animi præ ſe ferre. Modus tantùm facinori, quærebatur. Priores, qui tunc erant, viri integri libertatisq; tenaces, variè per illius fautores tentati, non modò non concedebant, ſed etiã repugnabant apertè. Quare aliã ingrediendũ ratus, in concionẽ populũ vocat: hoc facit per præconẽ, cùm jam adveſpraſceret. Concio in craſtrinũ erat futura: neutrũ erat obſcurũ, nec quid ille vellet, nec quid multitduo ſentiret. Itaq; Priores curis anxii ꝑ noctẽ ad eum conveniunt, queruntur palàm de vocatione populi, oſtendunt ſe inconſultis nihil tale factũ oportuiſſe. Ille cõtra verba dat: *populũ quæ velit declarare poſſe, aliter non libertatẽ populi, ſed ſervitutẽ eſſe.* Tandẽ ita deciditur, ut proximâ cõcione

Gualterius Gallus, Athenarum Dux.

Gualterius à Florentinis invitatus urbi præficitur.

Apud Gallos plebs pene ſervorum loco habetur.

Gualterii Præfecti ſævitia, in Nobilitatem, in tenues & opifices.

In Medium populum.

Iohannes Medices Florentinus eques ſecuri percutitur.

Gualterius Naddo Oricellæ & Ricciardo Riccio vitam largitur.

Guilielmus Altovita capitur, & extremo ſupplicio afficitur.

Gualterii nomen celebratur.

Priores repugnant factis Gualterii.

Gualterius populum in concionem vocat.

Priores ad Gualterium conveniunt, querentes de Vocatione populi.

Imperiū ſibi Priores in annū decernāt, iiſdē exceptionibus, quibus Carolo Roberti Regis filio fuerat antè conceſſum. His compoſitis ad multā noctē Priores diſcedunt.

Imperium Gualterio in annum à Priorib. decernitur.

Poſtridie orto ſole concio aderat frequens. Gualterium in concionem venientem multi è nobilitate comitati ſunt, quidam etiam populares illius fautores circū ſtabant: arma veſtes contegebant. Ubi in concionē ventum eſt, Priores pro Roſtris ſedentes medium exceperunt, aſſurgensq́; unus è Prioribus concionari cœpit, ea rogaturus populū, quæ per noctē conveniſſent. Vix principia orationis ingreſſo cerdones & opifices, ac tota illa civitatis fex, ab extrema concionis parte acclamare cœpit, ac dominū ſine ulla exceptione eſſe jubere. Suſcipitur à fautoribus ejus clamor, ac ſecunda per comitium aura diſcurrit. Ita concione totâ acclamante Priores decepti, ac metu perculſi conticuerunt, ultra repugnare non auſi. Gualterium autem principes nobilitatis ſublatum manibus palatio intulerunt, in ſedeq́; conſtituerunt.

Civitatis fex Gualterium Dominum eſſe iubet. Priores decepti repugnare non audent. Gualterius in ſede conſtituitur.

Factus per hunc modū dominus & quid poſt hæc geſſerit, & quā diu regnârit, eſt à nobis explicandū. Res enim digna eſt, quæ literis annotetur, vel pro admonitu civium, vel pro caſtigatione regnantium. *Apparebit enim, civibus nihil magis formidandū eſſe quàm ſervitutē: Dominantibus verò nihil magis ad ruinam tendere, quàm immoderatā incivilemq́; ſuperbiam.* Parto igitur, ut voluerat, dominatu, de ſervando jam illo cura ſupererat. Hujus autem gratiâ & foris & domi multa duxit providendum. Itaq́; ſtatim per legatos Aretii & Piſtorii cōcionibus advocatis, imperiū à populis earū civitatum ſuſcepit, nō Florētini jā populi nomine, ſed ſui ipſius. Id aſtuto admodū conſilio factū, quo ſibi benevolētiâ devinciret civitates. Exiſtimavit enim velut beneficiū ſe conferre, ſi, quæ dudū Florentinis ſubeſſent, eas æquâ cōditione cū Florētinis redderet, nec ipſe per alios, ſed per ſe ipſe voluntariis dominaretur. Poſt hæc bellū tollere adortus, de pace cū Piſanis egit, firmavitq́; nullâ neq́; honoris neq́; dignitatis curâ. Conditiones hujusmodi fuerunt, ut Piſani Lucam xv. annis retinerent, arcem cuſtodirent, poſt id tempus liberam dimitterent, exules Lucenſium omnes ab exilio revocarent, bona reſtituerent, captivos Florentinorum ſociorúmve ſine precio dimitterent. Caſtella Florentinus populus, quæ Lucenſis agri tenuiſſet, retineret, pēderet inſuper Piſanus in annos ſingulos auri novē millia. Florētinus verò exulibus, quicunq́; Piſanis in eo bello faviſſent, reditū in urbē permitteret, bona reſtitui juberet. Saconē & agnatos, qui captivi tenebātur, dimitteret, pacē his, ac cæteris, q vel Aretio, vel Florentiæ bellum intuliſſent, daret, Lucæ durante eo tempore Magiſtratum imponeret. Hoc extremum nōnihil videbatur, ſed erat parum. Nā cùm Piſani arcē præſidio, urbemq́; tenerēt, domini ac moderatores omnium eſſent, nudū Magiſtratus nomē, ac titulo dūtaxat ſpecioſū habebatur. Ex hac pace nobilitatis ea pars, quæ per ſeditionē pulſa nuper fuerat, in urbē rediit, & qdē ſummā Dominatoris gratiâ, quaſi ejus beneficio reſtituta. Sacō verò & agnati carcere exemti Bibienā, ac cętera eorū caſtella circa Aretiū tenuêre. Cū de Piſano providiſſet bello, aliis rurſus intentus, Gallos omnes, q erant per Italiā, evocavit: Frequentes etiā domo, famâ illius potētiæ exciti, advenerūt. Ex his cōfecit eqtes circiter octingētos, quos circa ſe cuſtodes habere cōſtituit. Societatē poſt hæc & amicitiā cū Piſanis inivit, magis, ut apparebat, cōtra cives, q̄ cōtra externos hoſtes. In hāc ſocietatē duo millia equitū deſcripta. *Hæc foris proviſa nō incautè: Domi verò omnia perversè, quædā etiā leviter ſtultè.*

Gualterius Imperium ab Aretinū & Piſtorienſibus ſuſcipit, non Florentini populi ſed ſui ipſius nomine. Agit de Pace cum Piſanis. Conditiones Pacis.

Nobilitatis Pars pulſa, in urbem redit. Sacon & agnati carcere eximuntur.

Gualterius ſocietatem cum Piſanis init.

Priores (qui ſummus in civitate eſſe conſueverat Magiſtratus) non ſuſtulit ille quidem (quod ipſum fuit tolerabilius) ſed omni autoritate ſpoliatos, parvo admodū miniſterio relicto, quaſi ſpectaculū quoddā acerbū miſerabileq́; in oculis civiū dereliquit. Cūq́; Carolus Roberti Regis filius, q ante hūc civitatis imperiū obtinuerat, vir tāto genere, tātâq́; expectatione dignitatis, nunq̄ ab honore ædiū publicarū Priores dimoviſſet, ſed ipſe alibi inhabitaſſet: Hic lōgè diſpar ac diſſimilis, Priores ædibꝰ ſuis expulit, ipſe incubuit. Vexilliferos ac ſocietates fūditùs ſuſtulit, arma civibꝰ ademit, honores ac magiſtratꝰ irritavit omnes, niſi q ab eo eſsēt cōceſſi. In civium autē favore ita variavit, ut modò nobilitatē modò populū videretur pręferre. Sępè his rejectis ad plebē magis inclinare. Et ſanè multitudini plura indulſit, quàm alii cuiq̄ parti civitatis. Pecunias omnes publicas cupidiſſimè in ſe unū cōvertit, quarū etiā gratiâ portoria auxit, & nova excogitavit vectigalia, & tributa inſuper impoſuit crebra. Cōſignationes à populo factas iiſdē ex pecuniis irritas duxit, obſides Maſtino datos, ꝓ quibꝰ ſolvēdū fuit, neglexit, cum ſūma querela propinquorū, ſūmoq́; dedecore civitatis: Accipiēdis cōputandisq́; pecunijs publicis de fide civium diffiſus, peregrinos

Priores omni autoritate ſpoliat. Aedibus ſuis expellit. Vexilliferos ac ſocietates tollit. Pecunias publicas in ſe cōvertit.

regrinos impoſuit homines. Arcem inde facere aggreſſus, proximas Palatio ædes turresq; adjunxit, crepidasq; effecit. Palatio ipſi propylæa s; feneſtris ferreos cancellos appoſuit, plateam dilatavit, portas urbis turresq; deſuper cōmunivit; aliasq; juxta ſingulas, ad uſum, portulas ſtruxit. Delationes civium ita moroſè ſuſcepit, ut ſæpius eos qui deferrent, ne perveſtigatâ quidem re, néve perquiſitâ talione multaret. Interdū verò ob maledictū ad crudelitatem irritatus eſt. Civi paulò antè Prioratu egreſſo, quod mediocriter quæſtus de Rep. fuiſſet, funditùs linguam juſſit evelli. In exilium actū, quod de ſe malè loqui ſuſpicabatur, per ſimulationem veniæ revocatū, ſupplicio crudeli indignoq; occidit. Cùm intolerabilis videretur, ac indies magis creſcerent mala, ſuperante jam odio metū, variæ primò querelæ civiū; mox conjurationes ſunt cōſecutæ, & quidē plures uno tempore, ignorantibus alijs alias. Conſiliū invadendi varium fuit. Fuerunt, qui in palatio ipſo vi irrumpendū, necandumq; putarent. Fuerunt qui dum per urbē incederet, quod ille frequenter ab initio faciebat. Sed inerat in his reb⁹ difficultas, quod ſuſpicio ex conſcientia maleſactorū coorta, cautū magis diffidentemq; indies reddebat. Quarè & intra Palatiū firmo ſtabat præſidio, & foris, nec temerè, nec ſine ingenti comitatu verſabatur. His difficultatibus res protracta eſt, nec prius confecta quàm patefacta.

Delationes civium Gualſerius moroſe ſuſcipit.

Conjurationes & conſilia contra Gualſerium.

Senenſis erat quidam vir militiæ cognitus, & ob id à ſtudio nequaquàm nobilitatis abhorrens. Is igitur cùm fortè aſcitus eſſet, commotus primo aſpectu, rem totā ad Franciſcum Burnelletium equitē Florentinū, cujus familiaritate plurimùm utebatur, detulit. Ille re ſubitâ perculſus, cùm eſſet totius conjurationis Ignarus, Tyranno, quid ex Senenſi audiiſſet, patefecit. Index ſubitò acceſſitus duos nominavit, quibus ſtatim correptis cùm tormenta adhiberentur, capita ipſa, ac principes conjurationis extorſit. Magnitudo multitudoq; civium Tyranni animū conterruit. Itaq; paulumper primò cunctatus, tandē ex illo numero Antonium Adimarem Baldinacci filium, virum & genere, & potentiâ clarum, per apparitorem ad ſe vocat. Paruit ille vocanti, ſive ignorantiâ periculi, ſive fiduciâ multitudinis cōjuratorū. Quo deprehenſo atq; convicto, cùm alios quoq; complures verſari in ea conjuratione Tyrannus comperiſſet, biſariam fluctuare cœpit, ardens quidē animo ſupplicium ſumere; metuens verò multitudinē civium, quos eſſe conſcios affinesq; ejus rei deprehenderat. His curis anxius conſilium capit, ante omnia militum præſidia ex finitimis opidis in urbē vocare: Ea intercapedo fuit dierum ſex. Quæ cùm jā conveniſſent, temp⁹ eſſe ratus, ea quæ cogitaverat patrandi, egregium quenq; civē ad ſe vocat. Numerus vocatorū fuit circiter trecentos. Cauſa verò prætenditur, ut de conjuratione ad conſilium referat. Cæterum id agebatur, ut eum hi conveniſſent, in Palatio ipſo opprimerentur! reliqua inde jam ſecurè tranſigeret. Fuerunt in numero vocatorū plerìq; ex conjuratis, qui fortè, uti fit, ex conſcientia periculum ſuſpicantes, metumq; apud alios de induſtria augentes, in eam formidinem adduxerunt, ut nemo vocanti pareret: nemo in conſilium iret.

Senenſis quidam conſilia ad Franciſcum Burnelletium defert.

Burnelletius quod ex Senenſi audiſſet, Tyranno patefacit.

Antonius Adimar Baldinacci filius,

Cives circiter trecentos à Tyranno vocantur.

Ex hoc jam civitas apertè rebellis, qui conjuraverant ſeſe ultrò nudantib⁹, unâ omniū mente in Tyrannū ſurrexit. Tunc demum compertū eſt, tres in civitate conjurationes jam pridē adverſus Tyrannum initas viguiſſe. Nec erat fermè ulla paulò amplior familia ex nobilitate aut plebe, quæ expers eſſet conjurationis. Armis igitur populariter ſumtis, cùm arcē circumſtetiſſent, obſidere ex compoſito pertexerunt. Contrà verò Tyrannus tela deſuper jacere ac repugnare, & arcere populi impetum. Quæ poſtquam in caſſum agitare videt, quo multitudinis placaretur ira, concedere animo ac ultro ſummittere ſtatuit. Itaq; poſtridiè orto ſole Antoniū Adimarē equeſtribus donatum inſignibus demiſit. Idem fecit de cæteris, quos in captivis habebat. Priorib⁹ verò (eos namq; ab initio tumultus in Palatium traxerat) contra conſuetudinē ſuam honorem exhibuit; & vexilla quædam populi, quaſi libertatis ultrò ab ſe permiſſæ indicia, ex ſumma arce protulit.

Civitas apertè fit rebellis.

Tres conjurationes adverſus Gualſerium.

Arx obſidetur.

Antonius Adimar captivus demittitur.

Sed ob eas res nihilo magis pacata civitas eſt. Urebat enim mentes ulciſcendi libido, eorum præſertim, quorū ille propinquos agnatosq; necârat, *nec ſine ſanguine Tyranni expiari poſſe cædem ſuorum arbitrabantur*. Ut tamen multitudo, quæ, ſine ullo publico decreto, ſine ullo Duce legitimo in armis erat, modum aliquem formamq; ſuſciperet, principibus vocantibus concio populi convenit ad Reparatæ ædem. Ibi per ſuffragia quatuordecim viri cum imperio delecti ſunt ad Remp. confirmandam, ordinandamque civitatem. Additus eſt iis Angelus Acciaviolus Præſul, vir ſummo cōſilio ſummaq; autoritate, qui ferè princeps fuerat libertatis recuperandæ.

Ulciſcendi libido.

Viri 14. cum imperio deliguntur ad Remp. confirmandam.

Angelus Acciaviolus Præſul.

Obſidio inter hæc & oppugnatio neque die neq; noctu intermittebatur. Sed

erat cum Tyranno manus valida militum fermè trecentorum: Locus verò egregiè munitus. Verùm hæc talia erant, ut procraſtinationem tantùm periculi, non autem ſpem ullam ſalutis viderentur afferre. Quare modò colloquia civium poſcere, modò fidem implorare: ſupplicare denique & obteſtari obſeſſi pergebant. Quin etiam quo piaculo aliquo deliniretur ira Tyranni, ſatellites quondam in civium ſuppliciis debacchatos, quos ad vindictam depoſci ſentiebant, per vim portâ detruſos gladiis ardentis populi objecerunt, qui illico membratim diſcerpti, fructum crudelitatis ſuæ digniſſimum reportârunt.

Præſul & 14. viri colloquia cum Tyranno ineunt.

Ex hoc jam reſtinctâ parumper civium irâ, Præſul & quatuordecim viri colloquia magis inivěrunt. Deniq; mitiori conſilio Tyranno, & cum illo obſeſſis vita permiſſa eſt, arcem dedenti, ac omni poteſtate, quam juſſu populi habuiſſet, ſponte ſe abdicanti. Eam abdicationem, quo vitium abeſſet, extra territorium quoq; fieri placuit. Ita arce Præſuli quatuordecimque viris traditâ, Tyrannus ſeſe in eorum manus miſit. Cuſtoditus poſthac biduo in ipſa arce, ne à populo violaretur, tandem nocte urbe emiſſus. In Caſentinatem iter primum fuit, ibi abdicatione iterum factâ abiit, decimo ferè menſe poſtquàm regnare inceperat.

Tyrannus cuſtoditus urbe emittitur.
Gualterius Tyrannus abit.
Aretini arma corripiunt.

Dum hæc Florentiæ geruntur, Aretini cognitâ obſidione Tyranni, arma & ipſi corripuerunt. Tres erant Aretii arces, una ad Florentinam portam, duæ in ſumma urbis parte: Earum primo ſtatim impetu duas expugnârunt. Reſtabat tertia arx, & ea munitiſſima, quam omni conatu oppugnare dum pergunt, Sacon dudum Aretinorum Tyrannus magnâ multitudine ſuperveniens contra ipſam arcem, extra urbem conſedit. Hinc injecta civibus formido eſt, ne arx Saconi dederetur. Ob hæc intermiſſa oppugnatio eſt, & per colloquium res tentata. Præfectus erat arcis Guelfus Bondelmontes. * Is cùm à civibus intra urbem: extra verò à Sacone obſideretur, & ruina Tyranni, cujus nomine præſidebat, ſpem omnem abſtuliſſet: vocatis in colloquiũ civibus: non ignoro, inquit, Aretini, vix mea referre, vobiſne an Saconi arcē dimittam? Cæterum ut ad vos magis incliner, duæ res faciunt: primùm, quod noſtra familia Guelfarum partium ſemper præcipua fuit, quâ in re vos mecum convēnitis, Sacon diſſentit. Altera quod æquiore hominũ laude me fore puto, ſi videbor libertati potiùs veſtræ, quàm Saconis Tyrannidi gratificari voluiſſe. Ita civibus arcē tradit.

Sacon Aretinorum Tyrannus.
Guelfus Bondelmontes præfectus arcis.
* M S. Pal Buondelmontes.
Guelfus civibus arcem tradit.

Eodem ferè modo Piſtorienſes & Volaterrani, qui & ipſi in poteſtate fuerant Tyranni, per illius ruinam libertatem conſecuti ſunt.

Piſtorienſes & Volaterrani per Gualterii ruinam libertatem conſequuntur.

HISTORIARUM FLORENTINARUM,

LIBER SEPTIMUS.

Liberi jam populi, civitatisq; in ſuum arbitrium aſſertæ fundamenta rurſus Reip. novasq; ſubinde rēs, & primò communicatam nobilitati gubernandi curam, mox ademtam, ac diviſam novo more urbem, cæteraq; memoratu digna proſequemur. Pulſo Tyranno libertateque receptâ, civitas quidem ſui juris facta, cæterum multis ac magnis præſidiis, auctoque dudum Imperio ſpoliata remanſit, Aretinis, Piſtorienſibus, Volaterranis per eandem Tyranni ruinam, & ipſis quoq; ſeſe in libertatem priſtinam vindicantibus. Foris igitur unum ſub tempus cuncta perdita, profligataq; jam erant, quæ dudum multorũ annorum labore, plurimiſq; contentionibus fuerant acquiſita. Intus verò inordinata omnia, nulli Magiſtratus in urbe, nulla ſubſellia: Quatuordecim tantum viri, quos ſibi per tumultum civitas creaverat, unà cum Præſule autoritatem publicam tuebantur. In hos cura Reip. & omnium conſilia recidebant. Ad conſtituendum igitur civitatis ſtatũ, ante omnia intendentibus quædam ab his veterum identidem confirmata, permulta etiã novo more conſtituta fuēre. Vetus illud retentum, ut Priores ſummi Magiſtratus nomen in civitate forent, quod ne Tyrannus quidem omninò ſubculcaret. * Illud autem novum ac maximi in Rep. momenti, quòd contra ſuperioris temporis exempla nobilitatem ad hunc ipſum cæteroſque Reip. Magiſtratus recipiendam eſſe ſtatuērunt. Cauſæ verò hujus conſilii duæ potiſſimæ ferebantur. Una concordiæ civilis reſpectus. *Ita demum enim quietis pacatiſque civium animis, tranquillam fore Remp. credidēre, ſi nulla in eâ pars honore exluſa præſentem civitatis ſtatum odiſſe per ſuam injuriam cogeretur.* Altera præſens meritum, quòd in pellendo Tyranno haud ſegnem

Florentia ſui iuris facta, præſidiis & Imperio ſpoliata remanſit.
Nulli Magiſtratus in urbe.
Civitatis ſtatus iterum conſtituitur.
* ſuſtulerat M S. Pal.
Cauſæ cur Nobilitas recepta fuerit ad Reipub. Magiſtratus.

ſegnem nobilitas operam civitati navârat. Id autem eò fuerat gratius, quod à Tyranno ipſo permulta ei generi hominum indulta videbantur, cujus porrò beneficus amorem patriæ libertatemque prætuliſſe maximum ſinceri in Remp. animi fuerat argumentum. His ergò rationibus ad communoniem Reip. gubernandæ recepta nobilitas eſt.

Permagna rerum mutatio ſecuta ex nobilitatis receptione ad Reip. Magiſtratus.

Cæterum ex eo facto permagna rerum mutatio ſequebatur, antiquâ gubernandi formâ omninò convulsâ. Duo ſiquidem maxima libertatis præſidia, quibus antè Resp. ſteterat, neceſſariò tollebantur: juſtitiæ conſtituta, & populi ſocietates. Nam & conſtituta juſtitiæ contra vim nobilitatis reperta oſtendimus: & ſocietates populi, quo grandioribus familiis reſiſtere imbecilli homines poſſent, & ab initio ſapienter excogitatæ, & poſtea ſalubriter conſervatæ in Rep. fuerant. Tunc autem exæquato penitùs civitatis corpore, ac velut uno per concordiam facto; contentionibus antiquatis, præſidia quoq; antiquabâtur. Prioribus octo viri in conſilium attributi, & hi quoq; mixti ex nobilitate, & plebe, cùm antea duodecim è plebe duntaxat eſſe conſueſſent. Illud quoque novum, quòd urbem primò in ſex diviſam tribus, hi quadriſariam partiti ſunt. Pro ſexta enim parte tribus unaquæq; honores in Rep. ſuſcipiebat, atq; ex eo ſiebat; ut quæ tribus populoſiſſima eſſet, ex ea homines minùs honorarentur. Quadrifariâ igitur partiri placuit, habitaq́ eſt ratio, quantû fieri potuit, ut par multitudo in ſingulis cõpræhenderetur. Evenitq;, ut Transarnina tribus, quæ pro ſexta quõdã honores capiebat, ex hac nova diviſione pro quarta ſuſciperet.

Vrbs primò in ſex tribus diviſa quadriſariam poſtea dividitur.

Transarnina Tribus.

His conſtitutis nomina civium in ſuffragium miſſa, ex quibus poſteà Magiſtratus ſortirentur. Suffragio tandem perfecto, nominibusq; incluſis, Priores ſortiti ſunt duodecim, quatuor ex nobilitate, octo ex plebe. Inierunt autem Magiſtratum Calendis Septembribus, & in ædes publicas, ut mos ante tyrannidem fuerat, cum apparitoribus reducti, Remp. tractare gubernareque cœperunt. Hæc igitur à XIIII viris acta & conſtituta ſunt. Quæ etſi bonis rationibus excogitata videbantur: tamen diuturnitatem minimam habuêre. Vix dum enim Magiſtratu inito, res inſolita primò commovit animos, nec jam tunc communio grata erat, & in futurum metuebatur magis. Homines enim nobiles, magnarum principes familiarum, qui ſine ulla poteſtate publica ipſi per ſe formidabiles erant, ſi Magiſtratum inſuper nacti forent, intolerabiles videbantur, nec temperaturos ab injuriis exiſtimabant. Hæc prætexebatur cauſa, & erat ſanè nonnulla.

Priores quatuor ex nobilitate & Octo ex plebe ſortiuntur.

Priorum conſtitutio diuturnitatem non habet.

Homines nobiles intolerabiles videntur.

Cæterum invidia atq; contentio, conſueti dudum civitatis morbi, unà cum libertate in urbẽ redierãt: odio & certamine res tota gerebatur. Igitur de his murmur primò apud populares exortû: mox de induſtria in plebẽ diffusû. Quid enim lætata ſit plebs dejectione Tyranni, ſi multi pro uno cervicibus ſuis imminere debebant? Niſi fortè moderaturos in Magiſtratu eos homines putent, quorum vim ac ſuperbiam in privata experti ſunt vita, qui tot jampridem legibus, totque præſidiis, à violentia coërceri non poſſint. His dictis erecta plebs, minimè quietura videbatur, nec liberæ modò, ſed interdum effrenes etiam voces audiebantur, ſocietatem hanc, quaſi pernicioſam, exitioq; tandem Reip. futuram, deteſtantes.

Invidia & contentio conſueti civitatis morbi.

Quibus tãdẽ permotus Præſul (erat enim ipſe ex familia inſigni quidẽ & ornatiſſima: cęterû populares in Rep. ſecutâ partes) quaſi rẽ emẽdaturus, collegas vocavit, egitq; cû his, ut cognita voluntate populi cõmunionẽ improbãtis, rẽ potiùs ipſi corrigere, quàm vim multitudinis experiri malint. *Si ſponte ſe arbitrio ſubmittãt, multa retenturi. Sin contumaciter reſiſtant (ut ſunt multitudinis animi) omnia perdituri.*

Præſulis admonitio.

Hæc monentem præſulem ac fruſtra ſuadentem nobilitatis principes longè reſpuerunt, nec rẽ modò ipſam: verùm etiã ſuaſorẽ indignabantur. Nimirû enim id agere plebẽ ab eo cõcitatã inquieti ſpiritus homine, atq; infidi, qui modò in intimû Tyrãni ſinû adulando irrepſerit, eundẽq; mox peſſima ſuadẽdo ad ruinã impulerit. Nunc verò non abſimilẽ ludû quærere, quo cives inter ſe cõfligat atq; collidat, nẽpe eiu una ſit ars, tanq̃ puerili in ludo, quoſdã extollere, eoſdẽq; rurſus deprimere. Quãtum ad ſe attinet, libertatẽ patriæ defendiſſe, propriam verò libertatem ſuã nequaquã neglecturos eſſe, viſuroſq; aliquãdo, quinam ſint, qui ſe non tantùm innocuos verùm etiam benè de Rep. merentes, à dignitate excludere pergant. An verò Simofontæ Figinoq; profectis hominibus, quondã populi Florentini hoſtibus honores in Rep. tradẽtur? nobis autẽ vetuſtis ac veris Florentinis civibus, per quos illi dudû victi sũt, honores in Rep, negabûtur? Et advenę ac ſubacti dominabuntur: Nos cives

Nobilitatis principes Præſulem monentem & ſuadentem reſpuunt.

victoreſque

victoreſque illorum illis ipſis, quos vicimus, in propria patria ſerviemus? Et quis tantam iniquitatem ac repugnantiam rerum non modò perferre, ſed audire ſuſtineat.

Plebs invadit arma

Qui ex nobilitate in Magiſtratu ſunt vi & armis detrahuntur.

Nobilitas ob injuriam erecta arma ſumit.

Cùm Præſul hæc & hujuſmodi vociferantes haud molliter refutaret, eaque ex re jurgia contentioneſque exorta eſſent, ita ut à proximis exciperentur; it confeſtim per urbem rumor, invaditque arma plebs, & ad publicas ædes decurrens, eos qui ex nobilitate in Magiſtratu fuerant, vi & armis detractos in privatam redegit formam, ac in proprias ædes exauctoratos redire juſſit.

Nobilitas autem ob eam injuriam erecta, ſumſit quidem arma, non tamen in unum convenit, nec decertare ea die contra vim populi auſa eſt: ſed domi conſiſtens unaquæque familiarum ædes ſuas tutabatur. Adventabatque his multitudo hominum ex agro permagna, ut cujuſque clientelæ amicitiæque erant, auxilio futura.

Populus familias aggreſſus, arma intulit.

Cùm igitur tota civitas in armis eſſet, ac prælium exinde futurum appareret, ac permagna undique auxilia nobilitati ventura dicerentur, antevenire populus conſtituit. Itaque poſtera mox die primò cis Arnum familias aggreſſus arma intulit. Diverſis in urbe locis nobilitas habitabat, eò facilius fuit ſingulas invadendo pervincere. Quanquam enim domos turreſque ſuas quæque gens communierat, ac fortiter adverſum impetum populi repugnabat: tamen ubi multitudo penè innumera undique cingebat, telaque & faces mittebantur, impar tanto certamini unaquæque familia brevi ſuperabatur. Nec tamen cædes facta eſt nobilitatis: ſed ut ſeſe populi arbitrio permiſerant, incolumes ſervabantur.

Unaquæq; familia ſuperatur.

Expugnatis cis Arnum familiis, & in poteſtatem redactis, trans Arnum eodem modo invadere placuit. Ibi contentio longè major fuit, quòd & robuſtiſſimæ nobilitatis familiæ trans Arnum habitabant, ac ſingulorum capita pontium ædibus turribuſque compræhenderant, ut eò pervadere multitudo non poſſet. Hæc difficultas aliquandiu impetum populi remorata eſt. Tandem verò ad infimum pontem (ibi namque nobilitas imbecillior erat) impetu facto, cùm à plebe quoque, quæ trans Arnum incolit, raptis armis procurreretur, ac ex utraq; ſimul parte multitudo populi nobilitatem invaderet, deſerto, qui pro ponte ſtabant, præſidio, aufugerunt, populoque tranſitum liberum permiſerunt.

Transgreſſa igitur per infimum pontem multitudo, cùm proximas familias in poteſtatem redegiſſent; mox inde in cætera pontium capita vim intulit. Idem ab trinitatis: Idem ad veterē pontem factum, & utroque in loco prælia conſerta: Vehementiſſimè tamen omnium ad ſuperiorem pontem decertatum eſt, propter egregiam, quæ circa id erat loci, nobilitatis potentiam. Et adjuvabatur naturâ atque ſitu, quòd ex altera flumen, ex altera mons domos muniebat. Viam, quæ unica ad eos ferebat, impedimentis jactis, & domorum altitudine facilè tutabantur. Hîc igitur aliquandiu conſtitit populi impetus, nec priùs perrumpere potuit, quàm multitudinis pars ſub vexillis miſſa è diverſa protinus regione, aſcenſo monte, deſuper arma cœpit inferre. Tunc fractæ vires diſſipatæque ſunt & ſimul à ſuperiore quoque ponte, ceſſante præſidio, penetratum. Aedes propter contumaciorem reſiſtentiam in his locis à multitudine infima direptæ, frequentes etiam incendio conflagrârunt: Hominibus tamen ipſis, poſtquam in poteſtatem populi ſe dedêre, humaniter parſum. Non enim odio, neque maleficio certabatur: ſed de potentia, de autoritate, de præſtantia in Rep. omnis erat contentio.

Certamen plebis cum nobilitate de Potentia, autoritate & præſtantia in Repub.

Populus civitatis ſtatum ſuo arbitratu confirmat.

Urbs in quaternas Tribus dividitur.

Nobilitatis potentia minuitur.

Victâ nobilitate populus, cum in arbitrium poteſtatemque ſuam haud ambiguò Remp. redegiſſet, confirmare jam inde civitatis ſtatum ſuo arbitratu perrexit. Itaque & conſtituta juſtitiæ in antiquam formam reſtituit, & ſocietates populi renovavit, numero tamen earū mutato, pro nova partitione urbis, ut quaternæ ſingulis tribubus ineſſent. Ita ſedecim tunc primùm ſocietates populi factæ, cùm antea viginti, mox decem & novem fuiſſent. Duodecim, ut antè, in conſilium Prioribus attributi, omnes è plebe. Suffragia quoque Magiſtratuum ex integro refecta, quibus in triennium ſortirentur, eaque delectu habito diligenti, ut ex magna multitudine pauci obtinerent. Ad minuendam verò nobilitatis potentiam permulti ex eo numero ad plebem, volentes id flagitanteſque traducti. Datum id pro ſummo beneficio illis, quorum aut vita modeſtior fuerat, aut potentiæ parum.

His peractis, cùm tranquilla domi jam omnia viderentur, totis identidem cura

ſuſce pta.

ſuſcepta. Illud inprimis proviſum, ut Aretinis, qui per Tyranni ruinam libertatem ſibi arripuerant, ſuſpicio omnis tolleretur, ne quid ea formido turbationis induceret. Decreto igitur publicè facto, jus omne, quod Florentinus populus in urbe Aretio habuiſſet, ſponte remiſſum eſt, miſſique Legati, qui Aretinis gratularentur pro libertate de Tyranno recepta, & Florentini decretum populi de remiſſione juris deferrent. Hi cùm Aretium veniſſent, in concione populi mandata expoſuerunt, decretumq́; publicum ex ſcripto recitârunt. Aretini verò hæc audientes læti ſunt, & omiſsâ ſuſpicione fidem Florentini populi majorem in modũm complexi, in amicitia perſeverârunt. Nec multò poſt inita ſocietas eſt, in qua Peruſini & Senenſes & Aretini cum Florentinis fuêre.

Florentinus populus jus quod in urbe Aretio habet, ſponte remittit.

Societas Florentinorum cum Peruſinis, Senenſib. Aretinis.

His ab ea parte Hetruriæ conſtitutis in Piſanos inde verſi animi. Fuerat enim cum his bellum. Ex quo etſi pax recepta poſtmodum erat: tamen quia Tyranno autore geſta res fuerat, non obligaſſe populum videbatur: Rurſus igitur fieri placuit. Per eam pacẽ Luca Piſanis cõceſſa: Caſtella modò Lucenſis agri, quæ tunc Florentinus poſſideret, retenta. Hæc eo anno, quo Tyrannus pulſus eſt domi foriſq́; geſta.

Principio inſequentis anni multitudo hominum ex Aretino Florentinoq́; collecta agro, Pactios oppreſſit. Id erat genus nobile, caſtella in agro Aretino poſſidens: cæterum præterquàm quòd diverſarum partium, vicinæ inſuper inviſum atq; grave ob rapinarum crebritatem.

Pactiorum genus nobile.

Eodem anno contra nobilitatem exaſperatæ leges, atque illo inſuper Incommodo affecta, ut qui ex nobilitate apud quenquam Regum Tyrannorúmve degerent, continuo domũ remearent, exilium publicationẽq́; bonorũ, niſi legi parerẽt, ſubituri. Ob eam legẽ complures libertatẽ Principum relinquere coacti domũ rediêre. Ejus legis ferendæ non malevolentia modò cauſa fuit; verùm etiam ſuſpicio, ne majori gratiâ apud Reges Principesq́; initâ aliquid per favorem illorum aliquando molirentur.

Leges contra Nobilitatem exaſperantur.

Per idem ferè tempus in eos cives, qui per Tyranni ruinã arces caſtellaq́;, quib[9] præfecti erant, dediſſent, pœna conſtituta eſt, & Magiſtratibus mandata cura, ut diligentiùs inquirerent. Eam ob legem frequentes damnati, præſertim nobilium, quib[9] plurimum arces crediderat Tyrannus.

Pœna in præfectos qui arces dederũt, conſtituitur.

Per hæc ipſa tempora Florentini cives, qui in Gallia negotiabãtur, nunciarunt, Gualterum nuper tyrannide pulſum in Galliã ad Regẽ profectum, querelas graviſſimas cõtra civitatẽ poſuiſſe, ac per ſe amicosq́; apud Regẽ niti, ut jus in corpora bonaque Florentinorũ civiũ, qui per Galliã forent, ſibi permitteretur. Eſſe verò periculum ingens, ne corpora in cruciatus, bona in prædã illi dedantur. Jamq́; ob eam ſuſpicionem pleraſq; ſocietates inſtitoresq́; earum conterritos ad fugam reſpicere.

Gualteri querela ad Regem Galliæ contra Florentinos.

Eo quidẽ nuncio cõmota civitas, incendente inſuper veteri odio, privilegiũ tulit in Tyrannũ, præmio ingẽti cõſtituto, ſi quis eũ necaret, & p cõtumeliã effigies illius apud ædes publicas cũ inſignibus vitiorũ notis depicta. Oratores quoq; ea de cauſa ad Regẽ miſſi, ne fortè re temerè creditã aliquid, ut fit, p gratiã Tyrãno cõdonaret.

Civitas privilegium fert in Tyrannũ, ſi quis eum necaret.

Oratores ad Regem mittuntur.

Nec multò pòſt Legati Regis Florentiã venerunt, ſatis fieri Tyranno poſtulantes. Petebant verò permagnũ auri pondus ob compenſatiõnẽ damnorũ, quæ à furẽte multitudine ſibi prædicabat illata. His, ampliſſimo conſilio cùm mandata Regis expoſuiſſent, reſponſum humaniter eſt, pro Regis, qui mittebat, reverentiã. Cæterũ ipſius Tyranni ſcelera, ſordes, perjuria, cæteraq́; improbiſsimi hominis flagitia ſic patefacta, ut Legati ipſi obmutеſcere tantã ob malignitatẽ cogerentur. Ad extremũ abdicationes prolatæ, quas ille non Florentiæ modò: ſed etiam Pupi tàm procul ab urbe, libero in loco, metu omni ceſſante, ſuã ſponte feciſſet. Nec ſe tamen admirari, quòd ille cõtra confeſſiones ac jusjurandum ſuum nunc veniat: Deſiiſſe enim jampridem hoc admirari, cùm ille calcatã religione, & fide populo datã, per fas & nefas omnia fecerit, ad quæ libido animi cupiditasq́; impulerit: Nullum pudorem hominum, nullum Dei metum unquàm habuiſſe. Debere præſtantiſſimum Regem non modò aures ſceleraio homini non præbere, verùm etiam illius nequitiam ultrò compeſcere. In hunc ferè modũ illis reſponſum eſt, & honor de induſtria major habitus Legatis, quò Regis animus per obſequium teneretur.

Legatis Regis ſatis fieri Tyranno poſtulant.

Legati ob Tyranni ſcelera obmuteſcunt.

Eodem anno maximum eſt Reip. fundamentum parvo ex principio jaci cœptum. Civibus Reſp. debebat auri pondo circiter. LXX. M dudum mutuo ſumta ob Lucæ redemtionem. Ea igitur ſumma cùm ob anguſtiam ærarii diſſolvi non poſſet,

Maximum fundamentum Reip. parvo ex principio jaci cœptum fuit. Civibus Reſpub. debebat auri pondo circiter LXX. M.

ac iniquum videretur ſuo fraudari cives, qui fidem publicam ſecuti mutuo dederât: media quædam inter has difficultates reperta eſt via. Nominibus enim eorum, quibus debebatur, tributim deſcriptis annui reditus è publico cōſtituti ſunt, quina ſingulis centenis. Quantitates verò ipſas in unum coacervatas, à ſimilitudine cumulandi, vulgo Montem vocavêre. Idq; in civitate poſtea ſervatum. Quoties Resp. indiget, cives tributa perſolvunt: ſolutorum verò penſiones annuas percipiunt. Hi Mōtes cumulationesq; pecuniarū bellis quidem creſcunt: pace minuuntur, propterea quod abundante rep. diſſolutio ſit crebra atq; peremtio. Quantitatum verò deſcriptarum & venditio eſt civib⁹ inter ſe & permutatio, atq; (ut in cæteris mercimoniis) pro tēpore, pro ſpe, pro cōmodo, minuitur earū preciū atq; augeſcit. In emtorē eadē commoda, quæ ſolutus ipſe percepturus erat, transferuntur. Ea res facit, uti cives ad crebras tributorum ſolutiones perdurent, non pereunte omninò quod ſolutum eſt: ſed utilitatem, ſi non magnam, attamen aliquam afferente.

Quantitates pecuniarum Montem vocarunt.

Principio inſequentis anni, creſcente in potentiores odio, leges duæ ad populum latæ ſunt: una in clericos iniqua, per quam omnibus eorum privilegiis derogabatur: altera in cives ingrata, per quàm dona ac munera hactenus quibuscunq; meritis à populo tradita, in irritum vocabantur. Fuiſſe tunc civitatem in arbitrio multitudinis imperitæ decreta ipſa oſtendunt. *Quid enim hac poſtremâ lege (ſi modò illa lex nominanda eſt) quæ dedecus & infamiam reip. parit, iniquius ac vilius excogitare quicquam poteſt?* Defectionem fidei, quæ etiam uni privato turpiſsima eſt, populo toti impingere. *Nihil unquam in rep. utile exiſtimandum eſt, quod ſit contra dignitatem:* Dignitas porrò & inconſtantiam & ingratitudinem longè repellit. Per eam legem multi, quorum majores virtutis gratiâ à populo donati fuerant, munera ipſa & donum relinquere magnâ cum hominum querelâ coacti ſunt.

Leges duæ ad Populum feruntur. Una in clericos iniqua, Altera in cives ingrata. Quod dedecus & infamiam Resp. parit, Lex nominanda non eſt.

Eodem anno privata ex re permagna, non in ſingulos modò, ſed etiam univerſæ civitati incommoda pervenerunt. Bardorum erat familia omnium locupletiſſima, permagnas multis in locis ſocietates habens. Hæc ſummâ & indubitatâ fide cum apud cives, exterosq; ad eā uſq; diē fuiſſet, ac multorum, ut fit, pecunias in manibus haberet, repentè inopinatoq; decoxit. Cauſa verò hujus fuit, quod ſurgentibus tunc maximè inter Francorum Anglorumq; reges bellis, quidam ejus ſocietatis magiſtri in Britannia degentes, creditâ Regi Anglorum intolerabili pecuniâ, eò rem adduxére, ut neceſſarium fuerit fidem ſocietatis abrumpere. Fractâ igitur ſocietate, creditores, cùm reliquias perſequerentur, compertum eſt, auri ſupra quinquies centena millia privatis nominibus ſocietatem debere. Mutuo autem Regi data circiter ſepties centena millia, in quibus & propriam ſocietatis pecuniam, & eorum, qui ſocietati crediderant, abſumtam conſtabat. Ea res inopinata & gravis, cùm multorum patrimonia afflixiſſet, traxit poſt ſe ruinam minorum ſocietarum, cùm ob varia damna, quibus ſingulæ implicatæ erant: tùm quod ortis apud omnes ſuſpicionibus ad repoſcenda ſua quisque credita properabat. Decoquentibus itaque permultis inæſtimabilem jacturam civitas ſubivit, fidesque anguſta in foro omnia perturbabat. Solicitâ ob eam rem civitate, lupus medio die, portâ Collinâ ingreſſus per urbem decurrit, peragratâ maximâ trans Arnum parte, cùm clamor venantium more illum proſequeretur, tandem egreſſus aliâ parte viâ Piſanâ oppreſſus eſt. Eâdem quoq; die ſigna populi ad publicas ædes ſupra portam ſculpta ſponte ſuâ cecidêre. His auguriis multorum animi in timorem verſi. Nec multò poſt à Gallia nunciatum eſt, regē civitatis cauſam contra juſtitiā æquitatēq; improbaſſe, prædicto tamen tempore, ut qui civis Florentinus, quæq; civis Florentini bona poſt dies ſexaginta in regno reperirētur, in eos eaq; jus ac poteſtas tyranno foret. Ob eā rem incōmoda magis accepta ſunt, quàm damna, ꝙ ſpaciū habuerunt ſe ſuaque colligendi. Altero dehinc anno primo ſtatim vere ſolicitā habuit civitatē ſterilitatis formido, nec id vernâ tantū intemperie cœli, quantū ſuperiorib⁹ imbribus, qui circa ſemen tē omnia diluerant. Itaq; ſegetes perpaucæ in agris, & illæ ipſæ ſqualidæ arentesq; cernebantur. Et augebat metū, quod non unā aut alterā Italiæ partē; ſed totas omninò regiones eadē premebat calamitas. Ex hoc metu caritas primò coorta, eaq; ipſa indies augeſcens. Tandē ubi ad meſſis tēpora ventū eſt, tunc, re jā ipsā defectū arguente, cùm nil ferè ex agris reportaretur, circūſpicere ſeſe homines, ac futurū horrere, parvosq; jam inde natos, & imbecillē turbā miſereſcere. Cùm ergò fames haud dubiè immineret, ſolers planè ad hoc civitas in Africa & Sardinia & Sicilia, aliisque locis permultis, magnâ vi frumenti comparatâ, mari ſimul terrâq; importandū curavit

Bardorum familia.

Fides ſocietatis abrumpitur.

Collina porta.

Signa populi ſculpta ſponte cadūt.

Sterilitatis formido civitatem habet ſolicitam.

Segetes perpaucæ in agris cernūtur.

Fames imminet. In Africa, Sardinia & Sicilia magna vis frumenti cōparatur.

Nec eo tamen modo evitari potuit, quin difficultates permaximæ eo anno ſubirentur. Turba enim ex agro in urbem mendicatura longis agminibꝰ mulierum puerorumq; advenerat. Ex finitimis etiam civitatibus, quæ minus ad hoc providæ fuerant, multitudo cōcurrerat, ut infinitus propè numerus hominū eſſet alendus, magnūq; in his civitatis meritum humanitasq; eluxit. Non modò enim non rejectus eſt quiſquàm advenarū peregrinorūq;: ſed, etiāſi tenuis foret, liberalitate gratuitâ ꝑ tantā rei frumētariæ inopiā ſuſtentatus, ut propè collatū à civitate beneficiū in genus humanū videretur. Multa inſuper eo anno tenuioribꝰ indulta, & illud inprimis, quod creditorū acerbitas repreſſa eſt, lege latâ, ne quis, niſi certâ formâ, pro ære alieno cōveniri poſsit. *Satis enim premi caritate ipſā multitudinē exiſtimavit civitas.* Et accedebant ad caritatē morbi, qui multitudinē convenam, & urbis inſuetam conſecuti, urbanam quoq; appræhenderant turbā, ut & commiſerendum, & ſuccurrendū eſſet.

In alendis hominum infinito propè numero civitatis humanitas eluxit.

Creditorum acerbitas repreſſa eſt.

Ad caritatem accedunt morbi.

Fame ac morbo laborantem civitatem nova inſuper cura ſolicitam reddidit. Carolus enim Johannis Regis filius electus ad imperiū ferebatur. Ob eam rem formido injecta eſt civitati: nec immeritò quidem. Veniebat enim in mentem, & cum Herrico hujus avo, qui caſtra ad portas ipſas Florentiæ habuerat: & cū Johanne patre, bella propè continuatâ ſerie geſta fuiſſe, multisq; illorū cœptis per Italiā ab hac civitate obviatū. Deniq; hunc ipſum Carolum adoleſcentē non expertē fuiſſe belli, cùm & Lucæ, & per Galliam rudimenta ipſa, vivente patre, adverſus hunc populum ſuo etiam detrimento poſuerit. Quibus de cauſis reſidere odia infenſionesq; credebantur. Cæterùm harum rerum querela & conſternatio erat, nulla tamen remedia tunc adhiberi poterant, prementibus iis, de quibus ſupra diximus, incommodis.

Carolus Regis Iohannis filius electus ad imperiū fertur.

Ob eam rem formido injicitur civitati.

Eo anno Minias opidum in poteſtatem Florentini populi pervenit, dedentibus opidanis, ob inteſtinas ſeditiones & nobilitatis injurias fatigatis.

Minias opidum in poteſtatem Florentini populi devenit.

Altero dehinc anno priusquàm ſegetes matureſcerent, eædem, quæ ſuperiori tempore, difficultates rei frumentariæ populū tenuére. Maturis deinde frugibꝰ atq; collectis difficultates illæ priſtinæ ceſſavere. Variis tamē morborū generibꝰ laborabāt, & peſtilentiæ, qua poſtmodū vaſtata Italia eſt, ſigna quædā horrenda tūc primùm apparuerunt. Ea clades biennio ferè antè (quantū haberi notitia poterat) in orientis partibus coorta: mox inde per populos peſtilenti contagio evagata, alia ſubinde appetendo loca, regiones cumulatis funeribꝰ inanierat. Febris erat ſoporifera & inguinis tumor. Id quaſi venenū quoddam robuſtiſſimos juvenes, alioquin ſanos, repentè invadens, pauciſſimis interdū enecabat horis. Contagia omniū exitioſa erāt. Ea igitur tunc civitatē ingreſſa, imbecilliora primùm corpora puerorū puellarumq; cōſi cere cœpit: inde ad firmiora tranſgrediens per omnem ſexum ætatemq; vagata eſt.

Difficultates rei frumentariæ ceſſant.

Peſtilentia Italia vaſtatur.

Febris ſoporifera & inguinis tumor.

Contagia omniū exitioſa ſunt.

Eodem anno Ludovicus Roberti Regis nepos domo profugus, parvo admodū comitatu in agrū Florentinum pervenit. Fugiebat autem Hungariæ Regem magno cum exercitu Apuliam ingreſsū, necem fratris nuper interfecti perſequentē, ac regnum quaſi hereditariū ſibi vendicantē. Pro quarum cognitione rerum paulò altiùs repetendum eſt, ut familia civitati noſtræ amiciſsima, ejusq; caſus progreſſusq; non ignorentur. Carolo, qui primus ejus familiæ regnū Siciliæ obtinuit, filius unicus ſuperſtes fuit, ex eoq; numeroſa nepotum ſeries. Sed filius ipſe navali prælio, non procul Neapoli ſuperatus, in Arragonia captivus aliquandiu fuit, ut ſupra à nobis eſt quodam loco narratum. Morienti deinde Carolo, quoniam filius in captivitate tenebatur, nepotum maximus in Regno ſucceſſit, Carolus & ipſe nomine. Hic igitur adoleſcens ſtatim poſt mortem avi Regium nomen obtinuit. Reverſo deinde à captivitate patre, ac Regio nomine ſuſcepto: filius in Pannonicas miſſus Regnum illic obtinuit ex hereditate materna. Ita partito quodammodo honore, filius apud Pannonias: pater in Italia regnavit. Mortuo deinde poſt aliquot annos patre, Robertus ſecundo natus loco in Regno Siciliæ ſucceſſit, etſi non deerant permulti, qui Pannoniis evocandum legitimum ſucceſſorem exiſtimarent. Et ſuberant jam tunc querelæ & incuſationes. Sed Robertum per omnem ætatem in Italia cōmoratum, egregiâ inſuper indole, favor populorū cōplectebatur: Fratris verò filios, veluti longinquitate alienatos, vix jam agnoſcebant populi, & quia latiſsimè in Pannoniis dominabantur, ſatis ſuperq; Regni poſsidere exiſtimabant. Robertus filiū habuit Carolū, quē per Caſtrutiani belli tēpora cū ingentibꝰ copiis Florentiā veniſſe oſtendimus. Sed hic vivente adhuc patre defunctus absq; virili ſubole, filias reliquit duas, quæ parvulæ admodū, ac penè infantes apud Robertum avum educabantur. Ex Carolo

Ludovicus Roberti nepos domo profugus, in agrum Florentinum pervenit.

Hungariæ Rex necem fratris nuper interfecti perſequitur.

Carolus regnum Siciliæ primus ejus familiæ obtinuit.

Robertum favor populorum complectebatur.

Robertus filium habuit Carolū. & Filias duas.

Ungariæ Rex Carolus filium habuit Carolum eundem nominis. Huius filii fuerunt Ludovicus & Andreas. Andreas Johannæ nepti Roberti coniungitur. Andreasq; fautores Reginæ laqueo iniecto ſuſpendio necatur.

Ungariæ Rege alius item Carolus eſt exortus. Huic filii duo ſuperſtites fuêre: Ludovicus & Andreas, quem adoleſcentem adhuc Robertus, quaſi bonam fidem recognoſcens, Johannæ nepti maritum dederat, ac unà cum illa regnare in Apulia teſtamento juſſerat. Traductus igitur in Italiam adoleſcens, & Johannæ conjunctus, cùm non ſatis benè inter eos conveniret, nec deeſſent, qui Reginam contra maritũ incitarent, eò uſq; ſimultates occultaq; odia proceſsêre, ut vocatus per noctẽ adoleſcens, quaſi magnum aliquid urgensq; inſtaret, per fautores Reginæ laqueo repẽtè injecto ſuſpendio necaretur. Conſciam fuiſſe Reginam tàm atrocis facinoris creditum eſt. Et auxit infamiam alter ſubinde conjux ab illa ſuſceptus.

Ludovicus Ungariæ Rex fratris necem vindicare cupit.

Ea fœditas Ludovicum Ungariæ Regem permovit, ut cum exercitu in Italiã veniens, & fratris necem indignam, & Regnum quaſi debitum ſibi vendicaret. Regina metu extorris in Narbonenſem aufugit provinciam. Nec multò pòſt eam ſecutus novus conjux (erat enim quoq; patruelis) parvo comitatu in agrum Florentinũ advenerat. Civitas, quoniã domeſticæ illius familiæ erant diſcordiæ, ac res atrociſſima agebatur, neutri parti favere conſtituit: Itaq; nec venire in urbẽ cupientẽ permiſit, nec ullo auxiliũ genere, poſtulantẽ licet, proſecuta eſt. Proximo dehinc anno peſtis jampridẽ ingreſſa urbem ita deſævit, ut ſupra fidem videatur ejus ſtragẽ referre. Sexaginta amplius hominũ millia defuncta morbo intra urbẽ cõſtat, & inſignes viros, quorum conſilio reſpub. nitebatur, fermè omnes ſublatos. In agro autem exinanita cuncta ac penè deſerta. Ob eam calamitatem nihil publicè geri eo anno potuit: Tantùm adverſus latrones, qui per Apennini jugum itinera infeſtabant, copiæ quædam miſſæ.

Peſtis ita deſævit ut ſupra fidem videatur eius ſtrages. Sexaginta hominum millia defuncta peſte intra urbem conſtat. Inſignes viri fermè omnes ſunt ſublati.

Sequenti etiam anno parum, aut nihil, geſtum, conſternatâ adhuc civitate ſuperiori peſtilentiâ. Collenſes tantùm & Geminianenſes domeſticis ſeditionibus laborantes in poteſtatem Florentini populi redierunt: Et circa Apenninum aliquot caſtella de Ubaldinis capta, quibus latrocinia exercebantur.

Collenſes & Geminianenſes in poteſtatem Florẽtini populi redeunt.

ANNO 1350.

Johannes Vicecomes Mediolanẽſium præſul, per Galliã imperat. Bononia dominio Johannis adiungitur. Pontifex Romanus Bononiæ occupationem graviter fert.

Altero dehinc anno (is erat annus quinquageſimus ſupra milleſimũ trecenteſimũ) nova ſunt ac magna rerũ certamina civitati exorta. Johannes erat Vicecomes Mediolanenſium præſul. Is ſuſceptâ à ſuis dominatione latè per Galliã imperabat, & ad veterem ſuorum potentiam maxima & ipſe addiderat incrementa. Ex quo egregiè potens Tyrannorum omnium factus, cum jam antea formidabilis eſſet, tum auxit timorem Bononia, per hoc ipſum tempus dominio ejus adjuncta, civitas magna atq; finitima, ut eam poſſidens tàm ingens potentia minimè quietura videretur. Adverſus hunc igitur naſcentẽ morbum remedia quærens civitas, non ſubito, nec impotenti & temerario impetu: ſed maturitate conſilii & prudentiâ veſtigabat. Graviter ferre Pontificem Romanum Bononiæ occupationẽ non ambiguum erat: Formidari etiã Mediolanenſis robur à Maſtino cæteriſq; finitimis Tyrannis exiſtimabatur. Cum his omnibus ſi ſocietas iniretur, accedentib⁹ Hetruriæ civitatibus, quæ erant in fœdere, ſatis ſuperq; viriũ fore ad cõprimendã Mediolanẽſis potentiã judicabãt. Data his omnib⁹ occultè opera eſt à civitate. Deniq; civitatis conſilio & operâ factũ eſt, ut & Legatus à Pontifice miſſus, & Tyrannorum civitatumque oratores hujus rei gratiâ in unũ coirent. Conventus congreſſusq; omniũ Aretii fuit. In re agitandâ tractandaque Peruſini, quoniam longiùs aberant à ſuſpicione periculi, minùs eam ſocietatem appetere comperti ſunt: etſi id non apertè, ne diſcrepare à ſociorum voluntate viderentur. Sed per ſingula rerum tractandarum capitula difficultatem reperientes diſceptanteſq;, ac demum allegantes rem in longum protrahebant. Inter hanc moram nuncius de Maſtini morte ſupervenit, eaq; de cauſa cõventus re infectâ dimiſſus, cùm jam depræhensâ Peruſinorum mente, vel præter eos ſtatuiſſẽt cæteri ſocietatem coire. Hoc igitur quaſi fortunæ beneficium cœptis ſuis faventis accipiens Præſul (ſenſerat enim conventus Aretii factos, & contra ſe parari intelligebat) majora ſtatim animo concepit. Itaque deditâ confeſtim ſagaci operâ per Hetruriam atq; Flaminiam cunctos diverſæ factionis homines in ſuam amicitiam tutelamq; pellexit. Ne quid verò ſibi à tergo relinqueretur, Maſtini filium, qui mortuo patri in dominatu ſucceſſerat, multis magniſq; pollicitationib⁹ delinitum nõ modò avertit à propoſito paterno: verùm etiam fœdere ſibi inſuper amicitiâq; conjunxit. Quo facto cæteri quoq; p Galliã tyranni in ejus amicitiã cõceſsêre. Inter hæc propoſitum diſsimulans de Florẽtino populo amiciſsime loquebatur, ſcribebatq; nõ nunquã, quo ſuſpicionẽ auferret. Bononiæ copiis, quas ea in urbe habebat, Bernabovẽ

Legatus Pontificis & Tyrannorum, civitatũque oratores in unum coeunt. Conventus omnium fuit Aretii.

Præſul per Hetruriam atq; Flaminiam cunctos diverſæ factionis homines in ſuam amicitiam tutelamq; pellexit. Maſtini filium fœdere & amicitia coniunxit. Bernabovus præficitur Bononiæ copiis.

præfecerat

præfecerat nepotem, videriq; cupiebat, mentem ſuam ad alia ſpectare. Quin etiam ut alibi implicaretur bello, exercitu ad Imolam miſſo, obſideri eam urbem juſsit. Affuerunt in obſidione Bononienſes magno quidē numero, juſsi hoc agere, ne relicti domi per abſentiam copiarum aliquid molirentur. Affuerunt & Faventini & Forolivienſes, quorū Tyranni partim ob inimicitias Romani Pontificis, partim ſimili ſtudio partiū ſeſe Mediolanenſi conjunxerant. Præter hos, copias ſuas adduxerat Bernabos equitum ad tria, peditum verò mercede conductorum ad quatuor millia. Hac multitudine copiarum fretus Imolam primo ſtatim adventu expugnare aggreſſus eſt. Quod cùm minus ſuccederet, eam undiquaq; præſidiis cinxit. Vi autem expugnare non amplius tentavit, expertus aliquoties, fruſtra conari ſe adverſus urbē munitā foſſis, atq; ab his, qui erant intus, egregiè defenſam. Florentinis verò hæc intuentib⁹ indies magis creſcebat formido, præſertim cum Piſanos Mediolanenſi adhæſiſſe rumor vulgaſſet. Et dubitabatur de Pratenſium Piſtorienſiumq; fide, quorū opida & finitima urbi & opportuniſſima bello inferendo plurimum erant. Eorum ſi alterutro potiretur adverſarius tam potens, actum de libertate exiſtimabatur. Suſpicioſiorem verò rem faciebant eorum *diſcordiæ, per quas facilè ſurrepere adverſarius poſſet*. Ad hæc igitur ante omnia converſæ mentes, neq; negligendum, neq; differendum ſtatuêre. Itaq; multitudine confeſtim armatâ, miſsisq; repente copiis, ad ipſa Prati mœnia, non tàm hoſtili, quàm inopinato terrore poſuerunt caſtra. Pratenſes ſubitâ re trepidi, utpote qui nec rationem hujus facti, neq; conſilium noſſent, ſumſerunt raptim arma, & ad eam partem opidi, quâ caſtra erant, concurrerunt. Ibi cùm Florentinos in armis cernerent, nihil hoſtiliter molientes, neque lædentes quenquam: ſed illud modò poſtulantes, ut ad tollendas ſuſpiciones cuſtodia ejus opidi Florentino populo traderetur, pro communi utilitate, quieteque eam habituro. Etſi dura vox plerisque videbatur: tamen quando tantæ copiæ ad portas ſtarent, ipſi verò imparati omnino eſſent, incerti primo conſilli aliquandiu ſtetêre, nec concedere poſtulata neque negare, audentes.

[*Imola urbs.* — *Faventini. Forolivienſes.* — *Præſul Imolam expugnare aggreditur.* — *Florentinis indies creſcit formido.* — *Florentini ad Prati mœnia ponunt caſtra.* — *Pratenſes cuſtodiam eius opidi Florentino populo tradunt.*]

Inter hæc Florentini cives, qui in armis erant, ut quisq; notum amicumq; Prati habebat, compellando benignè exhortandoq; in ſententiam trahere conabantur, monentes, quoniā deſiderium Florentini populi cōſpiciant, parére voluntati, quàm vim experiri malint. *Multa quæ interdum aſpera primò videantur, proſpera tamen ad extremum reperiri.* Id eſſe conſilium Florentini populi, ut non minus de Pratenſium, quàm de ſua propria ſalute cogitetur. His tandē vocibus, ac virorum reverentiâ, & præſenti neceſsitate compulſi, Pratenſes portas aperuêre, & Florentinorū præſidiū intra mœnia recepêre. Et res quidē Pratenſis in hunc modum compoſita ſuſpicionē ab ea parte ſuſtulerat.

[*Pratenſes portas aperiunt & Florentinos recipiunt.*]

Reſtabāt Piſtorienſes: Ea quo amplior erat civitas, eò cautiori ſtudio tractanda videbatur. Sed obtulit occaſionē idoneam ſeditio, quæ recens in ea civitate coorta, partē civium egerat extorrē. Itaq; ꝑ ſpeciē officii præſidiū eò mittere Florentini poſtulârunt. Piſtorienſes verò non diſſimili figmento id recipere abnuerunt, ſed nō ita multū, ut ſibi formidandū eſſet, & eos ipſos quos receperāt ſacramento obligârunt. Quare per eam quidē viam nihil profectū videbatur. Et ſuberat formido mentibus infixa, qua intenti Priores civitatis, dum ipſi per ſeſe absq; populi ſcitu providere feſtinant, inhoneſtum tandē conſiliū ſuſceperunt. Re enim cum exulibus Piſtorienſiū arcanè compoſitâ, ſubitarias cum illis miſerunt copias. Hi noctu progreſſi, nullo penitùs ſuſpicante, primo ſtatim adventu ſcalis mœnia conſcenderunt, & quoſdam in urbem dimiſerunt. Ipſi verò de muro clamorem tollentes, ſperabant milites, qui præſidii causâ miſsi fuerant, unà ſecum rem aggreſſuros. Etenim præmiſerat Magiſtratus ad eos Petrum quendam conducendis militibus ſcribam, & ob id plerisque eorum familiarem, qui rem ediceret. Sed is ſive metu, ſive negligentiâ per viam deſederat. * Itaq; milites totius rei ignari, ut primùm clamor è muris ſublatus eſt, integrâ fide cum Piſtorienſibus concurrerunt, factoq; confeſtim globo ingreſſores deturbarunt. Ita pulſi è muris qui cum exulibus aſcenderant, quot eorum ſe in urbem dimiſerant, aut capti aut interfecti ſunt. Crediderant primò Piſtorienſes exulum modò ſuorum fuiſſe conatum: *qui error audaciam eorum plurimum juvit*. Sed poſtquam ex captivis, adeſſe Florentini populi copias, intellexêre, atque orta ſubinde lux vexilla patefecit, majorem ſibi imminere periculi molem ſentientes ad certamen ſe compararunt, & ad tutelā urbis acrius ſurrexêre. Hæc paulò pòſt Florē

[*Priores Piſtorienſes inhoneſtum conſilium ſuſcipiunt.* — *Exules ſcalis mœnia conſcendunt.* — * M. P. diſcederat. — *Exules & qui cum [illegible] aſcenderant, à Piſtorienſib. pulſi è muris aut capti aut interfecti ſunt.*]

tiæ vulgata optimum quemq; & graviſſimum commoverunt, lacerabaturque circulis & conventibus Magiſtratus cœptum, utpote fœdum atque nefarium. Ignaviam verò & imperitiam omnes deteſtabantur. Jact verò non adauctam modò ſuſpicionem: ſed certum in periculum rem conjectam exiſtimabant, putantibus cunctis Piſtorienſes, tantâ fraude injuriâq; compulſos, ad Tyrannum ejusq; propinquas opes ſe haud dubiè converſuros. Cum verò, quid agendum foret, conſultarent: etſi cœptum improbabant omnes maximè: tamen quid potiſſimū ut in malis ſequendū foret dubitabant. Deniq; coacto omnium conſilio, cùm de hoc ipſo conſultaretur, aſſurgens quidam ex ſenioribus in hunc ferè modum orationem habuit: Si res integra nobis foret, ô Præſides! nec attentata priùs neq; detecta, non difficile mihi videretur conſilium explicare: Quippe ſuſpicionem libertatis alterius occupandæ finitimis inferre, & omnem incertum atq; injuſtum motum noſtris rationibus inimicū cenſere. Nunc autem eò difficilior conſultatio eſt, quod perperā ac pene contra naturam agitur. Quippe cæteri quidem omnes ante rem conſultare ſolent: Vos autem (quod bonâ veniâ dictum ſit) poſt rem actam conſilium poſtulatis. Atqui bono quidē animo factum à vobis, Præſides, exiſtimare debemus, qualecunq; tandē eſt factū. Nota eſt enim integritas veſtra, & fides, & animus in Rep. ſincerus & rectus. Veruntamen res gerendæ, præſertim magnæ, & non ad privati alicujus, *ſed ad totius civitatis diſcrimē pertinentes, non propoſitū ſolūmodo bonum ſed conſiderationē maximā & circūſpectā multorū deliberationē efflagitant: Nā ea quæ multorū ſunt, à paucis determinari nec honeſtū eſt, nec illis ipſis, q determināt tutū. Populus enim, niſi ſuarū rerū autor ipſe ſit, quæcunq; nō rectè ceciderūt, exagitare ſolet, ac pænas nōnunquā imperioſè exigere. Sed facta qdē, ne facta ſint fieri nō poteſt.* itaq; hæc omittamus cōqueri, & quid remedii ſit in hiſce malis potiùs meditemur. Dico igitur, non eſſe Piſtorienſe cœptū à nobis deſerendū, [illegible] quia id probē: (nec enim ſi res integra foret, idem cōſulerē) ſed quia cùm ſemel cœptū fuerit, periculoſū nimis foret, ſi in hac ſuſpicione Piſtorienſes dimitterētur. Longè autē minùs dubirādū eſſet de Piſtorienſiū voluntate, ſi laceſſiti non fuiſſent à nobis, qui præterquā occupare nocturnâ fraude illorū urbem, exules inſuper inimicos eorū, qui Remp. gubernāt, armatos reducere in ipſorū cervices ſtuduimus. Hæc autē qualia ſint, de vobis ipſis cōjecturā facite. *Neq; enim, cùm ipſi tàm charā habeamus libertatē noſtram, cùm pro illa pericula omnia, mortē etiā ſi expediat, oppetendā prædicemus, non eundē ſenſum eſſe cæteris hominibus exiſtimandū eſt?* Nonnullis forſan ejus rei facultatē deeſſe. At enim voluntatē omnib⁹ eandem eſſe putandum eſt. Reductionē verò exulū noſtrorū quibus nos, quæſo, indignationib⁹ perferremus, ſi non pactione conſenſuq; noſtro; ſed armatos, & p vim improviſam quis eos reduceret contra cervices noſtras? Hæc igitur omnia penſantes, inimiciſſimo erga nos eſſe animo Piſtorienſes exiſtimare debemus, ac poteſtatē omnē præripere nocendi. Illud oſtendatur verbis, nō eſſe propoſiti noſtri libertatem eorum auferre, ſed pro incolumitate ſua ac noſtra præſidium in urbe ipſorum quoddam habere, quo & ipſi tranquilliùs degant, nos verò ſecuriùs, & ſuſpicio de mentib⁹ Florentini Populi auferatur. Quod ſi recipere nolint, non eſſe ſic habituros, ut cum hac ſuſpicione nos & ipſi relinquamur. Deniq; oſtendatur, illis eſſe in eorū arbitrio, utrū hoſtem Florentinū Populum, an propiriū & amicum habere malint. Nec ob ea verba retardentur, quæcunq; ad obſidendas expugnandasq; urbes ſunt comparanda. Rogentur auxilia ſocii: copiæ omnes ad Piſtoriū cogantur; juventus noſtra ſub vexillis egrediatur; oſtententur machinæ; tormēta cōvehantur: ut non levi conatu, ſed præſenti obſtinatoq; animo cuncta facere videamur. Aut enim verbis apparatuq; noſtro flectentur Piſtorienſes: aut ſi pertinaces proterviq; eſſe pergent, malo domiti frangērur. Dixi, *quæ mihi optima factu in hoc tēpore videantur, Deum rogo veſtris in mentib. ponere, quæ ſalutaria maximè ſint futura.*

Magiſtratus cœptum utpote fœdum laceratur Florentiæ.

Ex ſenioribus quidam orationem habuit.

Hanc ſententiam ad extremū ſecuta civitas, ſtatuit ab incepto haud quaquàm deſiſtere: ſed extrema cuncta experiri, quo Piſtoriū in poteſtatem venire cogeretur. Hac itaque mente undiq; copias contrahere, ac majore vi urgere Piſtoriū perrexere, ut eſſent intra triduū in caſtris armatorū ſupra XV millia. Hac multitudine urbē circūdantes, vallo etiā & foſsâ illam cinxere, ut nemo ingredi egredive poſſet. Piſtorienſes contrà vi ſumma obnixi jus libertatemq; tueri cōtendebāt: neq; noctu, neq; interdiu laborib⁹ abſiſtentes. Milites autem Florētini Populi, qui intus fuerāt, incolumes dimiſerūt. Neq; enim nocte illâ, quâ tētata invaſio eſt, inutiles fuerāt Piſtoriēſib⁹, nec poſtea quicquàm cōtra ſi[illegible]egetant: ſed arma tenentes cum honeſtate quierant,

Florētini undiq; copias cōtrahere, ac majori vi urgere Piſtorium pergunt.

Piſtorium à Florentinis obſidetur, ſed hoſtilis oppugnatio deeſt.

Colloquia quotidiana fiunt inter obſeſſos & obſidentes.

erant, nec faventes cuiquam neq; moleſti. Et Piſtorium quidem in hunc modum obſidebatur: hoſtilis tamen oppugnatio deerat. Colloquia verò propè quotidiana fiebant, obſeſſos inter & obſidentes: His ut acciperent præſidium in urbem ad tollendas ſuſpiciones; illis nec juſtā nec æquā poſtulationem, nullamq; eſſe causā, cur ſuſpicari de ſe debuerint, cōtendēribus. Sed cùm per eū modū nihil proficeretur, ac teri fruſtra tempus appareret, & colloquia ipſa interdum liberiùs agitata contentionem certamenq; accēderent: ad vim converti res cœpit, & quaſi juſto cum hoſte bellum & oppugnatio parabatur. Ea de causa vineas agere, turresq; ligneas excitari atq; cætera convehi ad oppugnandas urbes opportuna. Cùm adſpicerent Piſtorienſium ii, * qui amiciores Florentini Populi per omnem vitam fuerant, veriti, ne, oppugnatione adhibitâ, reliqui Piſtorienſium ad opes Tyranni convertantur, ac ſuarum partium everſio ſequatur; præſtare tandem ſtatuerunt, præſidium Florentini Populi in urbem recipere. Horum ſententiam (erat enim hæc maxima pars) cæteriq; tandem ſecuti ſunt. Per hunc modū res malè cœpta bonū tandē exitum habuit.

** Noſtrum MS duo Piſtorienſes ſtatuunt præſidium Florentini Populi in urbem recipere.*

Res malè cœpta bonum tandem exitum habuit.

Piſtorio Pratoq; receptis Florentini conquerunt.

Charitas ficta Præſulis & ſuorum.

Piſtorio Pratoq; receptis Florentini minus jam ſuſpicione degentes conquierunt. Neq; enim hoſtile quicquam adverſus ſe moveri intuebantur, neq; cauſas ullas belli juſtas ſubeſſe: ſublatâ quoq; facultate propinqui alicujus opidi potiundi magna ex parte obviatum periculo exiſtimabant. Et augebat fidem caritas ficta, quòd Præſul ac ſui, qui Bononiæ præerant, honorificentiſſimè de Florentino Populo loquebantur. Et quoties quid incidebat, promtus inprimis erat favor, ut nihil minus diceres, quàm aliquid adverſi cogitare, contentumq; vicinitate, ſatis benè ſecum agi, ſi dominatus Bononiæ ſibi nequaquam turbaretur. His de cauſis Florentini neq; militem parare, neque Ducem pergebant, ne ipſi non parum confidere præſenti quieti viderentur, eoq; ipſo quod augerent copias, aliquid ſuſpicionis illi afferrent.

Imolenſe bellum ſuperſtes videtur.

Florentia inter ſpem & metum dubia inermis perſtat.

Adverſarius verò armatur.

Præſul cives Bononienſes capi jubet.

Belli occaſio à Præſule arripitur.

Enimverò parandi augendique copias Præſuli magna ſuberat facultas. Nam & Imolenſe bellum ſuperſtes videbatur, & per Galliam ſuſpiciones metusque prætexere non difficile erat, & nova Bononiæ dominatio contra cives ipſos ſuſpicioſiſſima citra ullum Florentini Populi reſpectum robur & arma flagitare videbatur. His rationibus effectum eſt, ut civitas inter ſpem & metum dubia perſtaret inermis, adverſarius verò armaretur. Cùm ſatis paratus eſſet Mediolanenſis Præſul, cives Bononienſes primarios in ea civitate homines quaſi conjurationis reos capi jubet. Ab his, uti voluit, tormentis extorquet, ſeſe de dominatu ejus repellendo liberandaq; civitate cum Florentino Populo conſiliū iniiſſe. Hinc arrepta belli occaſio eſt. *Quid enim minus deeſt Tyrannis, quàm falſas pro veris cauſas effingere?* Hanc igitur ille prætexens cauſam, cùm bellū movere ſtatuiſſet, diverſę factionis homines, quos per Hetruriā ſibi cōjunxiſſe ſuprà diximus, ad ſe in Galliam vocat. Ivêre frequētes, quaſi ſalutandi officio: Quorum verò profectio ſuſpicioſior erat, ii legatos miſêre. Eos ergò in unum convocatos adverſus Florentinum Populum incendit, damna, quæ ſinguli per ſuperiora tempora perpeſſi fuerint, commemorat, veniſſe tempus affirmat, ſi modò viri eſſe velint, Florentinum Populum opprimendi, ac diverſæ factionis nomen penitùs extinguendi. Se enim, ſi operā illi ſuam polliceantur, exercitum magnâ multitudine Florentinum in agrum mittere, urbemq; urgere ſtatuiſſe. Providendum ab illis eſſe, cùm exercitus illis in locis fuerit, quisque res novas ut à ſuis opidis unum ſub tempus, quanto maximè valet impetu, moliatur. Ita ſubitò circumventum undique Florentinum populum reſiſtere non poſſe. Hujus dicta (erant enim vero ſimilia) propter ſummam dicentis autoritatem ac potentiam omnes, qui aderant, lætis animis exceperunt, operam ſuam ſtrenuè polliciti, cohortati etiam, ne tam certæ ſpei deeſſe vellet. Re itaque in hunc modum compoſitâ diſcedunt, quæ opus ad bellum ſunt tacitè parant, adventumque copiarum præſtolantur. Præſul omnibus copiis Johannem præfecerat Vicecomitem, cui Olegiano fuit cognomentum, & quæ fieri vellet, ſecretò mandaverat. Hic igitur, copiis undiq; in agrū Bononienſem contractis, cùm omnes in urbem * conveniſſent, inde repentè movens, nemine penitùs ſuſpicante, ad jugum Apennini duxit, qua Bononienſē agrū Piſtorienſemq; diſterminat. Ibi nocte unâ cōmoratus, alterâ mox luce circa Piſtoriū deſcēdit, nec lōgè ab ea urbe poſuit caſtra. Florētini ſubitâre penè attoniti, quo ſe verterent ad primū ſtatim nunciū neſciebāt, & trepidabatur ubiq; & (ut in gravib⁹ repētinisq; periculis accidere ſolet) ſubeſſe aliquid arcanæ fraudis timebatur. Miſſi tamē raptim eqtes quingēti & pedites trecēti Piſtoriū intrârūt. Hi pręſi

Convocat ad ſe in Galliam diverſæ factionis homines.

Eos convocatos adverſus Florentinos incendit.

Præſulis dicta contra Florentinos omnes qui adſunt lætis animis excipiunt.

Præſul copiis Johannem Vicecomitem, cui Olegiano fuit cognomentum præficit.

** unum MS. Pal.*

Florentini attoniti, quo ſe vertant neſciunt.

dio

dio, quod prius in ea urbe fuerat, adjuncti amicis quidem animos fecerunt ae urbem defendendam; & ſimul, ſi qui res novas cuperent, eos adventu ſuo compreſsêre. Legati etiã inter primum ſtatim tumultum ad Olegianum miſſi, qui cauſas ſciſcitarentur hoſtilis adventus, & quid ſibi vellet, flagitarent. His in caſtra profectis, cùm mandata expoſuiſſent, nihil aliud Dux hoſtium reſpondit, quàm conſueſſe Præſulem Mediolanenſem amicis viciniſque ſuis, qui injuriis premerentur, ſubvenire: Audiiſſe verò, multos per Hetruriam à Florentinis premi & indignè injuriis affici. Veniſſe ergò, ut his opituletur. Proinde aut accipiendum Præſulem arbitrum, cognitoremque juris & querelarum, aut vim ejus experiundam. Eo reſponſo accepto Legati non diſceptandum verbis rati cum eo, qui non rationem, ſed arma inferret, è veſtigio abſceſsêre.

Legati ad Olegianum à Florentinis mittuntur.
Ducis reſponſio.

Erat hoſti permagna ſpes urbe Piſtorio potiũdi, ducto maximè eã ratione, quod recenti Florentinorũ injuria Piſtorienſiũ animos infenſos planè exulceratoſq; putabat. Itaq; cùm jã omnes cõveniſſent copiæ, ſub ipſa mœnia profectus recipi in urbẽ poſtulavit. Id verò cũ lõgè aſpernarẽtur, q iurus erãt, obſidere oppugnareq; perrexit.

Hoſtis Piſtorium obſidere & oppugnare pergit.

Per hoc ipſum tempus multis per finitimas Regiones locis tumultus ſunt concitati. Nam & Sacon à Bibiena Aretinorum opido ſubito confeſtim inſultu Regionẽ terrore cladeq; involvit. Et Pactii Ubertiniq; ab eorum caſtellis omnia per ſuperiorem Arnum loca repentinis incurſionibus infeſtârunt: Et Ubaldini per Mugellanum euntes agrum Florentiolam & alia quædã caſtella improviſo ceperunt, indeq; auctis copiis latè prædabantur. Quæ uno tempore nunciata, cuncta horrore trepidationeque repleverant.

Pactii & Ubertini omnia loca repentinis incurſionibus infeſtant.
Ubaldini Florentiolam & alia caſtella capiunt.

Olegianus aliquot dies circa Piſtorium commoratus, cùm perſpiceret conſtanter à Piſtorienſibus reſiſti, nec motum intra urbem ullum oriri, nolens in eo uno tempus terere, ab impugnatione deſtitit, ac Florentiã verſus rectâ viâ per agrum Pratenſem exercitum duxit, habens equitum ſupra decem, peditum verò mercede conductorum ſupra ſex millia; præter hos auxiliarium voluntariorumq; multitudo ingens ſequebatur. Cum his copiis haud procul ab urbe caſtra fecit ſuper Biſentium amnẽ. Commeatũ exercitui prædæ rapinæq; primo adventu ſuppeditabãt egregiæ. Longâ enim pace bonis omnibus refertas domos, & pecoris magnam vim nacti, ab his facilè educabantur. Agmina verò armatorum ſæpè ad portas uſq; diſcurrentia magno tumultu infeſtabãt. His in locis cùm aliquot dies perſtitiſſent, & cõmeatus profligatè abſus* jã deficere videretur; ſimulavit hoſtis, ſe trãs urbẽ ducere in animo habere. Et jactabãt in caſtris ad Salvianum templũ vexilla poſituros. Id cum ex captivis trãsfugiſq; cognitũ eſſet, permoti eo terrore Florẽtini, foſsã à mœnib⁹ urbis ad proximũ inde collẽ parũ citra viã Bononienſẽ, ſubito perficiendã opere curaverunt. Eãq; foſſam crebrâ ſtatione militum ac magnâ ſagittariorum manu die noctuq; cu odiebãt. Feſſulana verò in arce ſumma præſidiũ munierunt, quo trãſitus hoſtiũ impediretur.

Olegianus ab oppugnatione deſiſtit.
Olegianus Florentiam verſus exercitum ducit.
** M S. Palat. ut & Noſtrum abuſus: ſed non niſi ... excuſabitur.*
Feſulana arx

Inter hæc Olegianus, ſive deterritus munimentis, ſive quòd ab initio ita conſtituiſſet, omiſsâ tranſcundi eâ à retrò profectus ad Marinam fluvium caſtra fecit. Ibi Calentiano aliiſq; munitis quibuſdam locis expugnatis, cùm prædæ aliquantum ex eo redegiſſet, per ipſum fluvium profectus arctis difficillimiſq; ſaltibus præmiſſo pedite occupatis nullo impediente in agrum Mugellanum tranſmiſit.

Olegianus retro proficiſcitur.
Marina fluvius.

Hic rurſum in locis Barbarinum & alia quædam caſtella, non ſatis contra vim hoſtium munita, dedentib⁹ ſeſe incolis ſuſcepit, à quibus cõmeatu abundè refectus cũ eſſet, Scarpariæ copias admovit. Placuerat enim jampridẽ hoſtibus ea belli ſedes, quod ad Bononiã verſa Apẽniniq; arcibus finitima, opportunitates ad bellum complures habitura videbatur. Itaq; id opidum in poteſtatẽ redigere omninò cõſtituerant, volentes belli totius fidem in eo conſtituere. Florentini quoq; ſtatim atq; in agrum Mugellanum tranſire hoſtem intellexêre, hoc idem conjecturâ ſuſpicati, valido confeſtim præſidio delectorum militum Scarpariam firmarunt: Qui opidanis conjuncti purgatis foſſis valloq; refecto (neq; enim totum mœnibus cingebatur opidum) alacribus animis obſidionem expectabãt. Hoſtes igitur magno tumultu copiis admotis, cùm nihil trepidè neq; temerè agi ab iis, qui intus erant, conſpexiſſent, ſed conſtanti animo ſagaciq; conſilio obviam iri, accuratiore oppugnatione opus fore arbitrati, circa illud conſederunt, & machinas atq; tormenta cæteraq; oppugnandarum urbium inſtrumenta parare adorſi ſunt. Contrà verò obſeſſi permagnũ ſibi certamen impendere cernentes, omnia, quæ auxilio conſuêrunt eſſe, jam inde proſpicere atq; meditari ſeverâ nimium diſciplinâ cœperunt. Dum

Barbarinum & alia caſtella dedentibus ſeſe incolis, Olegianus ſuſcepit.
Scarpariæ Dux copias admovet.
Florentini Scarpariam præſidio militum firmant.

Dum hæc ad Scarpariam geruntur, Sacon, diverſarum partium hominibus ſibi conjunctis, cum duobus millibus peditum & quadringentis equitibus per agrum Aretinum evadens, circa Ambram fluvium duxit, cogitans inde, majori coactâ manu, Varicum cæteraq; ſuperioris Arni opida è regione diverſa urgere. Adverſus hanc tumultuariam manum excitatis ſuperioris Arni Populis, atq; capere arma juſſis, magna confeſtim peditum manus apud Varicum convenit. Et acceſſerunt inſuper equites Florentiâ miſſi circiter trecentos. Conjunxerunt ſe quoq; his copiis Aretinorum equites pedireſq;, qui veſtigia hoſtium ſecuti, auditâ manu, quæ Varicí parabatur, & ipſi eò profecti ſeſe illis conjunxerunt. His copiis omnibus præfectus eſt Albertactius Ricaſolanus. Qui cùm multitudine abundaret (erat enim concurſus ad eum vehementer factus) non expectare adventum hoſtis; ſed ultro ad ipſum ducere conſtituit. Sacon per id tempus circum Ambram caſtellū poſitis caſtris (eſt enim ejusdem cum fluvio nominis) adigere id in poteſtatē nitebatur. Cui cum noſtri contra quàm ille exiſtimaret numero & ſtructurâ ſuperiores apparuiſſent, veritus Sacon, ne primo ſtatim adventu pugnare cogeretur, undiq; in unum ſuos cōtrahi conglobariq; juſſit: Structaque de ſuperiori loco acie, nullum à ſuis motum fieri permittebat: ſed conſiſtentes loco, expectare invadentes atq; ulciſci. Ricaſolanus autem, cùm videret hoſtes in colle ſeſe continere, anceps parumper ſtetit, adoriretúrne eos, iniquo licet loco ſtantes, an potiùs differret. Et placebat multis eos ſtatim invadere. *At enim Duci, cujus fidei multitudo commiſſa erat, periculoſum videbatur ſubitarium militem (erat enim collectitius vix dum inter ſe notus) excercitato hoſti loco iniquo objicere.* Et ſimul inclinârat jam ſol, nec multum ſupererat diei: Itaq; cum ad pugnā provocaſſet, ac manifeſtum eſſet, hoſtem illam detrectare, contentus minas eorum jactantiamque primo ſtatim adventu ſuo repreſſiſſe, delecto caſtris idoneo loco non procul ab hoſte cōſedit. Ejus noctis cùm jā media pars transacta eſſet, hoſtes deſertis ſilētio caſtris abiêre. Quod cū primâ luce ſtatim palā eſſet, indignationes querelæq; ortæ ſunt, præſertim apud eos, quibus è veſtigio placuerat invaſiſſe. Quamobrem ne inſectari quidē veſtigia voluêre. Aretini poſt fugam hoſtium confeſtim domum verſus iter arripuêre, veriti, ne Sacon aliquid cladis rediens inferret. Cæteram verò Dux multitudinem Agnanum duxit. Receperant enim ſe per noctem in id caſtellum equites hoſtiū circiter ducētos, Buſtacium Ubertinū ſecuti ipſius loci dominatorem. Noſtri ergò hortante Duce primo ſtatim adventu caſtellum expugnare adorti, cùm planiorem jam ejus partē cepiſſent, eruptione hoſtium paulò pòſt deturbati atque expulſi, & damna quædam alia ſuſceperunt, & ſigna militaria tria amiſerunt. Eâ veluti ignominiâ tacti irritatiq;, cùm rurſus majore vi adoriri ſtatuiſſent, & appareret victoriā fore in manibus, non tamen incruenta, nec ſine multorum certiſſima clade, colloquia peropportunè inducta ſunt, pactiq; tandē hoſtes, ut ſibi incolumib⁹ abire liceret, Agnanum dedidêre. Per hoc ipſum tēpus pręſul oratoribus ad Piſanos miſſis, ut bellum adverſus Florentinos ſuſciperent flagitabat. Etſi enim pax erat civitatib⁹: tamen quia audiverat pervetuſtas utriq; Populo inimicitias fuiſſe, ſtudiaq; partiū omninò diverſa, perſuaſerat ipſe ſibi perfacile eos, tali præſertim opportunitate oblatâ, ad capeſſendum bellum impellere poſſe. Hac igitur fiduciâ Legatis ad Piſanos miſſis, refricandis vetuſtis Florentinorū injuriis, multaq; pollicitādo offerandoq;, & ſtudia partium incēdendo, ad ſuſcipiūdū bellū cohortatus eſt. Pollicebatur autē Bernabovēnepotē cum maximo novoq; equitatu ſe ad Piſanos miſſurū; q illis cōjunct⁹ alia ex parte novo exercitu Florētinos adoriretur. Hæc facūdâ oratione ab oratorib⁹ explicata audientes illexerāt, præſertim cū inevitabilē ruinā Florentini Populi certāq; exiſtimarent perniciē haud dubiè ſecuturā. In Piſanis tunc maximè Gābacurtæ pollebāt, familia opulēta atq; otii appetēs, & à ſtudio Florētini populi nequaq̄ abhorrēs. Hi ergò veriſſimā rationē ſecuti intelligebāt, ea quæ poſtulabātur, nō minus Piſanorū libertati, q̄ Florētinorū periculū afferre. Præſulē enim dominatū quærere, idq; unū meditari, nec ſi Florētiæ cōpos fiat, Piſis tēperaturū. Monētes igitur privatim ſingulos, ne Florentinorum odio libertatē propriā abjicere velint, rejiciēdi poſtulata autores fuêre. Itaque tandem Legatis id modò reſponſum eſt: Piſanum Populum de rebus poſtulatis Legatos ad Præſulem mittere conſtituiſſe, coramq; reſpōſuros eſſe: Nec multò pòſt Legati ab his, plecti, cū ad Præſulē perveniſſēt, allegatâ Florētinorū pace, quaſi deliberabūdi ſubſiſtebāt, neq; negātes poſtulata, neq; planè recipientes. Quā ludificationē cū advérteret Pręſul, intelligeretq; nō ex Populi Piſani, ſed ex paucorum

Sacon Varicum cæteraq; opida urgere cogitat.

Albertactius Ricaſolanus copiis præficitur.

Ambra caſtellum.

Sacon undiq; in unum ſuos contrahi iubet.

Ricaſolanus nō procul ab hoſte conſidet.

Hoſtes media nocte deſertis caſt. ſilentio abit.

Agnanum.

Buſtacius Ubertinus.

Florentini Agnanum expugnare adoriuntur.

Agnanum ab hoſtibus deditur.

Præſul ad Piſanos miſſis Legatis ad ſuſcipiendum bellum contra Florentinos cohortatur.

Bernabovei nepos Præſulis.

Gambacurta, familia opulenta apud Piſanos.

Piſanis Populi ſpondet.

Præſul Oratores ſuos majori apparatu Piſas remittit.

eorum voluntate id agi, confeſtim Oratores ſuos majori apparatu Piſas remiſit, jubens, ut concionem Populi flagitarent, & in ea multitudinẽ alloquerentur. Oratores igitur Præſulis reverſi Piſas, cùm ſibi à Magiſtratu cōcio data eſſet, ingreſſi ad multitudinẽ verba fecerunt, maxima pollicentes auxilia, ac victoriã in manibus eſſe prædicãtes, modò ipſimet ſibi nolint deeſſe. Multitudo autẽ Piſanorũ hęc libenter audivit, ob Florentinorũ odiũ, & annuere poſtulatis cupiens erat: Reverentia modò gubernatorũ eos morabatur. Tunc Magiſtratus ad Legatos cōverſus: Laudaſtis, inquit, ô Legati! veterẽ concionandi morẽ, & rectè quidem. Nam quid laudabilius, q̃ Populũ ipſum ſua ipſius & ſcire & agere? Cæterùm illud quoq; laudetis oportet, ſecundũ eundẽ morẽ, *ut libera deliberandi ratio ſit, nec ob alicujus præſentiã quæ quiſq; ſentit, dicere cunctetur*. Quamobrẽ rectũ fuerit vos cōcione excedere. Id cum feciſſent Legati (neq; enim repugnare honeſtũ erat) Magiſtratus, quæ dicẽda videbãtur, ex integro præfatus ad Populũ retulit de Legatorũ poſtulatis. Tunc Franciſchinus Gambacurta Princeps ejus familiæ aſſurgẽs, in hunc modum verba feciſſe dicitur. Cũ Præſule Mediolanenſi tanta mihi privatim amicitia eſt, ut nō exiſtimẽ alicui Piſanorum eſſe majorẽ. Nã & vetuſtam cum illo familiaritatẽ habeo, jã inde à parentibus cœptã, ac multis quidẽ illius beneficiis, nonnullis etiã meis obſequiis cōtinuo ſtudio adauctã. Sed hæc privatim mihi tuenda cenſeo *Publicè autẽ dum conſulitur, charitas patriæ me vendicat ſibi, cui pietatẽ debitã negare non poſſũ*. Quare mihi veniã ille dabit, ſi patriæ ſaluti magis cōſultũ eſſe velim, quã illius ſive potentiæ ſive cupiditati. Adverſũ Florentinos ſuſcipere nos bellũ poſtulat, & magnas copias magnaq; auxilia nobis pollicetur: Ruinã verò Florẽtini Populi certiſſimã nobis repromittit. Urget deniq; & inſtat per oratores ſuos, ut hæc ceu nobis cōmodiſſima ſuſcipiamus, & inſurgamus ad bellum inferendum. Mihi verò in iſta conſultatione illud maximè cavendũ videtur, *ne nimio Florentinorũ odio turpe ac dãnoſum nobis conſiliũ aſſumamus. Nunquã enim rectè conſulit, qui odio conſulit. Honor ſanè atq; utilitas libero animo in cōſultationibus quæri debent*. Ad hæc duo prudentes viri conſilia ſua dirigunt univerſa. Hæc igitur qualia ſint hac re propoſitâ conſiderate non pigeat. Pacem & fœdera eſſe nobis cũ Florentino Populo ſciunt omnes, nec poſſe adverſus illos à nobis bellũ moveri, niſi contra fidẽ, contra promiſſiones, contra jusjurandũ, quod de pace ſervandâ præſtitimus, veniatur. Quæ igitur tanta utilitas ex hoc fœdifragio provenire nobis poſſet; *ut non præſtabilius ſit conventa ſervare; quàm turpiter & ignominioſè fidẽ fregiſſe? In gubernandâ Rep. honoris curã magis habenda eſſe, quã utilitatis omnes fatentur. Ut enim magna eſt civitatis dignitas, magnaq; majeſtas: ita & fidem & gravitatẽ ineſſe maximã decet*. Itaq; multa in privatis hominibus toleramus, & incōſtantiæ avaritiæq;, ac ſordidis quęſtibus veniam impartimur, quæ in civitate nullo modo forent toleranda. *Splẽdor enim & fides & gravitas in civibus elucere debent*. Nam unius aut alterius aut paucorũ quorundã improbitas hominũ forſan vitari nequit: Ut verò totus Populus deliberatione publicâ dejeret, ac fidem promiſſaq; conſultò infringat, nimis foret deteſtandum. Contra honorem igitur ac dignitatem civitatis noſtræ hanc poſtulationẽ eſſe conſtat: quam etſi magnæ utilitates ſequerentur; tamẽ concedere nullo modo deberemus. Quid verò, ſi nullã ineſſe utilitatẽ appareat? Quid, ſi inſuper maximi damni periculũ? *An capiemus id conſiliũ quod ſit turpe ſimul ac damnoſũ?* An eſt quiſquam veſtrũ uſq; adeò hebes, ut nō intelligat, bello a nobis ſuſcepto neceſſarium fore, ut vel vincat Præſul vel nō vincat? Atqui ſi nō vincat, duriores infeſtioresq; habebimus Florẽtinos, q cũ ſint vicini perpetuò futuri, nunq̃ acerbâ vicinitate carebimus. Sin autẽ vincat, potẽtiſſimã vicinitatẽ Præſulis recipiemus. *Equidẽ potẽtiſſimũ & latè dominantẽ videre Præſulẽ velim, dũ tamen procul à civitate noſtra*. Licet enim amiciſſimus ſit, ac propẽſiſſimâ benevolẽtiâ erga Populũ Piſanũ affectus: nunq̃ tamen eũ plures facere nos exiſtimabo, quã Mediolanẽſes cives ſuos, quib⁹ tamẽ dominatur. *Adeò cupiditas imperãdi cuiq; celſo animo indita eſt. Nos libertatẽ à patribus noſtris relictã tueri debemus, & finitimos optare potius æquos ac pares nobis, quàm præpotentes ac formidabiles habere, qui ſi modò velint, poſſint libertatẽ auferre*. At ſubjici * Florẽtinos optabile nobis eſt: Fateor, modò ſine jacturâ libertatis noſtræ id fieri poſſit. *Quod ſi periculũ ſubjectionis, eorũ ſubjectio nobis affert, potius ſtent, quàm eorũ ruina civitatẽ quoque noſtra ſecum in ruinã trahat*. Caſtrutius Lucenſis vir magni animi; ſed nequaquam pari potentiâ cũ Præſule, nec pari dignitate, patrocinium opprimendi Florentini Populi cùm ſibi aſſumſiſſet, quis

Multitudo Piſanorum annuere poſtulatis Præſulis cupit.

Oratores concione excedunt.

Franciſchinus Gambacurta Princeps eum familia.

Nunquam rectè conſulit qui odio conſulit.

Prudentes viri ad honorem & utilitatem conſilia ſua univerſa dirigunt.

Pax & fœdus ſancita eſt cum Florentinis.

Præſtabilius eſt conventa ſervare quam turpiter fidem frangere.

Splendor, fides & gravitas in civibus elucere debent.

Præſulis poſtulatio eſt contra honorem & dignitatem civitatis.

Cupiditas imperandi cuiq; celſo animo indita eſt.

Optandi potius finitimi æqui ac pares, quã præpotentes ac formidabiles.

* Subigi. MS. Pal.

quis non gaudebat? quis non lætabatur? Atqui lætitia illa quantum nobis mœrorem ad extremum attulerit, ſcimus. Non enim prius nocuit Florentinis Caſtrutius, quàm Piſanos jugo ſervitutis, oppreſſit. *Ita dum alijs nocere voluerunt Piſani; ſibi ipſis Tyrannidem ſuperinduxére.* Hoc ergò cavendum nobis cenſeo, præſertim cum potentia Caſtrutii cum Præſulis potentia nullo modo ſit comparanda, nec dominandi conſuetudo atque natura. His ergò rationibus pacem cum Florentinis ſervandam puto, ac Præſuli hoc ipſum pro excuſatione allegandum, quod ſalvâ fide * ac promiſſionibus noſtris contra Florentinos bellum ſuſcipere non valemus.

Pacem cum Florentinis ſervandam putat Franceſchinus.

** ſua fide. M S. Pal.*

Secundum hanc orationem Magiſtratus Populum rogavit, vellent, ne juberent pacem cum Florentinis ritè factam ſervatamque contra jusjurandum fidemque publicam rumpere? Tunc optimus quisque, quod facillimum erat pro honeſtate, contra dedecus & infamiam Populi ſuffragium tulit. Itaque qui contrà ſentiebant, pudore deterriti, conceſsêre. Decretumque fit è dignitate Piſani Populi, non videri pacem cum Florentinis initam, nullâ interveniente injuriâ, perfringere.

Quisq; pro honeſtate contra infamiam Populi ſuffragium fert. Decretum Piſani Populi.

Per hunc modum Piſana ſpes Mediolanenſem Præſulem fefellit, quā ille quaſi certam ab initio cōplexus, ejus maximè fiduciâ Hetruſcū ſuſceperat bellum. Hoſtes inter hęc, caſtris, ut diximus ad Scarpariam poſitis, omni apparatu opidum oppugnabant. Machinis enim & tormentis circà diſpoſitis muros diruere, tabulata dejicere, propugnacula refringere aſſiduo opere nō ceſſabant. Grandib⁹ inſuper ſaxis rotatu tormentorum in opidum cadentibus recta parietesq; infringebantur, frequensq; ſub eorum caſu obſeſſi peribant. Crebrò etiam per noctem ſcalis: die verò ſubitaneâ & improviſâ vi opidum aggreſſi, nullum, requietis ſpacium dabant obſeſſis. Sed erat præfectorum ac militum, qui ſe opido incluſerant, admiranda ſolertia. Muros enim ac propugnacula ubicunq; machinæ dejeciſſent, magnis laboribus impigrè reparantes, ac munera vigiliarum aſſiduè obeuntes, & quoties manu opus erat, certatim ſe periculis objectantes, provocantes etiam ſæpè hoſtem, permagnam ſunt eâ obſidione gloriam conſecuti. Florentiæ verò per hoc tempus omnia circumſpectè ſimul impigrèq; agebantur: Militem conducere quàm maximo numero, domeſticorum acrem delectum habere, ſocios in amicitia continere, hortari, agere, bonam ſpem afferre, magno & invicto animo rebus incumbere. Ita mercede conductorum effecerant equitum Germanicorum circiter duo millia quingentos Venerant inſuper Senenſium equites ducenti: Peruſinorum verò ſexcenti expectabantur. Ad hos ſi domeſticus equitatus peditatusq;, qui paſſim affluebat, adderetur, ſufficientē exercitum videbantur habituri. Mittere verò has copias adverſus hoſtem decreverant, obſeſſisq; auxilium præſentes afferre. Hoc propoſitū Florentini Populi, totamq; hujúsce rei ſpem conatūq, turbavit paulò pòſt equitum Peruſinorum adverſus caſus. Illi enim cùm expectarentur vehementer, ac in itinere jam eſſent; Sacon adventu eorū cognito, cum duobus millibus peditum & quingentis equitibus obviam profectus, apud vicum, qui dicitur Ulmus, duobus paſſuum millibus ab Aretio nocte unâ cōmoratos primam ſub lucem invaſit. Et præliū ſatis acre primo ſtatim cōgreſſu initum eſt. Nā Peruſinorum equitum pars jā equos conſcenderat, iter ingreſſura. Hæc itaq; pars impetum Saconis fortiter excepit, & cæteris arma capiendi proſiliendiq; in equos ſpatium dedit, ut jā Peruſini haud dubiè equitatu pares futuri viderentur. Sed poſtquam pedes ſuperiore de colle, ubi Sacon eum collocaverat, ſupervenit, equitatum Peruſinorum in medio nactus adoriri cœpit. Fracti confeſtim illi atq; profligati multâ cæde opprimuntur. Qui verò à cæde ſuperfuerunt, capiuntur ferè omnes. Aretini ſenſêre quidem pugnam, ac primum egreſſi urbe opem ferre Peruſinorum equitibus properabant: Mox verò, cum intellexiſſent Saconem cū copiis adeſſe (qui & Tyrannïdem Aretii quondam habuerat, & extabat adhuc in urbe Gibellinorum factio, quâ ille nitebatur, excluſa quidē à Reip. gubernatione, cæterùm non ſatis extincta) veriti, ne fortè ob Saconis præſentiâ motus aliquis intra urbē oriretur, è veſtigio domum reverſi, clauſis portis in poteſtate urbem continere ſtuduerunt. Eam ob rem Saconi captivos equites abducendi plurimo cum otio facultas fuit. Hæc Saconis victoria, equitumq; profligatio ſpem conſiliumq; Florentini Populi mutari coëgit. Neq; enim deficiente eâ equitatus parte ſatis copiarum reſtare viſum eſt, quæ caſtra caſtris auderent conferre.

Piſana ſpes Præſulem fallit.

Hoſtes Scarpariā oppugnant.

Nullum requiei ſpacium datur obſeſſis.

Præfectorum & militum in opido admiranda ſolertia.

Florentiæ omnia circumſpectè aguntur.

Florentini copias ſuas adverſum hoſtem mittere, & obſeſſis auxilium afferre decernunt.

Ulmus vicus.

Peruſinorum equitatus à Sacone profligatur, & multa cæde opprimitur.

Aretini opem ferre Peruſinorum equitibus properant.

Sacon Tyrannidem quondam Aretii habuit.

Aretini domum revertuntur, & clauſis portis in poteſtate urbem continere ſtudent.

Saconis Victoria Florentini Populi conſilium mutare cogit.

Supererat igitur de his, qui obſidebātur, formido, & quidem anxia. Nā illi quādiu ſpes fuerat copiarū adventus, ſupra vires proprias contra vim hoſtiū reſtiterant. Verum ubi rem trahi in longū fruſtrariq; ſpē auxilii conſpexerunt, labante jā animorū

Digitized by Google

vigore, minus alacriter tantam certaminis molem tolerabant, præſertim cùm in dies labor ad pauciores recideret, frequentibus vulneratis, quibusdã etiam peremtis: non paucis inſuper ob nimium vigiliarum operumque laborem in varios morbos laboresque transvectis. Hæ verò difficultates obſeſſorum nequaquam Florentiæ ignorabantur. Lixæ enim atque calones per noctem dimiſſi, latenter ſeſe hoſtibus admiſcentes mandata & literas deferebant. Ex quo cuncta ſcientibus metus inſidebat animis, ne illi labore nimio fatiſcentes ab hoſte pertinaci tandem opprimerentur.

Johannes Vicedomini à nobilitate Florentina per media caſtrà hoſtium Scarpariam ingreditur.

In ea cura cùm eſſet civitas, aliusque alium reſpiceret, primus omnium auſus eſt profiteri Johannes Vicedomini è nobilitate Florentina, celſi vir animi, & bellorum gnarus, trigintaq; delectis militibus nocte profectus ad hoſtes, per media illorum caſtra incolumibus ſuis omnibus Scarpariam ingreſſus eſt, receptusque ingenti lætitiâ, ſpem atque animos confirmavit obſeſſis. Sed quæ adhuc facta erant, non ſatis videbantur, quærebanturque alii virtutis æmuli, qui ad obſeſſos pervaderent. Quod etſi multi cuperent, abſterrebantur tamen hoſtium diligentiâ. *Neq; enim jam fallere erat ſed vi & pugnâ opus fore credebatur.* Detrectantibus ergò cæteris profiteri auſus eſt Johannes Medix, jam tum inde clarâ vir famâ. Hic igitur dedecus ſibi ducens, ſi quibusdam ſuorum civium incluſis, & in periculo conſtitutis, ipſe liber atq; expers periculi in oculis hominum vagaretur, nec patriæ indigenti debitam ſolveret pietatem, centum delectos milites ſub vexillis ducens, diverſo ab hoſte itinere ad Apenninum pervenit. Inde ſtructus atque paratus intempeſtâ nocte deſcendens è diverſâ maximè regione, qua minus hoſti ſuſpicionis erat, caſtra ingreſſus.

Johannes Medix pectore atq; armis ſibi viam aperiens ad obſeſſos pervenit.

Cùm primo ſtatim adventu clamor & concurſus hoſtium factus eſſet: tamen nihilo deterritus cum globo ſuorum deſtrictis gladiis obvios cædente, pectore atq; armis ſibi viam aperuit, celeriterque prætervectus ad obſeſſos pervenit, octoginta ſecum habens milites. Nam viginti ex omni numero vel amiſſi vel excluſi in via remanſerant. Horum adventu recreati ſunt qui obſidebantur. Hoſtes verò cùm ingreſſum novorum militum comperiſſent, indignatione perciti, non ultra differre expugnationem ſtatuêre. Et inſtrumenta quidem machinæque abundè aderant, ligneæ turres, cratesque, & valli, & harpagones, & hujus generis permulta: Scalarum præterea numerus ingens. Quamobrem armati omnes intolerandis propè clamoribus ſuccedentes ſcalas atque alia pervincendi inſtrumenta intulêre. Obſeſſi verò, uti præceptum erat, mirabili ſilentio adventum eorum expectârunt, donec foſſas transgreſſi ſucceſſerunt mœnibus, ut miraretur quidem hoſtis neminem repugnare.

Ab obſeſſis tanta vis telorum ſuperingeſta eſt, ut præcipites agerentur hoſtes.

Sed cùm ad mœnia ſucceſſiſſent, ſcalæque ponerentur, tunc ſigno dato vis telorum ſaxorumque repentè ſuperingeſta eſt ab obſeſſis, ut præcipites agerentur hoſtes, ſcalisque relictis extra foſſas ejicerentur, multis occiſis, pluribus etiam vulneratis atq; oppreſſis. Conſtituerat Dux jam inde ab initio plura agmina, ut quieti fatigatis, & integri ſuccederent feſſis, ſperans per hoc obſeſſos, etſi non aliâ vi; tamen laboris aſſiduitate obruere.

Primo agmine repulſo, ſecundum pugna ſucceſſit.

Itaque ut primum agmen repulſum eſt, ſecundum pugnæ ſucceſſit. Sed tanta fuit obſeſſorum virtus, ut pari vigore animi parique alacritate adverſus primos ultimosque reſiſterent. Ita ſæpè mutatis agminibus cùm à ſolis ortu ad meridiem uſque pugnatum eſſet, nec quicquàm ſe proficere Dux videret, receptui cani juſſit.

Aliud certamen ad Cuniculos fuit.

Aliud deinde certamen paucis pòſt diebus ad cuniculos fuit. Hoſtes enim jampridem cuniculum agebant, ſummâ quidem ſpe muri evertendi. Cùm jam appropinquare mœnibus veriſimile eſſet, ſoliciti qui obſidebantur de murorum ruina, præfodere antè mœnia ex illa parte, & prævenire ſtatuerunt, profundiorem agentes foſſam, quo cuniculus hoſtium nudaretur. Id cùm ſtudioſè facerent, & ab hoſtibus prohiberentur, præſidio armatorum oppoſito ſe tutabantur. Biduo per hunc modum res acta certamen animorum utrinque incendit, aliis perficere deſtinatum opus, aliis prohibere nitentibus. Tertiâ demum luce hoſtes ligneam turrem primas ad foſſas erexêre, in qua pugnatores collocati, non ſagittis modò & tragulis: ſed lapidibus etiã fodientes infeſtabant.

Obſeſſi incredibili virtute pervicerunt.

Opus enim fiebat medium inter mœnia opidi ac turrim hoſtium, impedito quidem ad congreſſum loco; ſed omnifariam telis expoſito. Poſt longum certamen obſeſſi incredibili virtute operarios protegentes, ut compleretur opus, pervicêre, cuniculumque intra repertum cremaverunt. Eademque alacritate & ſecundo victoriæ curſu progreſſi, ligneam turrim, quam hoſtes ad impediendum opus effecerant, nudatam defenſoribus incenderunt. Poſterâ verò die hoſtes, quaſi infamiâ ſuperioris prælii tacti, primâ luce armato

exercitu,

exercitu,& in agmina diviſo,cùm partes ſuas cuiq; Dux attribuiſſet, ex compoſito vadentes,majori quàm ante conatu expugnare rurſus opidum aggreſſi ſunt.

Tertiò Hoſtis opidum expugnare aggreditur.

Ac primo ſtatim impetu faſces & ſtipulam & materiam deferentes primas complevêre foſſas. Inde eas transgreſſi,cùm ad ſecundas perveniſſent,complere quoq; illas ac trãſire nitebantur. Obſeſſi autem ab initio ex vallo & mœnibus repugnabant: Sed cùm magis magisq; premerentur,& cõpleri foſſas cernerẽt:eruptionẽ facere,cõminùsq; ferire, ac pedem pedi conferre non dubitârunt. Itaq; repentè egreſſi opido præliũ commisêre,oſtendentes non tã mœnibus,quàm armis & virtute ſuâ confidere. Ea res ita hoſtes fregit,ut receptui canerent,& omiſsâ per vim expugnandi ſpe ad dolũ & fraudem converterentur. Quieſcentes igitur per diem,nocte intempeſtâ,trecentos delectos milites ſcalis mœnia invadere,ab ea parte opidi,qua Luna obumbrabat, juſſerant. Cætera verò multitudo cum facibus & telis omniq; expugnandarum urbium apparatu è diverſa maximè regione ſummis clamoribus impetum fecit, volẽs totas obſeſſorum mentes in ſe converſas ab aliis opidi partibus per tumultum abducere. Obſeſſi verò etſi nocturnam quietem avidè complectebantur: tamen à vigilibus excitati,cùm ad ſua quiq; loca,ut conſtitutum erat, cucurriſſent, haud difficulter ſuſpicati ſunt hoſtilem dolum. Quamobrem ubi aperta erat vis, apertè repugnarunt.

Obſeſſi apertè repugnant.

Aliis verò locis ſilentio conſiſtentes,ſi quid repentè emergeret intenti erant. Ferveſcente certamine cùm in id verſos omnes exiſtimarent, qui per umbram latuerant,transgreſſi ſilentio foſſas,ſcalas mœnibus admoverunt. Cùm jam planè conſcenderent,repentè clamor de ſuperiori loco attollitur, ſaxaq; & robora quædã ad id comparata ſuperfunduntur,quibus eliſi hoſtes atq; dejecti,fractis etiam plerisque ſcalis,præcipiti dati ſunt. Ubi verò patuit dolus,pugnam hoſtes dimiſêre.

Hoſtes pugnam dimittunt.

Obſeſſi autem (jam enim albeſcebat dies) egreſſi opido, machinas & omnia inſtrumenta,quæ per noctem admoverant,igne cremaverunt. Olegianus igitur omnia expertus,cùm nihil ſe profeciſſe appareret,frigoraq; jam illis in locis equitibus moleſta,pabuliq; penuria inſtarent,diſſolvere obſidionem ſtatuit.

Olegianus obſidionem diſſolvere ſtatuit.

Quare biduo pòſt de tertia vigilia movens,cum impedimentis omnibus ſuperato Apennini proximo jugo, Bononiam verſus remeavit. Florentinus verò Populus illorum, qui obſeſſi fuerant, virtutem liberalitate gratiſſimâ proſecutus eſt.

Florentini obſeſſorum virtutem liberalitate gratiſſima proſequuntur.

Militibus cunctis, qui in opido fuerant, duplicata ſtipendia: Opidanis autem vacatio munerum tributorumq; in decennium data Johannem autem & Silveſtrem Medices, quòd eximiâ virtute fuiſſent, equeſtri militiâ inſigniri honeſtariq; decrevit, quingentis in ſingulos pondo auri pecuniæque publicè decretis, his pro equeſtri ornatu: centum verò & quinquaginta in epuli apparatum. Traducti etiam quidã ad populum è nobilitate, ex Donatis, Ruffisque & Vicedominis, qui in ea obſidione rem ſtrenuè geſſerant.

Florentinus Populus Iohannem & Silveſtrem Medices equeſtre militia inſigniri decrevit.

Eodem anno in Aretinis motus rerum novarum gravis in extremum penè diſcrimen civitatem adduxit.

In Aretinis motus rerum novarum in extremũ diſcrimen penè civitatem deducit.

Brandaliæ gens nobilis erat magnis opibus clientelisque. Ejus familiæ Principes, quanquam honore & gratiâ apud cives pollerent: tamen offenſi legibus, quæ grandiores familias à Reipub. gubernatione ſecludunt, infenſi etiam popularibus quibusdam, qui plus nimio poſſe in civitate videbantur, de invadenda Repub. conſilium iniêre. Spem verò faciebat Mediolanenſis Præſul, cujus potentia ubique per Hetruriam implicata atque diffuſa omnibus inde caſibus imminebat.

Brandaliæ gens nobilis de invadenda Repub. conſilium init.

Aretini per id tempus in ſocietate Florentinorum erant: Ex quo facilius viſum eſt,ſi quid inde turbaretur, Tyranni favorem promoveri.

Aretium: fuit in poteſtate Florentinorum.

Hac igitur Brandaliæ ducti ſpe,quosdam è civibus,præſentem Reip. ſtatum indignantes in ſocietatem facinoris adſcivêre, celatimque paratis externorum auxiliis rem perficere maturabant. Expectabatur verò facultas perficiendi talis: Florentini dudum Aretii dominatu, ut ſuprà oſtendimus potiti, arcem in ſumma urbis parte facere cœperunt, quàm complevit deinde atque abſolvit Gualterus Athenarum Dux, cùm Florentinis ſimul Aretinisque dominatus eſt.

Florentini in ſumma Aretii parte arcem facere cœperunt.

Gualterus Athenarum Dux,cum Florentinis ſimul Aretinisq; dominatur.

Pulſo deinde Tyranno, libertateque receptâ Aretini arcem nacti,eam non everterunt,metu contrariæ factionis: ſed illam ſervantes, fidos ad cuſtodiam cives deligebant. Eſt autem in ea turris portam urbis complexa, quæ ingreſſum tradere externis poteſt. Expectabant igitur conjurati,ut aliqui ex conſciis Præfecturam arcis ſortirentur. Quod ubi tandem evenit (Corbici enim fratres duo ex eorum,ut ita dixerim, ſinu,arcem ſuſceperant)

Corbici fratres duo arcem ſuſcipiunt.

O

mutitudinem domi comparantes, multaque molientes latêre nequiverunt. V... igitur à Magiſtratu, cùm facinus longè inficiarentur, conjectura etiam diluctu... in ambiguum rem protraxêre, nec priùs accuſatoribus fides præſtita, quàm extern...rum auxilia per noctem adventare cognitum eſt.

Concurſus ad ædes conjuratorum.

Intra urbem conjurati, extra verò hoſtes adſunt.

Tunc demum arma popularite... ſumta, & ad ædes conjuratorum concurſum. Sed erant ædes egregiæ; ſimulque ...matorum manus jam pridem parata Populi impetum arcebat. Cùm ergò intra ur...bem conjuratos, extra verò hoſtes adeſſe non ambiguum eſſet, ancipites primò hósne vel illos adorirentur, tandem (quod periculoſius videbatur) excludere hoſt... properârunt. Itaque manu quâdam Populi circa ædes conjuratorum relictâ, Pri...motes civium ad arcem profecti, compellantes Præfectos, verbis absterrere à tam nefario cœpto conati ſunt. Poſtquam nihil verò ſincerum reſpondebatur, e... ctâ proximâ muri parte: juventutem armatam eduxêre: Quæ ante portam ipſ... conſiſtens deciſis undique arboribus, itineribusque præcluſis; ſuburbanis etia... ædificiis (erant enim extra eam portam frequentia) occupatis, ſtructâque ſubinde acie probibere hoſtem ab ingreſſu conſtituêre. Hoſtes verò, quanquàm pedi... equitatuque abundabant (erant enim peditum ſupra tria milia, equites ver... ſexcenti) tamen ubi detectam conjurationem intellexêre, in manus cum Aretin...

Hoſtis abeunt.

venire non auſi, fruſtra eos revocantibus qui pro arce ſtabant, abiêre.

Aedes conjuratorum vim Populi facile ſuſtinebant.

Res pactione componitur.

Conjurati urbe excedunt.

Abacto per hunc modum externorum periculo, in urbem reverſi cives, inteſtina curare aggrediuntur. Aedes conjuratorum non ſolum egregiæ; verùm etia... multitudine armatorum affatim inſtructæ vim Populi facilè ſuſtinebant. Turris quoque ad arcem ſtrenuè defendebatur. Triduo in his locis pugnatum: tandem cognatis amicisque intercedentibus, pactione res compoſita eſt; ut conjuratis urbe excedere tutò liceret, qui è veſtigio Mediolanum ad Præſulem abeuntes, & ap... illum in honore habiti, fidem ambigentibus fecêre, nutu illius cuncta tranſacta administraque fuiſſe. Hæc itaque Aretii proditio incaſſum tentata haud quaquam eum eſt finem, quem hoſtis optaverat, conſecuta. Diverſum tamen paulò poſt eve...nit in finitimo loco.

Burgum opidum in poteſtate Peruſinorum.

Sacon id opidum capere ſtatuit.

Turris ſcalis à Sacone capitur.

Burgum eſt opidum in finibus Aretinorum pernobile, ſecus Tyberim am...nem: Id Peruſini per ſuperiora ſuſceptum bella in poteſtate continebant, ar...cesque in eo habebant duas, neque contemnendum in utraque præſidium. Sacon igitur, cùm id opidum, ſi qua poſſet, capere ſtatuiſſet, omniaque ſagaciter ſcrutaretur, tandem profectus cum equitum peditumque copiis, nemine penitus ſuſpicante, intempeſtâ nocte ad ea loca pervenit, procùlque ab opido conſiſtens milites paucos præmiſit, ſcalas ferentes, hujus artificii gnaros. Tempus erat procelloſum & ſubobſcurum, ventorumque violentia cuſtodes ipſos in ædiculam turris incluſerat. Hæc omnia uſque adeò Saconis cœptum adjuvarunt, ut priùs ſcalis capta ſit turris portæ ſupereminens, quàm à cuſtodibus quicquàm ſentiretur. Tunc demum ſtrictis gladiis in cuſtodes ruentes, cùm eos terrore mortis ſilere compuliſſent, acceptis per ſilentium commilitonibus, ubi ſatis multos, conſcendiſſe viſum eſt, Saconi id præſtolanti ſignificârunt.

Factiones duæ in opido:

Altera ſtudio partium Saconi conveniens:

Altera perculſa metu.

Sacon opido abſque ulla clade potitur.

Ille verò cum reliquis ſtatim copiis adveniens, portam refregit, ſublatusque clamor repentino metu opidanos involvit. Erant in eo opido factiones duæ, ut ferè cæteris Hetruriæ locis eſſe conſuerunt. Earum altera ſtudio partium Saconi conveniens, ubi illum a...deſſe portamque tenere cognovit, in favorem ejus non invita conceſſit: Altera verò perculſa metu, cùm arma cepiſſet, cucurriſſetque in forum, conſpecto alterius factionis animo & ipſa dilabitur, majorem vim adeſſe putans, quàm cui reſiſti quiret. Non tamen in ea ſævitum eſt, nec detrimenti quicquam à Sacone illatum: ſed abſque ulla opidanorum clade opido potius eſt.

Reſtabant arces, in quibus Peruſinorum erant præſidia: Eas cùm fruſtra expugnare tentaſſet, quod reliquum erat, Sacon, extra opidum ductis copiis, vallo & foſsâ illas cingere inſtituit, ne qua auxilii ſupereſſet ſpes, ſimulque ad amicos ſcribens, equitatum adauxit.

Præfecti arcium eas Saconi dedunt.

Peruſini occupatione ejus opidi auditâ confeſtim miſerant Tifernum copias, & Florentinorum auxilia rogârant, ſperantes, ſi in unum omnes conveniſſent copiæ, ſatis ſuperq; fore virium ad hoſtes opprimendos, opidumq; recuperandū. Cum igitur undique cogerentur auxilia, ac ſummâ expectatione res eſſet, Præfecti arcium, ſive non intellecto ſuorum apparatu, ſive ob circumvallationem amiſsâ ſpe, arces

tes Saconi dedidêre. Itaque cùm paulò pòſt veniſſent Peruſinorum auxilia proficere nihil potuerunt. In adventu hoſtilium copiarum Sacon intra opidum ſuos continuit.

Poſt hæc prælium fuit equeſtre non longè à Tiferno. Nam Sacon poſt receſſum copiarum ad Tifernum cum equitibus diſcurrens, cum in ſe equitatum hoſtium concitaſſet, ſimulatâ fugâ in inſidias traxit. Ibi cùm repentè invaderentur, prælium atrox committitur, & egregiè ab utraque parte certatur. Pugna fuit inſignis & acer absque ullo pedite; & ceciderunt ab utraque parte optimi equitum circiter ſexaginta. Sed cùm pertinaciter utrinque dimicaretur, ipſiusque pugna longiùs ſuſcepiſſet, ſuccedentibus continuò Peruſinorum auxiliis, pugnamque ex integro capeſſentibus, Sacon ad extremum cedere coactus eſt.

Prælium equeſtre non longè à Tiferno.

Sacon ad extremum cedere cogitur.

Per idem tempus Anglare opidum ad Saconem defecit. Tenuerant verò illud Peruſini jampridem ex eo bello, quod adverſum Aretinos geſsêre.

Anglare opidum ad Saconem defecit.

Eodem anno renovata ſocietas eſt inter civitates Hetruriæ, quæ bellum adverſus Mediolanenſem ſuſceperant. Fuerunt autem hæ, Florentini & Aretini & Peruſini & Senenſes. Apparatusque ſubinde per hiemen facti, quibus æſtate proximâ uterentur. Multa quoque per eam hiemem Florentiæ conſtituta, quo pecuniæ ad bellum ſuppeterent. Illud verò inter cætera non probandum, ut qui Florentinum per agrum militare debebant, pecuniâ Reip. ſolutâ, quâ peregrini externique conducerentur milites, vacationem militiæ haberent. *Hoc profectò nil aliud fuit, quàm propriam domeſticamque multitudinem imbellem efficere, ut alios ſuarum fortunarum inſpiciat defenſores: ipſa verò nec defendere ſeſe, nec pugnare pro patria ſciat.* Hæc & hujusmodi permulta Rerumpub. à gubernatoribus imperitis committuntur, *quæ parvis initio erratis permagna deinde pariunt detrimenta.*

Societas inter civitates Hetruriæ renovatur, fuerunt, Florentini, Aretini, Peruſini, Senenſes.

Eodem anno Florentinorum ſociorumque Legati in Galliam miſſi, qui Pontificem Romanum tunc Avinione reſidentem contrà Mediolanenſem incenderent. Cauſæ quidem indignationis opportunæ ſuberant pro Bononia occupata, cujus gratiâ proceſſus quidam adverſus illum cœpti à Pontifice ferebantur, quibus de cauſis magna ſpes ſuberat, opes atque vires Romanæ ſedis ad bellum conjungere. Ierunt igitur oratores cum magna ſpe civitatis mirabilia quædam à Pontifice expectantes, quæ ſpes quàm feſellerit poſtea dicemus.

Legati Florentinorum ſociorumque in Galliam ad Pontificem Romanum mittuntur.

Inter hæc Scarparia opidum tanto labore nuper defenſum improviſo penè caſu amiſſum eſt. Florentini enim poſt ſolutam obſidionem hoſtiumque receſſum, mœnia perficere ab ea, qua deerant, parte curabant. Erat itaque opidum operariorum plenum: milites verò in præſidio nequaquam multi, & hi ipſi graviſſimas adverſus opidanos inimicitias contraxerant, vulneraque & rixæ per eos dies inciderant, quibus accenſi animi, & ad vindictam exitiumque parati ſuſpectos inter ſe utrosque reddiderant. Hæc hoſtes ſagaciter odorati, docti etiam à ſpeculatoribus quibusdam, qui per operariorum ſpeciem fuerant in opido verſati, novum inter ac vetuſtum aggerem facilem eſſe aditum, cum peditibus quingentis, equitibus verò circiter centum de proximis hoſtium caſtellis profecti ad Scarpariam duxêre, poſitisque ſubſidiis non longè ab opido, delectos milites ducentos quinquaginta, & cum his Ducem quendam itineris locorumque gnarum præmiſerunt, qui opidum occuparet. Hi per aggerem ipſum nullo negotio ingreſſi dum audaciùs feruntur, neque ſignum dare ſuis, qui in ſubſidiis relicti erant, neque ſtationem, quâ ingreſſi fuerant ponere memores; ſed in forum vadentes clamorem ſuſtulêre. Tenebræ erant denſiſſimæ, & milites, qui in tutela opidi erant, ſuam in perniciem arma ſumta ab opidanis: opidani verò hoc ipſum à militibus ſuſpicabantur factum. Is error aliquandiu utrosque continuit. Tandem verò cùm hoſtes verſari medio foro cognitum eſſet, tunc depoſito ſuorum metu ad communem ſalutem omnes convertuntur, factoque confeſtim globo ſtrictis gladiis in hoſtes ruentes, primo ſtatim impetu in fugam vertêre, paucis interfectis, nonnullis etiam captis. Reliqui locum ipſum, quo paulò antè ingreſſi fuerant, repetentes, ac ſe præcipites dantes evaſêre. Per hunc modum Scarparia manifeſto expericulo, ac penè ex hoſtium faucibus divinâ potiùs quàm humanâ ope ſervata eſt atque erepta. Qui in ſubſidiis erant cùm diu ſignum expectaſſent, non priùs ſenſêre ingreſſus ſuorum, quàm ipſi inde fugati narraverint captum à ſe primò opidum, mox inde amiſſum. Ita indignationum, iraruumq; pleni alteros alteri incuſantes priùs, quàm planè dilueſceret, abiere.

Scarparia amittitur penè improviſo caſu.

Milites & opidani hoſtes in fugam vertunt.

Scarparia ex hoſtium faucibus divina potius quàm humana ope eripitur.

Sacon Peruſinorum caſtella expugnat & incendit.

Eâdem hieme Sacon equites habens circiter mille, peditum verò ad quatuor millia, Peruſinum ingreſſus agrum, non ſolùm prædas abegit ab ipſo propè urbis conſpectu; verùm etiam caſtella quædam Peruſinorum expugnavit atque incendit. Inde cùm per agrum Cortonenſem onuſtus prædâ rediret, ſuâ præſentiâ effecit, ut Cortonenſes, qui priùs ambiguo favore habiti fuerant, ad Mediolanenſem omninò cohæreſcerent, ejuſque in bello ſectarentur partes.

Hoſtis ſolertia & largitio.

Per idem tempus Florentinorum ſociorumque Legati nuper in Galliam miſſi, cùm ad Pontificem perveniſſent, magno in honore ſuſcepti ac benignè auditi, etſi ſpecioſa reddebantur verba; tamen rem atque effectum languidiorem opinione repererunt. Cauſa verò hujus erat hoſtis ſolertia atque largitio, qui obeundo impigrè, largiendoque magnificè & Principes Galliæ, & Patrum magnam partem in favorem ſui converterat. Per hos delinitus Pontifex non multum videbatur ab illius amicitia diſtare. Hæc domi per literas oratorum cognita, fecerunt, ut etiam ſubinde ſpem civitates reſpicerent.

Carolus ad imperium delectus.

Conſilium initur à civitatibus Carolum in Italiam arceſſendi.

Carolus erat ad imperium delectus. Is quia dudum adoleſcens ſub patre Ciſalpinam per Galliam longo tempore militârat, varièque jactatus in his fuerat locis, læſus jam tunc à Vicecomite familia, ob eamque rem hoſti credebatur infenſus. Conſilium itaque initum eſt à civitatibus hunc in Italiam arceſſendi. Ea ſanè tentata res usque adeò non ingrata Carolo fuit, ut ejus gratiâ quendam è familiaribus amicisque Florentiam mitteret, qui celatim gubernatores Reip. alloqueretur, pactaque componeret. Quæ quidem res, ut ſpem afferebat magnam, ſic etiam difficultates habere plurimas videbatur: itaque nec effectum ſortita eſt.

Vertina caſtellũ à Florentinis obſidetur.

Ricaſolani familia nobilis divitiis.

Vertina antiqua Ricaſolanorum arx.

Per extremum ejus anni Vertinæ caſtellum à Florentinis obſeſſum eſt. Occupaverat autem illud non hoſtis, ſed exulum Florentinorum manus, hujusmodi initio. Ricaſolani erant familia nobilis divitiis virisque opulenta: Cæterùm gentiles agnatique ejus familiæ diſcordiis factionibusque inter ſe confligebantur, certaminibusque ut fit, coortis, dum alteri prævenire, anticipareque communia properant jura, de vi publica accuſati damnatique eorum aliqui exulârant. Hi ergò exilium indignè ferentes, Vertinas, antiquam ejus gentis arcem cum manu familiarum clientium occupantes, ſpoliatis proximis vicis magnã vini frumentique eò congeſſerant, caſtellumque ipſum naturâ munitum etiam manu atque opere munierunt. Et jactabant, ni revocarentur ab exilio, quod indignè ſubiiſſent, Mediolanenſi Præſuli ſe cohæſuros. Magis contemnendas eorum minas faciebat, quod locus ab hoſte remotiſſimus erat. Non tamen ferendam illorum contumeliam rata civitas, miſſis eò copiis duobus caſtris Vertinas obſedit. Expugnare deinde adortos milites cùm omnia parata eſſent, continui prohibuerunt imbres, diuque rurſus atque iterum die ita pluviæ obſtiterunt, ut conjuraſſe nubes in obſeſſorum defenſionem viderentur. Ea de cauſa intermiſſa expugnatio eſt, machiniſque modo & telis exules laceſſiti.

Continui imbres expugnationem prohibent.

Ruffus Præfectus Mugellani agri.

Loſola caſtellum ab hoſtibus premitur & coarctatur.

Principio inſequentis anni Ruffus Mugellani Præfectus agri contractâ grandi peditum manu, jumentis etiam compluribus ad frumentum importandum coactis, Loſolæ caſtello de Ubaldinis dudum recepto, quod in Apennino ſitum ab hoſtibus premi coarctarique nunciabatur, & jã commeatus deerant, ſuccurrere ſtatuit: ea ſiquidem cura paulò antè publicè ſibi fuerat commiſſa. Profectus igitur cum peditum copiis atque impedimentis, cumque equitibus quadringentis per loca montana ſaltusque difficiles, cùm neque explorato neque callidè iter faceret, neque clam hoſtibus molitus eſſet, in inſidias præcipitatur, & undique circumventus impedimenta omnia partemque non exiguam copiarum amiſit. Qui à clade ſuperfuerunt, diſſipati variè atque palantes non niſi effuſâ fugâ evaſerunt. Eam verò notam, ob imperitiam Ducis acceptam, quod deleret Florentinus Populus, paratis iterum copiis, Duceque mutato, præmiſſis qui arces atque aditus, qua prætereundum erat, occuparent, non ſolùm frumenta intulit nullo prohibente: ſed etiam præſidium quoddam hoſtium, contra id caſtellum munitum expugnavit. Inde oneribus, quæ uſui erant intra caſtellum devectis, reliquis verò ſimul cum præſidio cremaris, cùm ſatis pro dignitate Reip. factum Dux exiſtimaret, iisdem quibus profectus erat, itineribus copias reduxit.

Ruffus in inſidias præcipitatur, & undique circumventus non exiguam partem copiarũ amittit.

Clemens Pontifex Romanus Oratoribus civitatum ita propenit.

Per idem tempus Clemens Pontifex Romanus ab oratoribus Florentinorum, cæterarumque Hetturiæ civitatum, quæ erant in fœdere, aſſiduâ propè flagitatione pulſatur,

pulſatus, tria demum eis propoſuit: Societatem Romanæ eccleſiæ, tranſitum in Italiam, Caroli ad imperium delecti pacem cum Præſule Mediolanenſi. Horum trium quod mallent, oratores eligerent, ſeſe eorum voluntatem electionemque ſecuturum. Legati verò inter ſe cogitatâ re, tandem præſtare exiſtimarunt, ad arbitrium ejus totum referre. Quod cùm feciſſent, ſuſceptâ optione Pontifex mitiſſimam innocentiſſimamque partem ſibi placere dixit: eſſe verò eam, pacem dare. Neque enim aliud Romanum Pontificem, ſi optio illi detur, eligere decere. Itaque daturum ſe operam, ut pax probabilis habeatur. Neque multò pòſt, quaſi facultatem nactus abſque civitatum querela hoſtem ſibi conciliandi, publico in auditorio, coram omni multitudine cenſuras in Præſulem Mediolanenſem latas remiſit, illumque ad gratiam recepit, ne reſtitutâ quidem Bononiâ, ſed in duodecim annos gubernatione ejus civitatis illi conceſsâ. Pro quibus quidem rebus permagnam vim pecuniæ, cenſuum nomine, ab hoſte ſuſcepit. De pace autem, quaſi illa tractatum exigeret longiorem, dilata res eſt. Induciæ modò ad annum ex autoritate Pontificis indictæ, ut per hoc medium tempus tractandi maturiùs agitandiq; facultate affuturâ.

Pontifex cenſuras in Præſulem latas remiſit.

Bononiæ gubernatio in duodecim annos Præſuli conceditur.

In hoc Pontificis facto multa ſimul oratores noſtros oſtendebant, maximè tamen omnium indignabantur, approperatam in eorum oculis reconciliationem hoſtis: pacis verò negotium dilatum atque poſthabitum, cùm percommodum fuiſſet, non priùs illud, quàm hoc expediri. Deinde vicinum ſibi pergravem atque infeſtum autoritate Pontificis datum confirmatumque dolebant. Augebat inſuper dolorem adverſariorum lætitia, qui, quaſi illis repugnantibus, omnia conſecuti exultare gaudio triumphareque videbantur. Itaque ne induciæ quidem à Legatis comprobatæ ſunt: ſed cuncta civitatum ſuarum arbitrio integra reliquêre. Hæc ab oratoribus per literas nunciata civitates permoverunt, ut nullo Pontificis reſpectu ad ſpem Caroli adventus converterentur. Cumque ſatis tractata res eſſet, conditiones acceptæ ſunt. Fuerunt autem, ut ſummatim dixerim, ejuſcemodi. Ille in Italiam venire contra Mediolanenſem: hi pecunias præbere, eique ut Romano Principi favere promiſerunt. Ita nova ſpes expectatioque mentes erexit.

Conditiones cum Carolo.

Vertinæ caſtellum jampridem obſeſſum per hoc ipſum tempus pactione receptum eſt, & ad ſolum everſum. Semel enim id acriter oppugnatum quanquam egregiè defendiſſent exules: tamen poſtea deterriti magnitudine apparatus, incolumes abire, ſuaque aſportare pacti caſtellum dedidêre. Egreſſi ſunt autem cum Ricaſolanis exulibus milites centum quinquaginta octo, datumque his ſpatium eſt ad ſua deportanda. Id cum factum eſſet dirutæ arces atque muri.

Vertina caſtellum pactione recipitur & ad ſolum everititur.

Eâdem æſtate Florentinorum ſociorumq; copiæ in agrum Aretinum profectæ Pinnam & Gaennem & alia quædam exulum caſtella populati ſunt. Inde Bibienam profecti cùm omnia vaſtare pergerent, Sacon parvâ manu occurrens damna quædam primâ die intulit. Alterâ verò die dum caſtra moverentur re per exploratores cognitâ, Sacon collem quendam medium occupavit, prætereundique exercitui ſupra verticem conſpectus in ſe omnes convertit. Itaque rapta in eum ſigna ſunt, ác prælium acriter inceptum. Sacon præter virtutem militum ſuorum naturâ etiam loci plurimum juvabatur; ut parvâ ipſe manu videretur, permagnas licet, copias impediturus. At pars quædam exercitus circundato celeriter colle per loca propè invia verticem occupavit. Inde magno clamore in terga hoſtium ruens invadere acriter cœpit. Et ſimul qui à radice montis pugnabant, ſurſum verſus annixi præliabantur. Ita in medio conſtituti hoſtes à fronte ſimul & à tergo cæſi fugam tandem arripere coacti ſunt, multis interfectis, pluribus captis. Florentini verò poſthæc liberiùs populatione peractâ, cùm ſatietas tandem eos haberet, abſceſsêre.

Florentini Pinnã & Gaennem aliaq; exulum caſtella populati ſunt.

Sacon fugam arripere cogitur.

Per idem tempus equites hoſtium circiter duo millia, pedites totidem, ducentibus Nolfo Feretrano & Uguicio Cortonenſi, Peruſinum agrum tumultuoſiùs ingreſſi, Bettonam opidum per proditionem occupârunt. Ea occupatio cùm periculoſa videretur, & jam circumſtantia caſtella ad eorum favorem inclinarent, commoti ſociorum periculis Florentini octingentorum equitum ſubſidium Peruſinis miſerunt. Id bellum proſperrimo eventu geſtum eſt à Peruſinis. Nam cùm hoſtium Duces, parte copiarum ad Bettonam retentâ, cæteram multitudinem in Cortonenſem agrum remiſiſſent; obſeſſi tandem ſunt à Peruſinis, & ad extremam difficultatem rerum omnium redacti, fruſtraque expectato ſuorum auxilio, cùm tan-

Nolfus Feretranus

Vguicius Cortonenſis.

Hoſtes opidum Bettonam per proditionem occupant.

Bellum proſperrimo eventu à Peruſinis geritur.

Hoſtium Duces aufugerunt.

dem nemo ſuccurrere poſſet, deſperatis ad extremum rebus, Duces ipſi per noctem incogniti aufugerunt, ſuos pariter hoſteſque latentes. Milites autem relicti confeſtim incolumes abire pacti, opidum dedidêre.

Claſſis fluvius.

Equites hoſtium in agro Aretino magnas prædas multoſq; captivos abegerunt.

Per extremum ejus anni equites hoſtium ad mille ſexcentos, per ſpeciem finiti ſtipendii, in agrum Aretinum profecti, apud Claſſem fluvium conſederunt. Simulabant verò amicitiam, neque pecoribus neque hominibus moleſti, ementes neceſſaria, non rapientes. Et ſermonem dederant, finitis cum hoſte ſtipendiis, ad alia ſeſe loca properare. Eo prætextu aliquot dies commorati, cùm tandem metu agricolarum paſtorumque penitùs ademto, jumenta atque viri liberiùs vagarentur, ex compoſito irruentes magnas prædas multoſque omnis generis captivos abegerunt, munitoque proximo ſuper amnem colle, in eo ſtativa habuêre, gravis profectò vicinitas, & omnia igne ferroque permiſcens. Aretini neque equitatu per id tempus abundabant, neque Florentinorum aut Peruſinorum, qui erant in fœdere, ſatis confidebant equitatum recipere, ſuſpicione quâdam & curâ libertatis, quam non multis prius annis receptam meminiſſent, ſuo ſe magis robore tutari pergebant. Hoſtes igitur diutius iisdem in locis commorati magnas per Aretinum agrum intulerunt clades.

Sacon Ancisam usq; populabundus pervenit. Figinum. Tartagleſe vi capit & evertit. Varicum.

Nec multò pòſt Sacon his copiis acceptis, additoque proprio atque domeſtico milite, cum ſatis magnas copias confeciſſet, Florentinum agrum ingreſſus, Anciſam uſque populabundus pervenit. Mox inde regreſſus Figini conſtitit, cunctis incendio fœdatis. Cùm inde ſe poſterâ die proripuiſſet, Tartagleſe vi cepit atque evertit. Inde Varicum prætergreſſus magna cum præda longoque captivorum agmine in agrum Aretinum remeavit.

Barga opidum. Hoſtes adventu Florentinorum profligantur.

Per hoc ipſum tempus Bargâ opido ſociorum à vicinis hoſtibus obſeſſo, Florentini cò copias miſerant, quarum adventu hoſtes profligati præſidia etiam, quæ circumſtruxerant amisêre.

Pax cum Mediolanenſi agi incipitur.

Franciscinus Gambacurta Piſanus.

Nec multò pòſt de pace per Mediolanenſem agi cœptum. Cùm enim cerneret ſe ab adulatoribus deceptum, Piſanoſque ſpei ſuæ defuiſſe, ac validiorem Hetruſcam rem, quàm ipſe futuram exiſtimaſſet, labeſcenti jam feroci animo, ferebatur ad pacem. Mota igitur illius juſſu pacis mentio eſt per Franciſcinum Gambacurtam Piſanum. Nec Florentini rem aſpernati. Quippe non ab his inferebatur bellum, ac ſe deſtitutos à ſpe Pontificis Carolique videbant. His igitur rationibus placente jam pace, Legatis Serazanam miſſis, conventuque habito poſt longas diſceptationes tandem recepta pax eſt, his ferè conditionibus. Pax eſto Florentinis, ſociiſque eorum, cum Præſule Mediolanenſi, ejuſque cohærentibus, ac ſectatoribus.

Serazanam. Pax recipitur.

Conditiones pacis.

Præſul exercitus omnes præſidiaque ex Hetruria deducet, nec poſthac alicui ex civitatibus Hetruriæ bellum inferet. Caſtella & arces, quæcunque ceperat in agro Piſtorienſi, dimittet, Burgum ſui juris eſſe ſinet, præſidiumq; ex eo deducet. Piſani, Lucenſeſque medii ſint: Si adverſus Piſanos vel Lucenſes Florentini intulerint bellum, liceat Præſuli opem ferre. Idem jus eſto Florentino populo, ſi Præſul Piſanis aut Lucenſibus inferat bellum. Florentini & Aretini & Peruſini exules reducant, quot hujus belli cauſâ extorres patriæ ſint: Si quis exul aliâ de cauſa, quam hujus belli exularit, nemo reducat, ni nominarim de eo ſit actum. Sacon agnatique patrimonia ſua ab Aretinis recipiant; ipſi tamen urbem Aretium introire non poſſint, néve propius ad urbem accedere millibus paſſuum quatuor.

Multa præterea ejuſmodi cauta circa exules cujuſcunq; civitatis eorumq; reductiones & bona. Pax deinde publicè indicta eſt, & arma ubique depoſita.

HISTORIARUM FLORENTINARUM,

LIBER OCTAVUS.

ALtero dehinc anno, qui fuit ſtatim ſub recentem pacem, nulla ferè priùs acta res, quàm de fraude ſcribarum cognitum. Cum enim ſordidus quisq; improbusque quaſi in pace nominatus ad beneficium reductionis irreperet, quetela primò & admiratio fuit, mox & perveſtigatio. Compertumq; tandem eſt, ſcribarum fraude quosdam inſuper adſcriptos, quotidieq; adſcribi. Itaq; corruptelæ autoribus ſupplicio affectis, reductio caſtigata eſt, ac debiro modo repreſſa. Militibus mercede conductis, qui in eo bello militaverant, ſtipendia ex fide perſoluta ſunt à civitare, &, quoniam Resp. eorum operâ non indigeret, plerique dimiſſi. Secuta deinde quies ex pace aliquot menſes hominum curas exemit. Intenti omnes rebus getendi, & longum ſperantes otium, belli cogitationem omnino reliquerant.

Fraus ſcribarum.

Milites dimittuntur.

Cùm hæc eſſer conditio retum, tandem ex re, quam minimè quisquàm ſuſpicabatur, metus primò, mox & tumultus eſt majorem in modum civitati coortus. Cauſam verò hujus turbationis hinc fluxiſſe apparet. Morialis erat Gallus, vir diuturnâ militiâ per Italiam notus. Is, cùm fortè per id tempus quies à bellis eſſet, ſolicitatâ Gallorum Germanorumque multitudine, quæ ſtipendia facere per Iraliam conſuêrat, permagna quædam ac memoranda non deſore illis præmia ſuaſit, ſi in unam latrocinii prædarumque ſocietatem cöirent: prævalidis quippe virorum robore armorumque futuris, nullam civitatum Italiæ tantarum virium eſſe, ut ſibi reſiſtere pervadentibus queat. Quamobtem vel pecuniâ ſe redimere compulſuros civirates, vel agros ſingularum, Regionesque populando prædam inæſtimabilem conſecuturos. His rationibus allectos magnam manum coëgit. Prima conventus ſedes in agro Piceno fuit. Et confluebat quotidiè turba facinoroſorum hominum, rapto vivere cupientium, nec externi modò, verùm etiam Italici generis. Hæc manus omnia circùm loca rapinis [illegible] cœpit involvere, & alia ſubinde loca, tanquàm incendium quoddam, appræhendere. Jamque ex agro Piceno exire, ac in Umbriam Hetruriamq; vim transferre cogitabant.

Metus & tumultus civitati cooritur.

Cauſa hujus turbationis.

Morialis Gallus.

Ob hunc motum in dies creſcentem Florentini militem ſcribere, ac Peruſinos & Senenſes novo fœdere ſibi conjungere perrexerunt, ut, ſimul in unum collatis viribus, pari concurſu ſeſe mutuò tutarentur. Hoſtes autem, ſive illi latrones, ſive milites fuerint appellandi, cùm in Picentibus ſatis debacchati fuiſſent, Apenninum transgreſſi in Fulginates primò, inde in Peruſinos transierunt. Peruſini verò, quanquàm auxilia non deerant, ob fœdus renovatum: tamen tantam molem belli contra ſe ruere videntes ſtatim cohòrruerunt. Erant enim hoſtium copiæ ſupra octo millia equitum, peditum verò armatorum ſupra quatuor millia: prætetea lixarum & calonum, & hujusmodi hominum, qui caſtra ſectari conſuêrunt, innumerabilis multitudo. Quare, ne eorum ager ſupremâ clade afficeretur, Peruſini, traditâ pecuniâ commeatuque, ne ſibi lædant, paciſcuntur.

Florentini militem ſcribunt, ac Peruſinos & Senenſes novo fœdere ſibi conjungunt.

Peruſini ob hoſtium molem horrent.

Peruſini traditâ pecuniâ, cum hoſtibus ne ſibi lædant paciſcuntur.

Hoſtes de Peruſino in Senenſem, mox inde in Florentinum agrum transgreſſi, infeſto agmine uſque ad Caſsianum vicum octo millibus paſsuum ab urbe devenêre. Ibi cùm vaſtarent omnia, tandem iisdem muneribus placati, in Aretinum & Tifernatem transiverunt agrum. In hoc demum loco prædam pecunias inter ſe partiti (erat enim jam autumni extremum) alias ſubinde res moliri in futurum parabant.

Hoſtes prædam pecunias inter ſe partiti alias res moliri parabant.

Eodem annò Carolus aliquanto priùs ad Imperium delectus in Italiam venit, ſolicitatus maximè ab inimicis Præſulis Mediolanenſis, qui multi ac potentes in unam coierant voluntatem, illius faſtigii deprimendi. Qua de re quo clarior ſit notitia, ſuperiùs aliquanto repetere libet. Poſt pacem cum Florentinis cæterisque civitatibus Hetrutiæ initam Genuenſes acri diutinoque Venetorum Catalanorumque bello conflictati, tandem ad Præſulem Mediolanenſem confugientes, dominationem ſuæ civitatis illi tradiderant. Hæc ſuſceptio Genuæ tra-

Carolus in Italiam venit ſolicitatus ab inimicis Præſulis.

Genuenſes dominationem ſuæ civitatis Præſuli tradiderant.

xerat ſecum adverſus Præſulem Venetorum bellum, coierantque unà cum Veneris Patavinus ac Veronenſis & Ferrarienſis cæterique Præſulis veteres inimici. Hi ergò ſolicitato Caroli adventu, ut transiret in Italiam autores fuêre, rau per illius adventum invidioſam ac ſupra modum auctam Præſulis potentiam eſſe labituram. Sed cùm jam Italiam ingreſſus eſſet Carolus, ac Patavii conſtitiſſet; paucis pòſt diebus Præſul moritur, nepoteſque ejus ex fratre in dominatu ſucceſsêre.

Præſul moritur. Nepotes ex fratre in dominatu ſuccedunt.

Hæc Præſulis ſubita ac penè repentina mors ſpem Caroli adauxit. Itaque ex urbe Patavio Mantuam petens, ſi qua res innovaretur, obſervabat. Sed cùm videret ſtabilitatem rerum, & concordiam in ſucceſſoribus, nullumque protenus motum per civitates oriri, ad pacem animum traducere cœpit, factiſque induciis quibusdã inter Mediolanenſes ac eorum hoſtes, ipſe jam quaſi amicus pacatuſque Mediolanum adivit, peractiſque ſolennibus Hetruriam petit. Piſas cùm ingreſſus eſſet, revolutiones rerum maximæ ſunt conſecutæ, & gubernatores Reip. qui recipiendi autores fuerant, ab eo ipſo, qui receptus erat, oppreſſi. Ad Carolum Piſis degentem Florentini & Senenſes & Aretini (quæ civitates tunc inter ſe confœderatæ erant) oratores ſimul miſere.

Florentini, Senẽſes & Aretini Oratores ad Carolum mittunt.

Erat autem conſilium, ut, *quemadmodum decet ſocios, eadem cuncti & ſentirent & ſequerentur:* quod tamen ſervatum non eſt. Nam Senenſes quidem in rebus agitandis longè ſe magis Carolo permittere viſi ſunt. Nec id ſanè mirum. Nam neque exules habebant, quos formidarent, ut Arerini: neque ab Imperatorio nomine abhorebant, ut Florentini. Quibus ex rebus factum eſt, ut multò magis ſeſe Carolo vindicarent, ac illius adventum Senas præſtolarentur. Per eosdem dies Volaterrani & Miniatenſes absque ullo Florentini Populi ſcitu ſeſe ac urbes ſuas Carolo tradidêre.

Volaterrani & Miniatenſes ſe ac urbes ſuas Carolo tradunt.

Florentini & Aretini ſolùm in uno eodemque propoſito perſeverarunt. Agitataque res eſt de Aretinis non mediocri contentione atque certamine. Exules enim Aretinorum primo ſtatim Caroli adventu ad illum concurrerant, ac reſtitui in patriam flagitabant.

Exules Aretinorum reſtitutionem in patriam flagitant.

Inter hos eminebat Sacon, quondam Aretinorum Tyrannus, & Nerius Fagiolanus, nepos illius qui Piſis dudum Lucæque dominatus fuerat. Adverſus horum poſtulata quereláſque fortiter reſiſtebatur ab Aretinorum Legatis. Denique cùm ſerioſiùs dicendi facultas data eſſet, in hunc modum orationem habuêre.

Legatorum Aretinorum oratio.

Utrum injuſtius, an impudentius pòſtulent Aretini exules in pattiam reſtitui, difficilis ſanè comparatio foret. Utrumque certè tale eſt, ut excellere magnitudo, ac ſuperare alterum videatur. Injuſtiſsima quippe poſtulatio eſt, quæ contra fas & jura contendit: Impudentiſsima verò, ſi apud eum, qui maximè offenſus eſt, quíve pœnam infligere ob errata debet, præmium, quaſi rectè feceris, poſtuletur. Atque nobis ante omnia refellendum eſt illud, quod iſti tanquam fundamentum & columen rerum ſuarum ubique jactant, ſe propterea, quod partes Imperii tenuerint, fuiſſe ejectos. Hæc videlicet præſtigia ſunt, ô Princeps, & verba prætentiæ tuæ accommodata, cæterùm veritas eſt longè diverſa. Non enim ſtudia partium: ſed ſua illos flagitia præcipites egêre.

Non ſtudia partium, ſed flagitia exules præcipites egere.

Cùm enim Sacon non Principem civitatis; ſed Dominum ageret, libertatemque patriæ abſtuliſſet, jura legesque conculcaſſet, cuncta ad ſui unius nutum libidinemque revocaſſet, cives alios pelleret, alios necaret; Cùm hæc omnia faceret ac moliretur, non tamen prius ab ullis labefactari ſtatus illius eſt cœptus, quàm à ſuarum partium hominibus.

Saconis flagitia.

Nega, ſi potes, Sacon, non à Nerio Fagiolano, qui nunc reconciliatus tecum petit, ruinæ tuæ initia proceſsiſse. Nam quis alter Burgi & Tiferni cæterorumque opidorum rebellandi autor fuit? Quid Ubertinum genus, & ipſum tuarum partium? an non ſtante tecum Populo Aretino, ac bellum acerrimum pro te patiente, Ubertini contra te arma tulere? hoſtibus tuis ſe conjunxere? magnam agri partem & complura opida in tuam perniciem convertêre? Qua fronte igitur te ob ſtudia partium ejectum prædicas, cùm illi ipſi, qui ejecerunt, tuarũ partiũ eſſe probentur? Quæris, num rectè fecerint? laudare non poſſumus: Nemo enim civis, quod contra patriã veniret laudãdus eſt. Sed habebant illi quidẽ excuſationẽ, quod tu patriâ eos pepuleras: nec ſtudia partiũ inter vos agebantur, in quib⁹ cõſentiebatis, ſed potentia & dominatio, in quâ lõgè diſſidebatis. Cives te, Sacõ, tui, quos tu diverſarũ partiũ eſſe dicis, uſq; ad extremã obſidionẽ pertulere, bella tuis injuriis cõcitata patienter perpeſsi ſunt, patrimonia, pecunias, corpora deniq; ſua ꝑ te tutãdo protegendoq; oppoſuere. Tu quid illis pro

ejuscemodi

ejuſcemodi meritis reddidiſti? O Deus immortalis! pudet etiam nunc illius miſeriæ temporis: Pecuniâ ſuſceptâ urbem & patriam aliis tradidiſti, ſervitutis turpiſſimum jugum civibus tuis de te benè meritis impoſuiſti, Imperii jura majeſtatemque pro turpi mercede minuiſti: audes apud Imperatorem Romanũ poſtulare, ut patriæ præficiaris, cùm dudum præfectus jura Romani Imperii, quantum in te fuit, in illa ſuſtuleris, & cõmiſſam tibi alteri ſubjeceris? Quibus oculis quæſo aſpicere te poſſent cives in patria reſtitutum? Num ſine gemitu & cordis amaritudine viſuros te illos exiſtimas, cùm civitatem illam, quondam Hetruriæ caput, tu nunc civis inventus ſis, qui pecuniâ acceptâ alteri dederis in ſervitutem? Tu ipſe, ſi ſapis, in eam urbem redire vis, * in qua non vir, non mulier, non puer denique quisquàm te ſine execratione ſit præteriturus. Enimvero, non Sacon petit ſolùm in patriam reſtitui, ſed & alii exules, qui in eadem cauſa cum Sacone non ſunt. An putas, Imperator, horum contentiones atque certamina in unis atque ejusdem mœnibus poſſe conſiſtere? Oderunt ſe mutuo, atque alter alterius exitium quærit: Simulatque unis mœnibus includerentur, facibus & incendiis omnia conflagrarent. Nemo eſt eorum, qui æquo juri cum cæteris vivere ſciat: per ſuperbiam atq; inſolentiam dominatum affectant. Deniq; cives, qui nunc in patria degunt, illam, in ſervitutem ab iſtis impulſam & à Sacone traditam, in ſuum jus libertatemq; reſtituerunt. Nec reditum iſtorum ferre poſſunt, nec ſe tutos exiſtimant, ſi iſti revertantur. Quare videndum eſt tibi, Imperator, utrum præſtet, illos, qui benè meriti de patria ſunt, in ea ſinere, vel, iſtis reductis, illos expellere. Nam utrique ſimul eſſe non poſſunt. Illud certè plurimum conſiderare debet Majeſtas tua, quodcunque de hoc ſtatueris, exemplum fore cæteris quoque civitatibus & gentibus, utrum à te probentur occupatores venditoresque ſuarum patriarum, an improbentur.

* MS. Pal. redire ille.

Carolus cùm hæc audiſſet, improbare cauſam exulum viſus eſt: non tamen apertè poſtulata rejecit, ſed differendo ac procraſtinando in irritum duxit. Florentinorum verò Legati, poſt multorum dierum diſceptationem, tandem pecuniam dare pacti, cuncta, quæ poſtulabant, conſecuti ſunt. His peractis Carolus Piſis movens in Volaterranos primò, mox in Miniatenſes, tranſiit, utroque in opido benignè receptus, paucisque diebus in his locis commoratus, tandem Senas pervenit. Urbem illam ingreſſus, tumultus quidam conſecuti ſunt. Denique ut Piſis nuper, ita & Senis qui Remp. ad eam diem gubernârunt depulſis, ipſe civitates in ſuam propriam curam adminiſtrationemque reduxit. Ad hunc Senis exiſtentem Florentini pecuniis ex fide miſsis, contra ſpem ac vota inimicorum præcipuâ benevolentiâ in ſinum ejus irrepsêre, ut nemini uni Populo per Italiam magis fidere videretur. Non enim antiquâ partium levitate; ſed præſenti commodo res exiſtimabat. Itaque plus ab hac una civitate per amicitiam adjutus eſt, quàm à cæteris ſimul omnibus Italici generis. Quod ſi inimicitiâ, ut avus quondam ejus, certare voluiſſet, permagnæ difficultates erant illi ſubeundæ. Nunc autem & militibus & pecuniâ à civitate adjutus, nemine penitùs repugnante, Romam pervenit, ſolennibusque peractis tranquilliſſimè coronatus eſt. Hæc facta ſunt in principio anni ſubſequentis, qui fuit quinquageſimus quintus ſupra mille trecentos. Mox repetitis Senis, cùm in ea urbe paucos dies reſediſſet, Florentinis ſociisque cuncta indulſit, quæ ad amplitudinem honoremque eorum pertinere videbantur, abſque ullo partium reſpectu. In Aretinos quoque eadem indulgentia fuit: quanquam adverſantibus maximè exulibus, qui primò illius adventu pleni ſpe ad eum cucurrerant. Ex Senis Piſas, inde per Ligures tranſmiſſo Apennino in Galliam trans Alpes abivit. Eodem anno Caſsianus vicus muro cinctus eſt, & in opidi formam redactus, jam pridem ãdmonitis hominibus opportunitate loci caſtris hoſtibus idonei, in quo dudum Henricus Imperator ſtativa, & nuper latrones in ſocietatem coacti ſedem belli habuiſſent. Quò igitur ea opportunitas adimeretur hoſtibus, communire locum placuit. Idque factum eſt validis mœnibus, quò tutus adverſum oppugnationes foret. Rumor quippe jam increbuerat, latrones convenas, ſuperioris temporis exemplo, ad vexandos Hetruriæ Populos incredibili multitudine coire, eoque metu anxiæ civitates fœdera inter ſe renovârunt.

Carolus cauſam exulum improbare videtur.

Florentinorũ Legati cuncta quæ poſtulant, conſequuntur.

ANNO. 1355.

Caſsianus vicus muro cinctus eſt.

Sacon in opido Bibienæ moritur.

Per hæc ipſa tempora Sacon, dudum Aretinorum Tyrannus, in opido Bibiena moritur,

Aretini lætis animis Saconis mortem complectuntur.

moritur, ætate quidem admodum ſenex (erat enim ſupra octogenarium) ſed corpore ita robuſto, ut uſque ad extremos fermè annos arma induere, ac nocturnos diurnosque militiæ labores ſuſcipere, ac præliis periculisque intereſſe nunquam deſtiterit. Hic ætate ſuâ multa geſsit, ac variè jactatus eſt, Dux bello quidem ſatis bonus, niſi quod audaciâ nimiâ parum cautus, & ob id nonnunquam detrimenta perpeſsus: ad civilem verò togatamque vitam nequaquam aptus. Aretini mortem ejus lætis animis complexi (erat enim terrori, dum vixit) delere familiæ reliquias conſtituerunt. Itaque haud multò poſt ejus mortem, emiſsâ juventute caſtella illius, urbi propinqua, circumſtantes, poſitis validis præſidiis lentâ obſidione expugnare adorti ſunt. Ita bellum in Aretinis ex integro renaſcitur.

Figinum mœnibus cingitur.

Altero dehinc anno Figinum mœnibus cinctum eſt. Fuerat enim antè opidum nobile, ſed paulò ſupra eum locum in montibus ſitum, quod à Florentinis everſum oſtendimus, & opidanos Florentiam traductos in partemque civitatis receptos. Medio autem deſolationis tempore vicus in via publica diverſoriis mercatibusque ruſticorum increverat, quod pòſt mœnibus cinctum antiqui nomen opidi retinuit. Auxilia quoque miſſa quædam Foroliviensibus, quo diutiùs hiſce in locis latronum copiæ detinerentur. Hæc foris.

Domi non mediocris turbatio exoritur.

Domi autem non mediocris per hunc annum turbatio exorta eſt, ex hujuscemodi cauſa. Vetuſta fuerant civitati partium ſtudia, de quarum origine, atque progreſſu, in primo hujus operis libro mentionem fecimus. Ea poſt illorum, qui cum Carolo militaverant, reditum aliquandiu acriter ſervata, tandem procedente tempore, ut ſit, minus cuſtodita, quodammodo exoleverant, ut jam permulti, quorum majores Gibellinarum partium fuiſſe dicerentur, ad Remp. gerendam irreperent, lege nil tale licere illis permittente. Inſurgentes igitur quidam civium, & antiquam obſervantiam prolabi querentes, autores fuêre novæ legis ferendæ, ut quorum majores aut Gibellinarum partium, aut non ſui corporis fuiſſent, hi à Rep. gerenda prohiberentur, pœnâ conſtitutâ adverſus eos, qui hujusmodi conditionibus cum eſſent, Magiſtratum aliquem Reip. etiam ultrò ſibi delatum ſuſcepiſſent. Id verò quia difficile probatu erat, ut ſeptem teſtium fides pro verâ probatione haberetur, conſtitutum eſt. Hinc cives alii aliunde vexari ſunt cœpti. Duces enim partium hanc maximam curam ſibi incumbere arbitrantes, deferebāt illorum nomina, condemnarique faciebant. Verùm hæc autoritas Ducum, ab initio non immoderatè habita, prolabi confeſtim ac modum tranſcendere cœpit, nec merentes modò, verùm etiam immerentes in periculū vocari. Creſcenteq; indies ſuſpectorum numero, metus univerſos pervaſerat, faciesq; civitatis ex tranquilla & læta, trepida & anxia erat effecta. Querelæ magis in fronte, quàm in verbis erant. Terror enim ac periculum ſui linguas præcluſerat, propterea quòd non probantes ea, quæ fiebant, quaſi ſuſpecti partibus, ac diverſa ſentientes periculum ſubibant. Hæc maximè commoverunt homines ad rem corripiendam.

Nova lex fertur.

Facies civitatis tranquilla trepida efficitur.

Nobilitas maximè in Magiſtratu ſævire deprahenditur.

Plebeii duo Nobilib. adduntur.

Quare principio inſequentis anni huic turbationi occurſum eſt, lege latâ, ut ad priorem numerum Ducum inſuper duo plebei adjungerentur. Deprahenſum enim fuerat, per nobilitatem maximè in eo Magiſtratu ſæviri. Itaq; ad frenandā moderandamq; eam rem, plebeji duo ſunt additi, ſine quorum interventu nihil decerni poſſet, & ſortitiones refectæ ex minus implacabili genere hominum.

Florentini injuriis Piſanorum vexantur.

Florentini Piſis relictis Talamonem ſe transferunt.

Germanorum terror ſolicitam habet civitatē.

Eodem anno ad tutelam Florentinorum civium rerumq; eorum, quindecim naves mari conductæ ex provincia Narbonenſi. Cives enim Florentini, qui Piſis negotiari conſueverant, variis Piſanorum injuriis vexati, cùm neque immunitas eis ſervaretur, neque in aliis gratè humanèque tractarentur, tandem Piſis relictis Talamonem ſe tranſtulerunt. Eo in loco ſtatim celebritas conſecuta eſt, & emporium factum, navesque mercibus onuſtæ eò undique veniebant: Inde à mercatoribus ſuſceptæ terreſtri itinere deferebantur. Itaque Piſani per hunc modum deſtituti, quo Talamonis portum incommodarent, prædari navigantes & impedire cœperunt. Adverſus hanc Piſanorum injuriam conductæ provincialium naves, non modò Talamonis portum, navesque eò navigantes tutatæ ſunt: verùm etiam circa Piſas profectæ, oſtenderunt Florentinos ne mari quidem Piſanorum contumelias eſſe laturos.

Per hæc ipſa tempora ſolicitam civitatem habebat Germanorum terror, qui in Hetru-

in Hetruriam tranſituri dicebantur. Hæc gens eadem habuit conventus occaſionem, quam prius habuerat Morialis manus; varieque per Italiam vagata in Apulia Calabriaque aliquandiu deſedit: Indeque tandem emerſa in Picenum Gallicumque agrum, mox ſubinde in Mediolanenſium fines progreſſus, magnos ubique terrores ac rerum novationes pepererat. Ex Gallia tandem in agrum Bononienſium rejecta, cùm tranſitum in Hetruriam minaretur, commota ob eum timorem civitas, Apennini aditus magnis copiis, magnâque ſagittariorum multitudine tuendos curavit.

Germani ex Bononienſi in Faventinum agrum transgreſſi, cum ubiquè cuſtoditos Apennini aditus ſentirent, & ſunt loca montana & aſpera, & difficilia tranſitu, Legatos Florentini Populi alloquuntur. Dicunt ſe cogitatum ac rectum iter deſerere velle, nec ſi poſsint quidem; tamen invitâ civitate tranſituros eſſe. Cogitaſſe verò in Aretinos ducere per Amonam fluvium & Caſentinatem agrum: quo quidem itinere angulus modò Florentini agri, & hic ipſe montanus ſterilisq;, attingatur. Hæc poſtulata Germanorum civitas demum per Legatos certior facta, conceſsit, quò certamen contentioq; abeſſet. Itaque per Amonam fluvium vadentes Germani, ad Apenninũ duxêre, & unâ quidem nocte ſub ipſo jugo cõſtiterunt, quietem ſibi quisq; ſumentes. Poſtridie verò primâ luce bifariam partiti copias, partem exercitus præmisêre: reliquam in ſubſidiis retinuerunt. Quæ præmiſſa fuerat multitudo, ſtatim primâ luce iter ingreſſa, tutò pertranſiit: Reliqua verò pars (in qua fuit Conradus * Lyndo eorum Dux) pòſt aliquantò ſecuta eſt. Interea montani accolæ Germanorum injuriis per noctem vexati convenerant plerique, & tumulos viæ imminentes occupârunt. Sunt verò ſaltus difficillimi atque aſperrimi, profundæque & arctæ convallium viæ. In his locis Germanos nacti accolæ, invadere cœperunt, primò pauci ac rari, mox verò plures concurrêre. Ab his Germani à fronte rejecti, cùm in itinere ipſo conſtitiſſent, ac poſtremi nihilominus ſequerentur, conglobatio facta eſt in via difficili atque arcta, & hinc ripas fluvii præaltas, illinc montes arduos habente, montani deſuper volventes ſaxa ingentia, & in præceps dantes, Germanos in ſubjecta conglobatos valle ſic obruebant, ut equi virique ſimul opprimerentur. Nec arma nec virtus ulla proderant Germanis. Quod tamen unicum videbatur remedium, pars quædam ex equis deſcendere à Duce juſſa (Erant autem hi ut plurimum ſagittarii) clamore minaci ac telorum jactu montanos rejicere conabantur. Sed illi de ſuperioribus irruentes locis, poſt levem pugnam facilè ſagittarios diſsipârunt: Moxq; cominùs ferire equitatum auſi, cùm equorum nullus eſſet uſus, loco iniquiſſimo ac impeditiſſimo miſerabiliter opprimebantur. Et à tergo jam alia detecta manus arcta quædam obſederat, ac pedem referendi facultatem abſtulerat. In his difficultatibus conſtituti Germani, ut quisque poterat, ſaluti conſulebat ſuæ. Evaſionis unica erat via: proſilientes equis arma abjicere, levesque & inermes ſeſe per quæque confragoſa dimittere. Sed & hi poſtmodum per ſilvas depræhenſi à montanis, qui inſtar imbris undique pluebant, occidebantur. Nec viri modò: verùm etiam fœminæ montanorum, multos ſeſe ultrò dedentes, ſalutem vitamque precantes captivos ſuſcepere: pecuniasque & argentum nactæ mulieres nonnullæ ditatæ ſunt. Equi, & arma, & veſtes, & omnia malè parta quondum atque direpta, in prædam montanis devenêre. Conradus Lyndo exercitus Dux, cùm nullam diffugii videret viam, ſeſe montanorum in manus ultrò permiſit, ingentia pollicitus præmia, ſi vita ſervaretur: quod & illi contigit. Et hæc quidem exercitus pars omninò profligata atque deleta eſt.

Cætera verò pars, quæ primò inceſſerat, jugum Apennini transgreſſa, cùm jam in ſubjectas deſcenderet valles, auditâ reliqui exercitus clade, pavida, & ſui diffidens, citato agmine ad Decumanum ſe recepit, qui eſt vicus Florentini agri. Ibi munitis caſtris, ac Legatis Florentinis, qui transeundi autores fuerant, infeſto minaciq; clamore penes ſe retentis, illorum auxilio peropportunè utebantur. Convenerant enim illorum quoq; locorum accolæ magnâ multitudine, hanc quoq; partẽ exercitus deletura: vixq; juſſu autoritateq; Legatorũ ab invadendo poterant coerceri. Deniq;, niſi affuiſſent Legati, non minus hæc pars cis Apennini jugum, quàm illa trans jugum fuiſſet oppreſſa. Sed Legati partim metu ſui, ut pote qui eſſent in eorum manibus, partim verecundiâ promiſſorum adducti, manifeſtiſsimis certiſsimisque ex periculis eos ſervavêre.

Amona fluvius.

** MS. Pal. Caroldus.*

Conradus Lyndo Germanorum Dux.

Accolæ montani Germanos invadunt.

Germani opprimuntur.

Quisq; Germanorum ſaluti ſuæ conſulit.

Viri & fœminæ montanorum Germanos ſe ultrò dedentes, captivos ſuſcipiunt.

Conradus Lyndo Dux ſe montanorum in manus ultro permittit.

Hæc exercitus pars omnino deleta eſt.

Cætera pars ad Decumanum ſe recipit.

Accolæ multitudo ab invadendo autoritate Legatorum coërcentur.

Iter illorum à Decumano ad Viculum Mugellani agri. Inde alio, quàm prius, itinere ad jugum Apennini redeuntes, eo tranſmiſſo in Imolenſem agrum deſcenderunt, irati quidem Florentino Populo, neque tàm beneficii memores, quo ſervati fuerant, quàm infenſi, quòd ſe accolæ delere concupiſſent. Itaq; vix in tuto conſtiterant, cùm minas querelis permixtas cœperunt contra Florentinos effundere, ac cæteri quoque profligationem exercitus dolo Florentinorum machinatam prædicare: in quo mentiebantur. Neque enim loca trans jugum, in quibus deleti fuerant Germani, neque homines, qui deleverant, Florentinorum erant. Et ſuopte ingenio permoti accolæ ob injurias quoq; prius acceptas eos invaſerant.

Pars altera minas contra Florentinos effundere cæperunt.

Nec multò pòſt Conradus Lyndo ſervatus ad eos rediit, vulnere quidem adhuc laborans, cæterùm incenſo ad vindictam animo, reparare cœpit ſtatim copias, ac majora quædam indies moliri.

Conradus Lyndo vulnere laborans in dies quædam molitur.

Bellum per hoc tempus graviſsimum gerebatur inter Peruſinos & Senenſes, mutuæq; utrinq; clades fuerant illatæ. Sumſerat verò initium ob Cortonæ obſidionem, quam urbem in fide amicitiâq; Senenſium requieſcentē Peruſini perſequebantur. Cùm igitur bellando utriq; defeſſi jam eſſent, miſſis ad eos Legatis monendo ac ſuadendo, tandē arbitrio ſuſcepto Florentini pacē inter eos pronunciârunt. Quâ mox palàm factâ ita ſe utraq; civitas invitam renitentemq; adverſus conditiones pacis oſtendit, ut oratores confeſtim Florentiam mitterent pro rebus irritandis. Sed conſtans planè in eo civitas fuit, utq; paci maneretur obtinuit.

Bellum graviſsimum inter Peruſinos & Senenſes.
Florentini pacem inter Senenſes & Peruſinos pronunciant.

Ob eam pacem Germani, qui apud Senenſes Peruſinosq; militabant, ad tria millia equitum ſeſe Lyndoni prioriq; exercitui conjunxerunt. Eo ſupplemento elati ex agro Gallico, ubi diutiùs fuerant commorati, tranſire in Hetruriam conſtituerunt, nec per Apennini montis juga, ut priùs, ſed patentiori itinere per Ceſenatem Ariminenſemque vadentes agrum, in Picentes primò, mox inde in Fulginates & Peruſinos tranſierunt. Peruſini tantam belli molem contra ſe ruere cernentes, Legatis ad illos miſsis pecuniâ vexationem ſuam redemerunt. Itaque pacatè per agrum Peruſinum vadentes Florentiæ propinquabant. Erat verò multitudo ingens, famaque eorum terribilis, multaque ab his opida vi capta, multæq; fundìtùs everſæ regiones ferebantur. Senenſes atque Piſani, ſimul atque de concordia Peruſinorum audiverunt, & ipſi eandem viam ſecuti, pecuniam tradere & commeatu inſuper juvare paciſcuntur.

Germani ſeſe Lyndoni conjungunt.
Lyndonis multitudo ingens famaq; terribilis.
Senenſes & Piſani pecuniam tradunt, & commeatu juvant.

Ob hæc majorem in modum elati Germani contra Florentinos minaciùs loquebantur, & hanc unam ſe petere urbem tàm longo circuitu prædicabant. Simulque permulti undique publicè & privatim, quaſi benevolentiâ civitatis adducti, ad concordiam cum Germanis ineundam Florentinos adhortabantur, ac ſe medios ſequeſtresq; offerebant, docentes, cum hujusmodi genere hoſtium nihil eſſe, quod lucrari civitas poſsit. Non enim urbem, non agrū habere, qui victis auferatur. Quod ſi unam modò diem in agro Florentino diverſentùr, longè plus damni allaturos fore, quàm quantum nunc, ut ſe abſtineant ſint, recepturi. Adderent incertos belli pugnarumque caſus adverſum homines deſperatos & in armis exercitatiſſimos: Adderent occupationes opidorum, quæ non difficulter poſſint contingere. Jam verò finitimarum civitatum intuerentur exempla, quarum nulla protenùs auſa ſit contra tales hoſtes bello contendere. Satis nomini gloriæque civitatis factum, quòd poſtrema cæterarum, & non niſi derelicta ab his, quæ ſociæ periculorum eſſe debebant, conventionem inierit. Hic rationibus permovere civitatem nitebantur. Sed Florentinus Populus alto invictoque animo cuncta priùs tolerare ſtatuit, quàm Germanorum minis jactationibusque concedere: & quò majora oſtendebantur pericula, eo pulchrius ducebat obviam proficiſci. In dignitate enim atque conſtantia non cedendi magnam ſibi gloriam fore propoſitam haud falsò exiſtimabat. Itaque nec pacta neque conventiones ullas audire aut tractari ab aliquo paſſus eſt: ſed paratis impigrè copiis adventum Germanorum intrepidus expectabat.

Germani elati contra Florentinos minaciùs loquuntur.
Florentini ad concordiam cum Germanis ineundam admonentur.
Pop. Florentinus Germanorum minis cedere nequit.

Fama jam longè lateq; vulgaverat, Florentinos Germanis nequaquàm concedere: ſed magno elatoq; animo ad reſiſtendū parari. Atq; omnium oculi in Florētinos erant converſi, nec Hetruriæ modò, ſed cæterarum Italiæ partium. Admirabantur quippe homines, ac præclarum ducebant tantam animi generoſitatē ac præſtātiam, & favebant cuncti, auxiliariq; feſtinabant, Quamobrem & à Rege Siciliæ, & à Bernabove

Omnium oculi in Florentinos convertuntur.
Auxilia Florentinis ſuperveniunt.

Bernabove Mediolanenſi, & de Patavinis Ferrarienſibusq; auxilia ſupervenêre. Sed hæc poſtmodum. Ab initio autem ſtatim civitas ipſa ſuas copias paraverat, Ducemque his præfecerat Pandolfum Malateſtam. Itaq; ubi ex Peruſino in Senenſem agrum tranſiiſſe Germanos nunciatum eſt, movens Dux, cum omnibus ſimul copiis obviam progreſſus, ad Peſam fluvium conſtitit certiſſimo reſiſtendi animo, ſi hoſtes advenirent. Germani contra ſpem ſibi paratam dimicationem cernentes, in Senenſi aliquandiu commorati, tandem per Volaterranum vadentes agrum, in Piſanos devenêre. Florentinorum quoq; exercitus Dux ſecutus illorum modum, traductas eò copias per fines Miniatenſium, adverſus hoſtem oppoſuit. Cumq; Germani ad Eram fluvium eſſent, ipſe ſub Toporio caſtra fecit, idoneo pugnæ loco, ſi illi, ut jactabant, experiri fortunam maluiſſent. Verùm hoſtes irritâ expectatione aliquot dies in his locis commorati, tandem inde quoq; abeuntes in Lucenſem transiverunt agrum. Eò quoq; ſecutæ Florentinorum copiæ circa Nebulam fluvium adverſus hoſtem conſtitêre. Quo magis intercedebat moræ, eo plures quotidie auxiliates Florentinis accreſcebant. Nam præter eas, quas ſupra retulimus, copias, à Bernabove quingenti equites cum Ambroſino filio illuſtri adoleſcente; & ab Aretinis equites ducenti totidemq; pedites, viri bellaces, & Neapolitanorum equites quinquaginta ex ſuprema nobilitate privato ſpontaneoque officio: multi præterea inſignes viri civitatis gratiâ ſupervenerunt. Quas ob res ſublatis animis, magna erat alacritas Florentinorum in caſtris, magnaque vicendi fiducia, ſi ad pugnam veniretur.

Pandolfus Malateſta Dux præficitur copiis Florentinorum.
Dux Germanis obviam progreditur.
Peſa fluvius.
Era fluvius.
Nebula fluvius.
Florentinis auxiliares accreſcunt.
Ambroſinus Bernabovis filius.
Florentinorum magna alacritas in caſtris.

Germani, ne omninò ridiculè poſt tantas jactationes abirent, pugnam ſeſe cupere ſimulabant, ac magnâ expectatione perductas copias aliquanto progresſi deſuper oſtentarunt. Sed poſtquam contra ſe alacriter itiâ noſtris ſtructâ acie, & confligere paratâ viderunt, ſubſiſtentes in colle difficili & arduo deſcendere in æquum locum, ac poteſtatem confligendi facere recuſarunt. In hunc modum aliquot dies irritâ expectatione commorati tandem ita abierunt Germani, ut metum trepidationemque manifeſtam oſtenderent. Primâ ſiquidem luce per ſilentium abeuntes paucis relictis, qui tabernacula incenderent, prius circa urbem Lucam ſe receperunt, quàm de illorum receſſu quicquam ſentiretur Florentinorum in caſtris. Cognitâ demum fugâ noſtros ſequi volentes Dux continuit, veritus, ne Piſanis, qui per id tempus Lucam tenebant, pax violaretur. Iter Germanorum ex Luca per Lunenſem Genuenſemque agrum in Galliam fuit. Dux verò ac milites Florentini exercitus triumphantium more poſt Germanorum fugam Florentiam redierunt. Ibi donatis laudatisque auxiliaribus tandem cunctâ eximiâ gratiâ dimiſſi ſunt. Nomen certè ac fama Florentini Populi ex hac una re mirum in modum apud cunctos accrevit, plurimamque exinde civitas eſt auctoritatem & gloriam conſecuta.

Germani poteſtatem confligendi recuſant.
Germani metum & trepidationem oſtendentes abeunt.
Florentini triumphantium more Florentiam redeunt.
Populi Florentini fama accreſcit.

Non multò poſt reductas copias, cùm Germani in Gallia circa Ticinum perveniſſe nunciarentur, permota civitas ob recentiſſimum Bernabovis obſequium, mille equites ad illum transmiſit, quibus auxiliaribus in bello uteretur. Duces verò cum equitibus miſſi ſunt cives Florentini duo, viri præſtantes & bellorum non ignari.

Bernabovi auxilia mittuntur adverſus Germanos.

Eodem anno bellum adverſus Bibienam ſuſceptum eſt à Florentinis ex hujusmodi cauſa. Tarlati & Ubertini potentes Aretinorum familiæ, licet ſtudio partium convenirent: tamen privatis inter ſe odiis plurimum diſſidebant. Fuerat verò utraque illarum Florentino nomini inimica, ſiquidem ex Ubertina gente extiterat Guilgelminus Præſul, qui apud Campaldinum dubio periculoſoque certamine contra Florentinos conflixit. Ex Tarlatis verò Sacon & agnati, qui multas ſuo tempore moleſtias intulerant civitati. In Saconem igitur & filios quia recentior erat indignatio, Ubertini eorum inimici non alieni jam à civitatis ſtudio putabantur. Redierant quoque apertè in gratiam per Germanorum adventum: Quo quidem tempore ultrò ferentes auxilium cum haud contemnendâ manu Florentiam venerant, indeque Ducem in caſtra ſecuti ſtrenuam operam navârant. Fuitque res gratiſſima civitati fuit. Et acceſſit ad gratiam, quod paulò poſt reverſo in rem exercitus Biordus ejus familiæ Princeps, quem ex labore Caſtrenſi adverſus Germanos ſuſcepto in morbum decidiſſe conſtabat, Florentiæ diem obiit. Itaque civitas grata memorque obſequii omnem magnificentiam oſtendit in honoribus ſibi exhibendis publicoque illum funere magnificen-

Bellum à Florentinis adverſus Bibienam ſuſcipitur.
Biordus eius familiæ princeps Florentiæ diem obiit.

tiſſimè extulit, fratremque illius Accium militiâ inſignivit: totam denique gentem in gratiam protectionemque ſuſcepit.

Florentia Accium Uberdis fratrem militia inſignit.

Bellum adverſus Bibienam ſuſcipitur.

Bibiena obſidetur.

Opidani hoſtem ſuſcipiunt.

Horum igitur hortatu bellum tunc adverſus Bibienam ſuſceptum eſt à civitate,& cura ejus belli Accio Farinatæ; Ubertinis demandata, quod ipſi quoque circum ea loca plurima caſtella poſſidebant. Cum igitur eò miſſæ copiæ Bibienam obſediſſent, Aretini pro antiquo Saconis odio ad urgendam obſidionem confeſtim ſupervenêre, ac ſeorſim caſtra metati ſuo & ipſi robore Bibienam premebant. Obſidio dura vehemensque fuit, & ſupra duos menſes acriter repugnatum eſt ab obſeſſis. Tandem cùm ſpem ſalutis nullam intuerentur, opidani proditis per noctem muris hoſtem ex compoſito ſuſceperunt. Inde pugna per opidum fuit, & in arcem Saconiani omnes compulſi, non tamen ſine certamine, in quo etiã Farinata vulnus grave periculoſumque ſuſcepit. Arx deinde obſeſſa, ac tandem capta. Marcus & Ludovicus Saconis filii, cum quibusdam agnatis Florentiam ducti ſunt, & carceribus aſſervati. Bibiena quidem per hunc modum in Florentinorum devenit poteſtatem. Cætera verò caſtella, quæ per agrum Caſentinatem Saconis filii tenebant, ad Aretinos pleraque rediêre.

Saconiani omnes in arcem compelluntur.

Farinata ſuſcipit vulnus periculoſum.

Arx obſidetur & capitur.

Marcus & Ludovicus Saconis filii Florentiam ducuntur.

In Bononienſibus motus rerũ ingens.

Olegianus Bononia præficitur.

Olegianus in ſuſpicionem Dominatoribus venit.

Bernabos contra Olegianum exercitum mittit.

Firmum in Picentibus Olegiano traditur.

Altero de hinc anno domi foriſq; ab initio quies erat civitati: In Bononienſibus autem rerum motus ingens, ac novi belli ſuſcitabatur materia. Eam urbem captam à Præſule Mediolanenſi ſuprà oſtendimus. Illo autem mortuo, cùm dominatio ad nepotes perveniſſet, præficitur Bononiæ Olegianus, qui Dux militiæ in Hetruria fuerat. Erat enim propinquus genere, & autoritatem habebat idoneam ad urbem conſervandam, & ante mortem Præſulis Bononiæ præeſſe conſueverat, ut retinuiſſe magis præfecturam, quàm accepiſſe videretur. Stans igitur Bononiæ Olegianus in ſuſpicionem Dominatoribus venit. Varium certè negotium, & modò reconciliatum, modò adverſum penitùs & hoſtile habitum. Dilata per hunc modum res eſt uſque ad hoc tempus, in quo cum Bernabos contra eum exercitum miſiſſet, difficultate coactus Olegianus, quoniam impar ad repugnandum eſſet, ſtatuit Eccleſiæ Romanæ urbem reddere, pactusque cum Legato Apoſtolicæ Sedis, ut pro compenſatione Firmum in Picentibus ſibi traderetur, Bononiam Legato ſponte dimiſit. Id poſtquàm Bernabos intellexit, nulla fuit mora, quin bellum acriùs urgeret, & copias inſuper augeret ad Bononiam opprimendam. Ità bellum inter Bernabovem & Legatum exoritur, magnum quidem, ac grandi nixu utrinque ſuſceptum, Florentinis verò, etſi expertes erant belli: tamen propinquitas ipſa finitimi loci ſuſpiciones varias afferebat. Erat tamen ſic animata civitas, ut eccleſiam mallet, quàm Bernabovem in propinquo habere.

Bellum inter Bernabovem & Legatum apoſtolicæ ſedis exoritur.

Florentini malunt Eccleſiam quam Bernabovem in propinquo habere.

Lex fertur, ut nemini liceret Magiſtratum Florentiæ gerere qui dominationem alicujus opidi haberet.

Nicolaus Acciaiolus cauſa legis ferendæ.

Eodem anno lege ſancitum eſt, ut nemini, qui dominationem alicujus opidi ditionémve haberet, liceret Magiſtratum Florentiæ gerere. *Hujus ferendæ* legis cauſa fuiſſe creditur Nicolaus Acciaiolus, qui longo intervallo Florentiam venerat. Erat enim magnus vir, & multarum urbium dominator, & qui Regem ſimul ac Regnum Apuliæ multos annos autoritate & ſapientiâ gubernaſſet, tunc autem à Legato Bononiâque redibat magnarum rerum gratiâ illuc evocatus. Metuens igitur ſive ipſe, ſive civitas, ne ipſius nomen ſæpius jam per abſentiam remiſſum præſenti tunc Magiſtratum ſortiretur, generali lege de cunctis dominatoribus in omne tempus ut provideretur cauſa fuit. *Neq; enim pari jure cum aliis civibus convenire ſciunt, qui dominari ſunt conſueti.*

Volaterrani in poteſtatem Florentinorum redeunt.

Talamonis.

Principio in ſequentis anni Volaterrani ſeditione civium conflictati in poteſtatem Florentini Populi redierunt.

Semina belli Piſani per hæc ipſa tempora, latenter quidem, ſpargebantur, quæ mox ſegetem armorum calamitatumque uberrimam produxêre. Florentinis enim ad Talamonem emporium celebrantibus angebantur Piſanorum animi, cernentes urbem ſuam, quæ portus Florentinorum eſſe conſueverat, per illorum dimigrationem in ſolitudine deſtitutam. Simul enim cum Florentinis negotiatoribus cæteri quoque illiusmodi homines, ſecuti negotiorum commoditatem relictis Piſis Talamonem petierant. Piſani ergo navibus prædatoriis ab initio miſſis Talamonis portum impedire tentaverant. Quâ in re cùm ſibi reſiſteretur à Florentinis, majori claſſe ad tutelam portus conductâ, deſtiterunt quidem à vi apertâ, ſed clàm infenſis animis moliebantur, ut jam fines, quibus ſe civitates contingunt,

contingunt, infeſti à maleficiis, non publicâ vi, ſed impunitis privatorum facinoribus redderentur. Non modò enim non vetabant delicta Piſani, ſed quodam modo invitabant homines ad ea perpetranda: tantum, ut fit, in odium Populis acceſſerat. Jam expugnationes quædam nocturnæ locorum munitorum & defenſiones armatâ vi factæ audiebantur, cædesque & rapinæ omnia fœdabant. His de rebus querelæ ſæpius apud Piſanos expoſitæ cùm eſſent, eo velamento excuſabantur, quòd privati homines contra mentem propoſitumq; civitatis illa commiſiſſent, eosq; ob ea damnatos publiceq; hoſtes judicatos aſſerebant, pœnas daturos, ſi unquàm in poteſtatem Piſani Populi deveniſſent. Quæ cùm ſimulata apparerent, Florentini, quo eâdem ulciſcerentur arte, parem licentiam ſuis largiti ſunt, ac patiente Rep. Piſanorum finibus privatim referebantur clades. Hæc aliquandiu continuata ſic mentes utriusque Populi irritaverunt, ut parum diſtarent ab aperto bello. Tandem verò Petrabona caſtellum, quod per id tempus Piſanorum erat, per privatos quosdam occupatur. Id caſtellum quia majuſculum erat. Piſani miſſis copiis obſederunt, munitis majorem in modum præſidiis, & omni machinarum genere ad oppugnationem convectis.

Piſani invitant homines ad delicta perpetranda.

Petrabona caſtellū per privatos occupatur.

Inter hæc Petrus Gambacurta Piſanorum exul Florentiam venerat, & diſcurſiones quasdam ſuo nomine fecerat in Piſanum agrum, conatus, ſiqua poſſet, in patriam regredi. Erat enim Princeps factionis civium, quæ per id tempus dejecta premebatur. Piſani quoque ipſi Florentinorum fines impetierant, & circum Bargam opidum cuncta vaſtaverant, & quasdam munitas arces occupare conati fuerant. Ita cum jam honeſtè fieri poſſe videretur, defenſio Petræbonæ à Florentinis ſuſcipitur. Miſſis eò copiis & præſidio quodam juxta caſtellum munito obſeſſos jam apertè ſuſtentabant. Piſani quoque conſpecto Florentinorum propoſito, majori nixu incubuerunt ad obſidionem urgendam. Et caſtra quidem ſua jampridem ita munierant, ut protenus vi removeri non poſſe viderentur. Machinis verò maximè fatigabant obſeſſos: Tandemque excitatâ turri ligneâ, & mœnibus caſtelli admotâ, ſuperiecto ponte, magno atrocique certamine caſtellum ceperunt. Maxima tamen pars hominum in proximum, quod Florentini munierant, præſidium evaſit. In reliquos verò ſævitum eſt à Piſanis.

Petrus Gambacurta Piſanorum exul diſcurſiones facit in agrum Piſanū. Barga opidum.

Defenſio Petræ bonæ à Florentinis ſuſcipitur.

Piſani caſtellum Petrabona capiunt.

Florentini poſtridie cremato præſidio copias reduxêre magno infenſi dolore, conſiliumque damnantes ſuum, quod differendo ac procraſtinando demum eo tempore defenſionē ſuſcipere diſtuliſſent, quo jam nulla ſuperforet defendendi ſpes. Corrigere deinde ſuſceptam ignominiam properantes, contrahere majorem in modum copias, & bellum inferre Piſanis ſtatuerunt. Tantaque fuit celeritas ferventе irâ, ut paucos intra dies ad mille octingentos equites, pedites verò ad quatuor millia mercede conductos in armis habuerint. His addito domeſtico equitatu peditatuque fines Piſanorum ingreſſi, circa Pecciole poſuerant caſtra, & caſtella ejus regionis pleraque expugnarunt.

Florentini bellum Piſanis inferunt.

Dux erat exercitus Florentini Populi Bonifacius Lupus Parmenſis, vir magnâ ſcientiâ rei militaris, magnaque virtute præditus, ſed ita liber, ac ſui animi, ut cives ſibi in conſilium traditos nihil protenùs exiſtimare videretur, nulla his ſecreta aperiens, nihil agens ex eorum voluntate: rectè quidem: *Scientia enim rei militaris vix illis, qui tot à vitâ nihil aliud meditati ſunt, contingit, ne dum homines plebeii & otio mercaturisque aſſueti illam poſſideant.* His tamen de cauſis Bonifacio ſucceſſor datus Rodulfus Varanius Camerinenſis, qui ſuſcepto exercitu, ac majorem in modum adaucto, pro magnificentia Florentini Populi in conſpectum Piſanæ urbis copias ducere conſtituit. Foſſa erat interim manu facta, de qua ſuperioribus bellis mentionem fecimus: hanc Piſani ſuis cuſtodiebant præſidiis. Varanius igitur ad foſſam ducens, quamvis repugnantibus Piſanis, eam transgreditur. Ultra foſſam verò plena erant omnia: Quod enim confidebant Piſani prohibere tranſitu poſſe, nemo curaverat villas evacuare vel in tutum refugere. Noſtri ad Caſcinam primò: inde ad Sabinum caſtra fecêre. A Sabino rurſus moventes ad ipſa propè mœnia Piſanæ urbis profecti ſunt. Ibi in conſpectu à facie urbis militaribus , ad ignominiam, ludis editis, ac Piſanorum copiis, quæ inter ludos eruptionem fecerant, intra portam compulſis, villis ædificiisque undiquaque exuſtis, cùm ſacietas tandem nocendi cepiſſet,

Bonifacius Lupus Parmenſis dux Florentinis exercitus.

Rodulfus Varanius Camerinenſis.

Caſina. Sabinum.

Pons Sachi.
Literæ intercipiuntur, quæ à Pecciole ad Piſanos mittuntur.
Dux Pecciole oppidum obſidet.
Caſtellum pactione deditur.
Præfectus arcis pactionem recipere non vult.

per eadem, quâ venerant, veſtigia retroducentes ad pontem Sachi fecerunt caſtra. In his locis cùm eſſent, literæ interceptæ ſunt, quæ ab opidô Pecciole ad Piſanos mittebantur, quibus ſcriptum erat, omnem ferè illius opidi juventutem per abſentiam Florentini exercitus in agrum Volaterranum prædandi causâ profectam, biduo jam deſideratam fuiſſe: In opido autem paucos admodum, & eos ipſos imbecilliores relictos. Itaque ſubmitti defenſores celeriter poſtulabant: aliter autem, ſi adveniant hoſtes, defendi opidum non poſſe. Dux igitur lectis literis, tabellario etiam diligenter examinato, confeſtim præmiſit equites, qui reditum illorum impedirent. Ipſe verò cum reliquo exercitu ſecutus opidum obſedit, cingens undiquaque, ne quis regredi valeret. Poſt hæc opido admotis copiis, experiundi potiùs quàm expugnandi ſpe, rari defenſores, & inter eos fœminæ conſpectæ certam fecêre literis fidem, omne, quod fuerat, juventutis robur abeſſe. Conſtitit poſtea, juventutem ejus opidi ex agro Volaterrano, quò prædandi gratiâ fuerat profecta, concurſu noſtrorum averſam maris ad litus declinaſſe, longoque circuitu redire conatam obſidione prohibitam, ſe domum recipere. Ita cùm pars hoſtium excluſa domo, pars incluſa eſt; obſidioque indies urgeretur, pactione caſtellum deditur, niſi intra certam diem à Piſanis ſuccurratur. Erat in eo caſtello arx, duæque in ea turres ita propinquæ, ut ponte conjungerentur. Præfectus earum neque pactionem receperat, nec quod opidani fecerant, probabat. Quamobrem licet aliæ partes ab oppugnatione vacarent, & ad turres nihilominus pugnabatur, adauctusque jam cuniculus fundamenta alterius turris ſucciderat, quæ magno fragore prolapſa, cum ſuper mœnia opidi cecidiſſet, partem muri, ita dejecit, ut aditum patefaceret. Itaque eò confeſtim milites prædandi cupidi in opidum irruperunt. Opidani inermes fidem Ducis implorantes, & opidum ſine alia expectatione dedentes, perſtabant. Quod niſi à Duce præfectisque properatum eſſet, ac milites prope vi cohibiti, opidum nullo pactionis reſpectu, diripiebatur. Sic quoque ægrè temperatum vociferantibus militibus, prædam ad ſe jure belli pertinere.

Piſanorum Dux caſtella quædam expugnat, nonnulla ſuſcipit.
A Florentinis Piſani mari vexantur.
Perinus Grimaldi præfectus navium.
Nicolaus Acciaiolus.
Lilium inſula capitur.

Pecciole capto ad alia ſubinde caſtella Piſanorum, Dux profectus, quædam expugnavit, nonnulla ſeſe ſponte dedentia ſuſcepit. Sed indignatio querelaque militum ob prohibitam Pecciole prædam, cùm indies creſceret, nec Duces ſeditionis inſtigatoresq; deeſſent, veritus Dux majorem in exercitu motum, Miniate in opidum reduxit. Qui verò ſeditionem moliebantur, Ducem veriti ſeorſim caſtra metati ſunt. Ex his ad duo millia equitum abeuntes in ſocietatem latrocinii coiere.

Per idem tempus mari quoque Piſani à Florentinis vexabantur quatuor longis navibus: quarum duæ de Genuenſibus conductæ. Præerat autem illis Perinus Grimaldi. Duas verò Nicolaus Acciaiolus potens in regno ex Apulia miſerat. Hæ pluribus locis per litus deſcendentes magnas Piſanis intulerunt clades, & Lilium inſulam, opidumque in illa munitiſſimum ceperunt. Portum quoque Piſanum ingreſſæ turres expugnaverunt, & catenas ferreas, quibus portus claudebatur, revulſas Florentiam transmiſerunt, quæ juxta Martis templum ſuſpenſæ monſtrantur, pro magnificentia civitatis, quæ non terrâ ſolùm; ſed etiam mari Piſanos ulta magnificè fuiſſet.

Rodulfus Camerinenſis. Dux.
Petrus Farnetius
Farnetius Lucam occupare tentat.
Luca in poteſtate Piſanorum.
Proditio detegitur.
Barga à Piſanis obſidetur.

Per extremum ejus anni Rodulpho Camerinenſi, quem milites propter ſeditionem factam formidabant, nec Dux militi, nec miles Duci ſatis fidebat, ſucceſſor datus Petrus Farnetius, vir egregius bello, ac rei militaris per ea tempora inprimis peritus. Is ergò magnâ ſpe omnium cùm belli curam ſuſcepiſſet, principio veris Lucam per proditionem occupare tentavit. Erat enim tunc Luca in Piſanorum poteſtate, ut ſuperioribus libris oſtendimus, ægreque dominatum Lucenſes ferebant. Re igitur arcanè cum quibusdam Lucenſium compoſitâ, cum duobus equitum millibus, & peditibus quingentis Fucetio movens, ad conſtitutum tempus ſe circa Lucam oſtendit. Sed paulò antè detecta proditio fuerat, & manus injectæ quibusdam conjuratorum. Itaque non ſuccedentibus rebus Dux è veſtigio copias reduxit.

Barga per id tempus à Piſanis obſidebatur. Erant quoq; per finitima Bargæ loca defectus quidam & motus, ad quæ cùm Florentini Piſaniq; auxilia ſubmiſiſſent, prælium committitur, in quo prævalentibus Piſanis trecenti Florentinorum equites, & pedites ducenti profligati magnam cladem ſuſceperunt, præfectique eorum

capti

capti ſunt, & caſtella, quæ defecerant omninò amiſſa, & Barga duriori, quàm prius, obſidione aſtricta. Eâ velut ignominiâ tactus Farnetius, quod primæ ſibi res fœdè ſucceſſerant, cum reliquis copiis agrum Piſanum ingreditur, iratus quidem & ſibi, & hoſti, certoque confligendi propoſito nihil aliud meditatus, quàm quemadmodum acceptam cladem valeret ulciſci. Affuitque fortuna illius cœpto penè temerario. Nam cùm haud multum Piſis abeſſet, obviosque Piſanorum equites habuiſſet: pedites quoque mercede conducti ac multitudo urbana ſtudiosè concurreret, pugnatum eſt aliquandiu dubio eventu. Tandem verò Farnetii virtus & ardor ſuperavit, fractisque & profligatis magnâ ſtrage Piſanis, plenam eſt victoriam conſecutus. In eo prælio Dux hoſtium captus eſt, ac vexilla Piſanorum cum ingenti captivorum multitudine in poteſtatem victoris devenêre. Captivos, & Ducem, & ſigna militaria Piſanorum capta Farnetius cum ingenti gloria Florentiam retulit. Pro quibus rebus geſtis cùm ab exultante Populo corona laurea ſibi offerretur, accipere renuit, aſſerens majorum rerum triumpho illam convenire. Regreſſus deinde in agrum Piſanum majori apparatu, quàm prius, nullâ vi coërceri potuit, quin ad ipſa Piſarum mœnia perveniret; levibusque aliquot præliis ad portas commiſſis, profligatis & ibi hoſtibus, & intra mœnia compulſis, numos argenteos in eo loco percuſſit, inſigne habentes reſupinam vulpem, quo videlicet inſigni Farnetius utebatur.

Fortuna adeſt cœpto temerario.

Farnetius victoriam conſequitur.

Dux hoſtium capitur.

Farnetius coronam lauream accipere renuit.

Numos argenteos Farnetius percudit.

Per idem ferè tempus Barga, quod opidum jam pridem fuerat à Piſanis obſeſſum, liberatum eſt. Nam cùm equites à Farnetio miſſi eò perveniſſent, opidani ob auditam victoriam ſublatis animis opido egreſſi, magno ardore in hoſtem ruentes adeò ſuperiores fuerunt, ut & caſtra contra ſe poſita, & præſidia omnia expugnarent. Itaque ubique proſperè geſtis rebus gloria civitatis augebatur.

Barga obſeſſum à Piſanis liberatur.

Sed haud multò poſt quaſi fato quodam verſa retrò ſunt omnia; initio facto à Farnetii morte, qui in ipſo victoriarum curſu peſtilenti morbo correptus, Miniate in opido migravit è vita. Ejus corpus magno gemitu Florentiam devectum publico funere civitas ſepeliit. Hæc prima turbatio Florentinorum mentes perfregit, Duce optimo ac fortunatiſſimo repentè amiſſo. Et ſupervenit confeſtim Anglorum gens à Piſanis conducta. Erant verò equitum ſupra quatuor millia, peditum verò duo millia, qui per Galliam variis bellis exercitati, tandem transmiſſis Alpibus in Italiam deſcendetant. Hos cum Florentinis militare potiùs optantes, propterea, quòd in Anglia multitudo Florentinorum civium negotiaretur, ac noti amicique plurimis eſſent, malo conſilio civitas neglexit, horrens ſumtus nimios ſtipendiorum: Militabant enim mercede, ac magna ſtipendia flagitabant. Tepeſcentibus igitur Florentinis, Piſani meliore conſilio cuncta polliciti, eos ſibi conjunxerunt. Piſas ergò profecti Angli magnum ſtatim terrorem intulerunt noſtris. Nam Piſani quidem rependendi ignominias avidi, quantos nunquam priùs apparatus fecerunt, conjunctisque ad Anglos cæteris, quas habebant, copiis, domeſtico etiam equitatu peditatuq; præcupidè inſequenti, haud dubiè viribus ſuperiores habebantur, præſertim cùm apud Florentinos morte Ducis omnia per id tempus conturbata eſſent. Apparatibus demùm factis Piſani magnâ multitudine per Lucenſem & Piſtorienſem & Pratenſem venientes agrum, ad Piretolam, duobus paſſuum millibus ab urbe poſuerunt caſtra. Ibi aliquot dies commorati, cùm frequenter eorum agmina propè ad urbem diſcurriſſent, incendiis & rapinis omnia fœdârunt. Tandem exuſtis omnibus ædificiis ac vaſtatis, Piſanâ viâ cum incredibili præda magnoque captivorum agmine Piſas rediêre. Cum Piſis aliquot dies ſubſtitiſſent, illecti ſuperiori prædâ rurſus inde moventes in agrum Florentinum revertuntur. Eorum iter ad Emporium primò, inde à ſiniſtra relictâ urbe inter Peſam & Elſam fluvios profecti; ſuperatis collibus, quartis demum caſtris circa Figinum deſcenderunt. In his locis, quod ea maximè diverſiſſima ſunt ab agro Piſano, & propterea ſuſpicione belli plurimum vacabant, incredibilem prædam nacti ſunt. Mox Figinum expugnare adorti, haud magno labore illud ceperunt. In eo opido ſtativa hoſtium aliquandiu fuere, unde diſcurrentes catervæ latè populabantur, multisque expugnatis opidis, multis etiam metu deſertis, trepidatio maxima cunctos pervaſerat. Florentinorum copiæ contra hos profectæ ad An-

Farnetius moritur.

Anglorum gens à Piſanis conducitur.

Angli magnũ terrorem inferunt Florentinis.

Piſani ad Piretolam caſtra ponunt.

Peſa & Elſa fluvii.

Figinum Piſani capiunt.

ciſam conſtiterant, caſtraque juxta opidum ita muniebant, ut ex ſuperiore colle ad Arnum extenderentur. In his locis cùm eſſent copiæ, & quotidiè levia prælia inter utraque caſtra committerentur, hoſtes cognito ex captivis ſitu caſtrorum, improviſò ſupervenientes caſtra noſtrorum aggrediuntur. Quibus etſi reſiſtebatur egregiè: tamen quia pro laxitate caſtrorum non ſatis ampla defenſorum erat manus, tandem amittuntur caſtra. Ne verò magna ſuſciperetur clades, propinquitas opidi fecit. Capti tamen permulti, in quibus & præfectus ipſe copiatum fuit Rainutius Farnetius Petri frater, & commeatus impedimentaque omnia amiſſa.

Florentini amittunt caſtra.

Rainutius Farnetius Petri frater capitur.

Poſtero deinde die hoſtes ſtructam aciem opido admoventes, tranſitum pervicerunt, qui foſsâ & muro ab Anciſæ opido ad Arnum claudebatur, patefactoque itinere, exuſtis ejus vici ædificiis, facultatem eundi redeundique paraverunt. Ob hæc Florentiæ audita valdè trepidatum eſt, atque, ut fit in Populis; alii Duces ipſos, alii milites accuſabant: Proditos denique ſe credere malebant, quàm victos. Situs caſtrorum laxior, & fuga quorundam ſpontanea culpabatur, tantumque invaluit hæc opinio, ut ad octingentos equires Germani, quaſi parum fideliter in caſtris verſati fuerint, ignominiâ dimitterentur. Reliquis verò omnibus copiis in locum capti Ducis Pandulfum Malateſtam præfecerunt. Is enim haud multò antè domo vocatus, quaſi rei militaris peritus, ac partibus maximè fidus Florentiam venerat, caſtriſque deſignandis apud Anciſam interfuerat: mox inde urbem reverſus conſultandi gratiâ, in calamitate ſuſcepta non affuit.

Germani ignominioſa dimittuntur.

Pandulfus Malateſta præficitur copiis.

Inter hæc hoſtes victoriâ elati, jactantiâ quâdam ſignificârunt, ſe certâ die ad portas urbis Aretinâ viâ eſſe venturos: proinde pararent ſe Florentini ad repugnandum. Hæ minæ hoſtium, trepidationem auxêre. Quamobrem & ad Miniatis ædem præſidium in ſupercilio urbis poſitum eſt militum quingentorum, & valli aggereſq; aliquot locis ante portam facti. Expectatus deinde eorum adventus tantâ ſolicitudine, ut quicquid de ſuperiori loco appareret, hoſtes adeſſe putarentur. Sed cùm expectatio aliquot dierum fruſtrata timorem ademiſſet, ac peperiſſet jam ſecuritatem, Angli ipſi ſuo proprio agmine, Piſanis ad Figinum relictis, noctu ſupervenerunt, adeò improviſò ac inſperato, ut prius circa Ripolim fuerint duobus paſſuum millibus ab urbe, quàm aliquid de eorum adventu ſentiretur. Ibi ſublatus clamor ad urbem uſque pervenit, excitique è ſomno cives ad portam trepidi concurrerunt: Luce demùm exortâ copiæ ante portam eductæ conſtiterunt, id modò meditantes, quemadmodum venientibus ad portam hoſtibus reſiſteretur, ultra hoc nihil progreſſæ. Itaque hoſtes latè abactâ prædâ, magnoque captivorum numero coacto incendiis multarum villarum in oculis civium factis, nullo penitùs impediente, tandem abiêre.

Minæ hoſtium trepidationem apud Florentinos augent.

Hoſtes abeunt coacta præda.

Nec multò pòſt eadem manus Anglorum contra Aretinos profecta, uſque ad mœnia urbis populata eſt, ut eodem tempore Figini conſiſtere, ac Florentina Aretinaque mœnia pulſare, omnibuſque ex locis prædas abigere gens Anglorum putaretur: nec terribilius quicquam erat, quàm eorum nomen audire. Sed cùm finitâ jam æſtate remeare Piſas ſtatuiſſent, ne prædâ captiviſque onuſti per difficillimos ſaltus, quibus erat transeundum, impedirentur, dolum confingunt. Miſſis enim ad Florentinos nunciis, ut menſe fermè antè fecerant, ſignificârunt, ſe pridie Idus Novembres ad Salvianum templum eſſe venturos: Itaque Priores Florentinorum invitare ad ſolennia miſſarum. Hæc militari jactantiâ nunciata fidem adeò habuêre, ut ſoliciti omnes diem illum expectarent. Quæ cùm tandem advenit, armati cives, quaſi rei certæ, ad portam præſtolabantur; & alii jam vidiſſe hoſtes, jamque affore prædicabant: multi etiam è muris pavidi, ſtudio videndi, ſpeculabantur. At enim hoſtes eâ ipsâ die crematis ad Figinum caſtris, per aſperrimos ſaltus, ac ſinuoſas facies cum omni prædâ cunctiſque captivis incolumes evaſere. Iter eorum ferè in abeundo fuit, quo prius advenerant. Piſis redeuntes, tantâ gratulatione ſuſcepti ſunt, ut triumphare viderentur: & quoniam hiems aderat, intra urbem illis hibernare permiſſum eſt. Quæ quidem res permagna incommoda genuit Piſanis. Militibus ſiquidem intra una mœnia degentibus tantâ multitudine, nihil liberũ civib. relictum eſt, non urbs, non ædes, non familiæ, ſæpiusq; educere conati Piſani nunquam parére voluerunt,

Nihil terribilius fuit quam Anglorum nomen audire.

Anglorum dolus.

runt, modo pecuniarum defectum, modò hiemis aſperitatem cauſantes.

Per eandem hiemem apud Bargam (quod opidum rurſus obſederant) iteratò fracti fuſique Piſani, damna non modica acceperunt, cæſis eorum magno numero, ac ſignis militaribus aliquot amiſſis.

Piſani Florentinos rurſus invadere parant.

Principio inſequentis anni Piſani rurſus Florentinum majoribus, quàm antea, copiis invadere paraverunt. Acceſſerat enim ad prioris anni copias Germanorum manus equitum trium millium noviter conductorum. Inſuper multitudo Piſanorum ingens ex urbe & agro voluntaria ſequebatur. His omnibus ad iter paratis, per Lucenſem Piſtorienſemque & Pratenſem agrum magno tumultu duxêre. Florentini copias quidem majores per hiemem conductas ex Gallia & Germania expectabant; & venerat pars quædam, non tamen tanta, ut exire in apertum, & caſtra caſtris auderet conferre: Itaque per opida conſiſtens, à populationibus ſatis habebat hoſtem cohibere.

Florentini copias ex Gallia & Germania expectant.

Marina fluvius.

Cùm in his eſſent locis Piſanorum copiæ, Angli per fauces Marinæ fluvii vadentes, agrum Mugellanum intraverunt. Ibi latè prædam captivoſque omnis generis nacti abegerunt. Reliquæ verò Piſanorum copiæ cum Germanis cæteroque equitatu inter Pratum & Piſtorium conſiſtebant. Placuit igitur bifariam quoque Florentinorum copias dividere, ut aliæ in urbe manentes impetus hoſtium ab ea parte, ſi quid conarentur, retunderent: aliæ in agrum Mugellanum ad cohibendum illic Anglicum tumultum proficiſcerentur. Angli aliquot dies per Mugellanum agrum debacchati, tandem retrò veſtigia legentes per ea dein Marinæ fauces, nullo prohibente, cæteras ad copias remeârunt, omnibusque ſimul copiis procedentes Piſani ad Sextum & Columnatam vicos Florentini agri caſtra fecerunt. Florentiæ verò & rumor hoſtium erat, & dolor atque dedecus pro agro villiſque, quas ante oculos incendi vaſtarique ab hoſtibus intuebantur: atque ab his hoſtibus, quos neque opibus, nec potentiâ ſibi pares exiſtimabant.

Sextum, & Columnatam vici Florentini.

Ob hæc querelarum & indignationum plena erant omnia, & non ſuccedentibus rebus Dux ipſe belli Pandulphus infamiâ laborabat: alii nolle, alii neſcire criminabantur. Quæ cùm increbeſcerent, commeatu perito, curam ejus belli ultro repudiavit.

Dux Pandulphus infamia laborat.

Dux curam belli repudiat.

Inter hæc Piſani propiùs admotis caſtris colles omnes, qui urbi imminent, à Bononienſi via ad Feſulanſi montem occupârunt. Inde poſtridie deſcendentes, Calendis ipſis Maji agmine quadrato ad urbem deſcenderunt, tantusq; fuit impetus, ut vix quiſquàm extra portam eſſet, qui non præliando intra portam compelleretur, ac de turribus & mœnibus hoſtes ferirentur.

Poſt hæc retrogreſsi hoſtes in iiſdem montibus conſtitêre: noctéque inſecutâ multis facibus diſcurrentes, ludos ingentibus clamoribus inter ſe celebrârunt. Civitas autem trepida, utpote quæ non videret modò faces; verùm etiam voces hoſtium exaudiret, inſomnem tranſegit noctem. Et tumultus quidam ad mœnia pluribus locis ſuſcitati ſunt, qui metum trepidationemque augebant.

Hoſtes ludos celebrant.

Poſterâ die hoſtes crematis ædificiis ferè omnibus quæ Feſulis, quæ Bononienſi viâ, & circum ea loca fuerant, retrò moventes caſtra tranſmiſſo Arno in viam Piſanam omnibus copiis tranſiverunt. Ibi, ut priùs Bononienſi viâ fecerant, ita & Piſanâ ad portam urbis venire conati, multis vulneribus repelluntur, conſuetis jam civibus varios metus contemnere. Quare ab ea quoque parte incendiis villarum factis, relictâ tandem urbe, per dexteros profecti colles in ſuperiorem Arnum tranſierunt. Inde in Aretinum agrum vadentes, uſque ad mœnia urbis populati ſunt. Mox per Senenſium fines regreſsi Piſas tandem redierunt. Ante reditum harum copiarum cùm hoſtes circa Aretium eſſent, Florentini equitatu omni contra Piſas miſſo, cuncta circa urbem incenderunt. Inde Liburnum aggreſsi, cùm id opidum defenſorum vacuum offendiſſent, ceperunt illud atque cremaverunt. Mox veriti, ne Piſani, ad quos nova equitum manus ex Gallia ſupervenerat, iter interrumperent, per Volaterranum agrum accelerantes Florentiam incolumes remeârunt.

Hoſtes à Piſanis repelluntur.

Cùm finis eſſet illius æſtatis, magnæque apud Piſanos copiæ forent, ac de futuri anni clade formidaretur, Florentini ſolicitatis pecuniâ Anglis, cæteriſque Piſanorum auxiliaribus, ut ab illis diſcederent, magnâ impenſâ obtinuerunt, non

Florentini Anglos pecunia ſolicitant.

tamen ut ſibi conjunctæ Piſanos invaderent (id enim honeſtate quadam militari exceperunt) ſed ut neque Florentinis neque Aretinis obeſſent. Quod ſi aliis, quàm Piſanis bellum inferrent Florentini, adeſſe ſibi non recuſabant.

Copiarum maxima pars à Piſanis abſcedunt. *Iohannes Augus Dux.* *Galeotus Malateſta Dux bello præficitur.*

Per hunc modum pars maxima copiarum à Piſanis abſceſſit. Manus tantummodo Anglicorum una remanſit apud Piſanos, quam Johannes Augus ductabat (ea fuit equitum circiter mille) & Italici generis aliæ copiæ. Florentini interea evocaverant Galeotum Malateſtam, virum eximium ac peritiſsimum rei militaris, eumque Ducem ac moderatorem bello præfecerant. Is quâ die Florentiam ingreſſus eſt, receptis de more ſignis, ſine ulla cunctatione extra urbem detulit viâ Piſanâ ad ſecundum ferè lapidem. Ibi auxilia ex Aretinis cæteriſque amicis Populis expectavit. Ipſe verò Dux per ſingulos dies in urbem ingreſſus, quæ ſibi forent agenda cum Prioribus civium conſultabat. Tandem cùm omnes conveniſſent copiæ, cæteraque parata forent, contra Piſanos duxit; habens peditum ſupra decem millia; equitum verò ad quatuor millia. Cum his copiis ad opidum Pecciole primò; mox inde ad Caſcinam conſtitit. In eo loco munitis caſtris occaſionem benè gerendæ rei cum ſumma providentia expectabat.

Piſani pugnare ſtatuunt.

Piſani caſtra hoſtium ſibi vicina intuentes (neque enim plus diſtabant à Piſis, quàm millibus paſſuum ſex) prælio decernere ſtatuerunt. Nam & Populi multitudo erat ingens, præſertim juxta urbem pugnatura, & conductorum peditum equitumque manus, Florentinos ſpernere conſueta, & ſuperioris æſtatis victoriis fidens. Aderat præterea Johannes Augus peritiſsimus & callidiſſimus bello Dux, qui ſpem eorum valde ſublevabat. Cùm ergò pugnare ſtatuiſſent, Augus Piſis egreſſus ad Sabinum caſtra fecit, qui locus medius erat inter urbem & hoſtes.

Ratio prælii ineundi.

Ratio prælii ineundi hæc fuit: miſſis ſæpè antè equitibus ad Florentinorum caſtra, qui tumultum ſuſcitarent, ac è veſtigio fugerent: in eam conſuetudinem adducere curaverat, ut jam eorum adventus inſultuſque contemneretur. Id cùm aſtuto conſilio aſſecutus eſſet, Augus tandem poſtmeridiano tempore ſubitò profectus, cum omnibus copiis mirabili ſilentio ac diſſimulatione Florentinorum caſtris repentè ſupervenit.

Augus Florentinorum caſtris ſupervenit.

Calor erat ingens, militumque magna pars inermis vel ſub tabernaculis jacebat, vel in flumine, quod præterfluit, lavabatur. Cura verò aut ſuſpicio hoſtis nulla per id tempus erat. Tum improviſus hoſtis repentè ad munitiones delatus, ſperavit primo impetu caſtra perrumpere, & otioſos inermeſque opprimere. Aretini ab ea parte ſtationem habebant, qui, licet tàm repentino adventu perculſi, nequaquàm ceſſerunt, ſed armati ſimul inermeſque ſeſe hoſti objicientes primum impetum ſuſtinuerunt. Et jam clamor ſublatus ad arma cæteros concierat, concurrebatque fortiſſimus quiſque ad impetum retundendum. Ipſe Dux ætate profectus, magnæque autoritatis, milites accelerabat, & pro temporis anguſtia hortabatur.

Florentini hoſtes invadunt, & pedem referre compellunt.

Cùm concurriſſent undique, & robur jam virorum adeſſet, non contenti munitiones defendere, eruptione factâ, hoſtes invadunt, ac pedem referre compellunt.

Augus ubi primam aciem contra atque ipſe ratus erat, non perrupiſſe ſtationem improviſo impetu conſpexit, paulatim ſubducere agmen cœpit, ac ſeſe ad Sabinum recipere. Id verò tardiùs ex eo factum, quod maxima pars, ut magis lateret, equos dimiſerat, pedeſque venerat ad caſtra perrumpenda. Itaque abeuntibus qui ponè ſequebantur, prima acies fracta, & in fugam verſa obruitur à noſtris, ac multâ cæde proſternitur.

Piſanus Populus nocendi avidus.

Maxima vis Piſani Populi, utpote nocendi avida, circa primam fuerat aciem: eorum plurima facta ſtrages, & captivorum numerus ingens ex civibus Piſanis fuit. Dux ab inſequendo longiùs continuit, veritus inſidias ob tam acceleratam hoſtium fugam. Cæſi in prima acie ſupra octingentos Piſanorum, capti ad duo millia. Augus cum reliquis copiis, quæ ad Sabinum refugerant, deſertis caſtris intra Piſarum mœnia ſe recepit.

Piſani capti carceribus traduntur.

Poſt hoc Florentini propiùs Piſas admotis copiis, ubi nemo obviam prodibat, retrò moventes ſigna, quo captivorum impedimentis ſeſe exonerarent, Florentiam rediêre. Piſani omnes capti ad ſpectaculum Populi curribus quadraginta quatuor per urbem devecti, tandemque carceribus traditi. His peractis

Dux

Dux iterum movens Piſanos fines ingreditur. Exercitus autem poſtulatione duplicis ſtipendii & captivorum contentione malè inter ſe concors in ſeditione gravißima verſabatur, adeò, ut neque progredi ulterius, neque patere vellet. Ob eam tem Dux pacandis ſanandiſque militum animis aliquot dies, in primis finibus agri Piſani commoratus: tandem compoſitis ad aliquem modum rebus ultrà progreſſus, circa urbem Piſas devenit. Ibi cùm hoſtes affligeret, cladeſque belli inferret, orta rurſus in caſtris ſeditio ad prælium uſque proceſſit. Ea fuit cauſa celerioris receſsus. Dux enim in diſcordia exercitus prope urbem hoſtium manere periculoſum ratus, dimiſsâ parte militum, ipſe cum reliquis Lucenſem agrum pervaſit. Florentiæ verò multorum jam animi ad pacem inclinabantur. Nam & ſatisfactum dignitati putabant ob victoriam nuper habitam, & tot Piſanos cives ſpectaculo traductos, & afflictum ſæpiùs eorum agrum. Et accedebat deſperatio quædam ex ſeditione militum coorta. Suſpicio inſuper nequaquàm contemnenda prudentiores territabat, ne Piſani fractis deſperatiſque rebus urbem, ac ſua omnia Bernabovi dederent, Tyranno potenti, ac rerum novarum avido, & qui jampridem manus injicere per Hetruriam meditaretur. Ita mentio pacis orta eſt, & audire jam tolerabant Pontificis Romani vocem, qui per oratores ſuos pacem ſuadebat. Denique operâ Pontificis factum eſt, ut Legati Piſanorum in opidum Piſciam venirent. Ibi cum Florentinis Legatis congreſsi de pace agere cœperunt. Dum Piſciæ ſtarent Legati, ac de conditionibus pacis tractaretur, Johannes cognomento Agnellus civis Piſanus inter hæc factione ſuorum Piſis ſublevatus, dominatum arripuit civitatis. Is quia erat ex intimo Bernabovis ſinu, & paulò antè ab eo redierat, nulli fuit dubium, quin ope conſilioque Bernabovis hæc facta eſſent, quo turbatam civitatem ipſe arriperet. Quæ cauſa fuit pacis maturandæ. Conditiones pacis multæ ac honoratæ pro Florentino Populo fuerunt. Nam & Petrabona caſtellum, à quo natum ab initio bellum fuerat, per eam pacem Florentinis à Piſanis eſt traditum, & alia quædam Piſanorum caſtella ex pacto ad ſolum everſa, & immunitates omnes à Florentinis Piſis reſtitutæ. Præterea in annis decem centum millia pondo auri dare Florentinis Piſani promisêre, ſingulis videlicet annis decem millia. Acceſſit etiam illud honorificum, ut exercitus Florentini Populi in finibus Piſanorum eſſet, cùm pax facta eſt, utque in opido Piſciæ tractata factaque fuerit pax, loco Florentinis ſubjecto. Hæc omnia pacem honorificam reddiderunt. Populus tamen Florentinus uſque adeò pacem datam Piſanis ægrè tulit; ut à Carolo Stroza, qui autor ſuaſorque fuiſſe pacis ferebatur, vix manus abſtineret. Cùm finis impoſitus eſſet Piſano bello, Carolus Imperator in Italiam rediit, vocatus ab Urbano Pontifice, quo Bernabovem perpetuum Eccleſiæ hoſtem ulciſceretur. Idem Pontifex, cùm tranſitum Caroli præparaſſet, Florentini ut ad ſe Legatos mitterent, flagiravit. Miſsi ſunt ad eum quatuor è Principibus civitatis. Hos Pontifex multis verbis cohortatus eſt, ut in ſocietatem belli adverſus Bernabovem Florentini coitent. Ea per oratores domum perſcripta cùm eſſent, diligentiore conſultatione habitâ tandem negata eſt ſocietas Pontifici, eo prætextu, quòd pax & amicitia civitati cum Bernabove foret. Id reſponſum Pontificem ſimul Imperatoremque offendit, *& quaſi labente fundamento nihil ſuper ædificari ſolidum potuit.* Quamobrem Imperator, qui bellum tumultuoſiùs Bernabovi cœperat inferre, non multò pòſt inſperato pacem cum illo fecit, ac demiſsâ magnâ exercitus parte; ipſe cum reliquis Romam petere conſtituit. Cum audiretur pace per Galliam factâ Carolum in Hetruria eſſe tranſiturum, Florentini Legatis ad eum miſſis, qua mente, quové animo eſſet, tentavere. Fuerat protenùs primo illius tranſitu optimâ gratiâ Florentinus Populus apud Carolum, multaque benignè per illum indulta ſuprà oſtendimus. Sed erat ſuſpecta pecuniarum cupiditas, præſertim indigentiâ conjunctâ, quarum comparandarum gratiâ nihil non molitutus credebatur. Idque ſtatim apparuit. Nam ſimul atque ad eum pervenerunt Legati, accuſatio facta ab illo eſt verſus Florentinũ Populũ, quòd non contentus à ſe dudum conceſſis, jura inſuper quædã Romani Imperii uſurpaſset. Id cum querela & indignatione ab eo prolatum, iram

Exercitus in ſeditione verſatur.

Pontifex per Oratores pacem ſuadet.

Piſani cum Florentinis de pace agere incipiunt.

Johannes Agnellus civis Piſanus dominatum arripit civitatis.

Conditiones pacis.

Petrabona Florentinis à Piſanis traditur.

Florentinus populus pacem Piſanis datam ægrè fert.

Carolus Stroza autor pacis.

Carolus in Italiam redit.

Legati ad Pontificem mittuntur.

Societas Pontifici à Florentinis negatur.

tum, iram ſignificabat, & duritiem animi inſigniter offenſi. Erat verò id totum ars pecuniarum avertendarum. Nec multò poſt hæc dicta iter ingreſſus Lucam petiit, & à Lucenſibus benignè ſuſceptus. Finitimo de loco terrorem adauxit.

Equites Caroli prædas abigere cœperunt ex Florentino agro.

Equites ejus atque Præfecti Miniate in opido primo ſtatim adventu, quaſi in fronte, ab eo collocati, Florentino ex agro prædas abigere cœperunt, & hoſtilia inde tumultuoſiùs oſtentare. Ipſe autem Volaterrarum, ac Prati, & Lucenſis agri, quæ à Florentino Populo tenebantur, teſtitutionem flagitabat, nec per interceſſores ab hac poſtulatione quibat divelli. Quare obſtinationem ejus aſpiciens civitas, conducere militem, ac fines tueri armis perrexit. Nec Florentinos ſolùm commovit illius in Hetruriam adventus; ſed & alias quoque civitates novis rebus involvit.

Iohannes Agnus Piſanis præſidet. Petrus Gambacurta exul receptus, gubernationem Reipub ſuſcipit
Senis in Reipub. motus graviſſimi.
Carolus Romam proficiſcitur.
Tumultu Populi Carolus penè opprimitur.
Miniatenſium exules bellum opido inferunt.
Miniatenſes opidum Bernabovi tradunt.

Piſanis per id tempus præſidebat Johannes cognomento Agnus. Is Lucam ad ſalutandum Carolum profectus, cùm ibi caſu quodam prolapſus coxam fregiſſet, delatus confeſtim Piſas rumor, alios ſpe, alios metu concitavit, totaq; civitas fuit in armis, prævalenteq; diverſâ factione Petrus Gambacurta, qui ad eam diē exularat, favore ſuorum receptus gubernationē Reip. ſuſcepit. Senis quoq; per hæc ipſa tēpora motus in Rep. graviſſimi fuerunt, variæq; dejectiones & fugæ civium. Carolus per hos tumultus Romam profectus parumper ibi cōmoratus, dum Pontifici de rebus arcanis, quarum gratiâ venerat, loqueretur, tandem his, ut voluerat, compoſitis Senas regreditur. Senis autem dum eſſet, in ſuſpicionem venit, quaſi urbem illam alteri traditurus. Quamobrem tumultu Populi repentè exorto penè oppreſſus eſt, multisq; ſuorum amiſſis Lucam repetiit, indeq; in Galliam, mox in Germaniā tranſiit. Poſt Caroli receſſum Miniatenſium exules jampridem caſtellis quibusdam occupatis bellum opido inferebant. Erat in eo opido Germanorum manus ex Caroli exercitu, cumque his opidani diverſæ factionis. Sed exules favore opibusq; Florentini Populi nitebantur. Quod intuentes adverſarii, ad Bernabovem Mediolanensē confugientes, illius opem implorârunt, illiq; opidum tradiderunt. Bernabos igitur, ut qui rem Hetruſcam jampridem meditaretur, ferre auxilium Miniatenſib. conſtituit. Id verò peringratè facere viſus eſt. Nam Florentini nuper vel ob id maximè indignationem Caroli Pontificisq; inciderant, quod contra ipſum, tunc amicum, inire fœdus recuſâſſent. Ipſe verò, cùm eſſet pax, nullâ probabili causâ hoſtem fovere, ac bello implicati adverſus Florentinum Populum haud quaquàm abnuerat.

Iohannes Angus Dux equitatus Bernabovis.

Florentini cognito Bernabovis propoſito, majori quàm antea nixu opidum obſederunt. Nec multò poſt equitatus aderat Bernabovis magno quidem numero. Ducebat autem Johannes Angus vir clarus bello, & jam inde per Italiam notus. Is audito caſtrorum ordine & obſidionis formâ, quoniā vim afferre poſſe deſperabat, in agro ſubſtiterat Piſano, non longiùs tamen à Florentinorum caſtris, quàm decem millibus paſſuum.

Iohannes Reginus Dux exercitus Florentini Populi.

Dux erat exercitus Florentini Populi Johannes Reginus, vir egregius quidem & bellorum ſciens. Qui cùm videret copias hoſtium morari, nec ad ſe accedere, rectam ipſe rationem ſecutus, ſtandum in caſtris, & urgendam obſidionem, nec obviam exeundum cenſebat, oſtendens opportunitatem caſtrorum, unde ſi advenìant hoſtes, & conentur, cum haud dubia ſtrage expellantur: Si non advenìat, nihil eos nocere. *Nec verò certam exploratamq; victoriam incerta dubiaq; præliandi fortunæ cōmittendam eſſe.*

Conſilium Iohannis Regini.

Ejus conſilium & rectum & prudens ferociores quidā civiū in Magiſtratu cōſtituti ita exagitabant, ut totū illius propoſitū ad ignaviā timiditatēq; referrent. Plebs quoq; urbana, ob ferociā Magiſtratus læta, Ducis ſocordiā & metū pavoremq; increpabat. Quod cùm illi innotuiſſet, eamus, inquit, quò temeritas impetitorum jubet, jam ſcient, neq; animum mihi, neq; conſilium defuiſſe. Inde primâ luce, copiarum parte ad tuendas munitiones in caſtris relictâ, ipſe cæteram multitudinem ſub ſignis ſtructam certiſſimo pugnandi propoſito ad hoſtem rapit.

Angus Florentinos vincit.
Dux Florentini exercitus capitur.

Augus verò cùm Florentinorum copias ad ſe venire conſpexiſſet, ſuos intra munitiones cōtinuit, volens & itinere & calore viros equosq; adverſariorū maximè confici. Itaq; calonib. tantùm & levis armaturæ militib. emiſſis detineri hoſtē ac defatigari imperavit. Ipſe curatis ſuorū corporib. ſtructam paratamq; ſubinde aciem, cùm tempus fuit, eduxit. Cumq; ſuperior numero foret, & quietos infatigatosque eduxiſſet, perfacilè vicit.

Captus eſt in eo prælio Dux Florētini exercit⁹ cū magna multitudine, ex ſi etiā permulti,

permulti, cæteri profligati, nullo neque ordine neque Duce, ut cuique ſors obtulit, aufugerunt.

Hoſtes poſtridie ſub ipſas munitiones caſtrorum profecti, cùm eas cuſtodiri intrepidè animadvertiſſent; faciliorem ſibi viam ſolvendæ obſidionis arbitrati, ſi agrum Florentinum ingrederentur, relictis caſtris uſque ad mœnia penè urbis devenêre, majorem tumultum de induſtriâ oſtentantes. Sed civitas in eo pertinax fuit, nulloque terrore potuit adduci, quin in obſidione perſtaret, confeſtimque reparatis copiis, magis etiam, quàm priùs obſidionē urgeret. Evenitq; haud multò pòſt, ut Miniate per proditionem caperetur, Luperellò quodā, ex minima plebe homine, per abdita ac penè invia milites noctu recipiente. Ex quo vires hoſtium fractæ ſunt, & diverſæ factionis homines, qui rebellandi fuerant autores, Florentiam ducti multitudinis concurſu penè diſcerpti, tandem affecti ſupplicio periêre.

Miniate proditione capitur. *Luperellus proditur.* *Autores rebellandi Florentiam ducuntur, & affecti ſupplicio pereunt.*

Haud multò poſt Miniate receptum Bernabovis equites ſub ſpecie auxilii Lucæ commorantes de occupanda urbe conſilium inierunt. Tenebat eam Caroli Præfectus, nec latuit ipſum machinatio & fraus. Itaq; cùm aliis ſe præſidiis roboraſſet, dimiſſi ab eo equites ſunt honeſto prætextu, quaſi non amplius eorum operâ indigeret. Ipſe verò ad conditiones pactaq; trajecit animum, pecuniâq; demum acceptâ urbem relinquere civibus paciſcitur. Mutua ob eam rem pecunia Lucenſib. data eſt à Florētinis auri pondo viginti quinq; millia. Miſſi quoq; eò præſtantiſſimi civium, qui in conſtituenda Rep. moderandaq; civitate adeſſent. Nam ipſi quidem Lucenſes, ut qui diu ſub Tyrannis vixerant, jura libertatis penè fuerant obliti. Per hunc modum libertas Lucenſib. reddita eſt ex multis ac variis fluctuationibus. Arcem munitiſſimam in ea urbe à Caſtrutio ædificatam, quò populariùs degeretur, cōfeſtim cives everterunt.

Bernabovis equites de occupanda Luca conſilium ineunt. *Caroli præfectus Lucam relinquere civibus paciſcitur.* *Lucenſibus libertas redditur.* *Arx à Caſtrutio ædificata evertitur.*

Eodem anno Florentinorum equites octingenti in Galliam miſſi Legato Romanæ Sedis, qui Bononiam tenebat, auxilia tulerunt adverſus Bernabovem. Fuerat enim paulò antè ſocietas inita à Florentinis cum Urbano Pontifice Romano, tunc Viterbii commorante. Moverant autem Florentinos ad ſocietatem ineundam Bernabovis injuriæ circa Miniatis obſidionem illatæ. Mittentes ergò in Galliam equites, Legato contra Bernabovem auxilia præbuerunt.

Florentini Legato auxilia contra Bernabovem præbent.

Bellum per id tempus ad Regium lepidum gerebatur, quam urbem magnâ vi Bernabos circumſedebat. Ille igitur cùm adventum copiarū Florentini Populi cognoviſſet, quo neceſſitas redeundi domum illis injiceretur, per Placentinū Parmenſemq; agrum equitib. miſſis repentè circa Piſas copias oſtendit. Ob eum timorē cōfeſtim ex Gallia revocati ſunt equites ad Legatum miſſi: Simulq; cum his ſociorū equitatus acceſſit. Hi omnes in agrum Piſanū ad hoſtem profecti prælium cōmittere properabant. Sed hoſtis antequā in præſentia veniretur, per eam ipſam, quâ venerat, viam regreſſus, irrito labore longisq; itinerib. noſtros fatigavit. Florentinorum ſociorumq; equites perſecuti hoſtiū veſtigia, quædā illis intulerunt damna, ac manifeſtā fugæ cōfeſſionē extorſerunt: moxq; & illi in Galliā reverſi bellū proſecuti ſunt. Certamē ejus belli per æſtatē lōgius fuit: Tandēq; victoria parta eſt adverſus hoſtem, & obſidio Rhegii diſſoluta. Mannus autē Donatus eques Florentinus Dux earum copiarū labore nimio cōfectus in ægritudinē incidit, ex qua paulò pòſt Patavii deceſſit.

Regium Lepidū Bernabos circumſedit. *Sociorum equitatus cum Bernabove prælium committere properant.* *Obſidio Rhegii diſſolvitur.* *Mannus Donatus Dux copiarū.*

Urbanus Pontif. per hæc ipſa ferè tēpora cōpoſitis Italiæ reb. in ulteriorē Galliā remeaverat, breviq; admodū tēpore ſupervixit. In ejus locū Gregorius XI. ſucceſſit.

Urbanus Pontif. moritur. *Gregorius XI. ſuccedit.*

Nec multò pòſt cum Bernabove pax recepta eſt, & copiæ ſociorum ſolutæ, equitatusq; Florentini Populi in Hetruriam rediit.

Per extremum ejus anni oratores in ulteriorem Galliam ad novum Pontificē miſſi pro ejus aſſumtione gratulatum, mentem illius non ſatis pacatam in rebus Italicis depræhenderunt. Movit autem eos maximè in Peruſinos cavillatio, quos ut inſtar prædeceſſoris in gratiā habere perſeveraret, adduci non poterat. Et ſecuta mox ejus urbis occupatio ſuſpicionem adauxit. Peruſini, ſiquidem inopiā frumenti laborantes, cùm undiq; itinera clauderentur, Legato, velut expugnati victiq; ſeſe dedere coacti ſunt. Manſit tamen in ſuſpicione pax, & ſocietas quædam cum Gregorio renovata eſt, in qua Piſani & Senēſes & Aretini & Lucenſes cum Florentinis fuerunt.

Oratores ad novum Pontificem pro eius aſſumtione gratulatum mittuntur. *Peruſini ſeſe Legato dedunt.* *Societas cum Gregorio renovata permanet.*

Factiones per hæc tēpora Florentiæ increverant Albiciorum Riciorumq. Hæ familiæ erant opulentæ, Principesq; earum familiarū præſtantes in Rep. viri diverſis ſtudiis ad ſe alios traxerant cives. Contentionib. ac certaminib. pleraq; gerebantur.

Factiones Albiciorum Riciorumque Florentiæ.

Hæ factio-

Hæ factiones cùm aliquandiu in civitate duraviſſent, tandem laudabili conſilio finis eſt à civitate impoſitus. Cùm enim Populo ob eas, quas retulimus, cauſas maximè ſuſpectus eſſet Pontificis favor, & factionum Principes pro ſuâ quiſque magnitudine aſciſcere ſibi favorem illius videretur, ſatietas quoque contentionum pleroſque haberet cives, invidia Principes urgeret, quòd in libera civitate populariquc Rep. majorem ſibi, quàm par erat, potentiam comparaſſent. Ob hæc omnia tandem lege latâ Principibus earum familiarum interdictum eſt Reip. adminiſtratione. Per hunc modum deturbatis autoribus, factiones ipſæ brevi conticuêre.

Principibus familiarum interdicitur Reip. adminiſtratione.

Altero dehinc atque tertio anno nihil memoriâ dignum reperio geſtum, niſi quòd Ubaldinæ gentis caſtella per arces Apennini domita in poteſtatem Florentini Populi devenêre, gentiſque ejus potentiæ hîc exitus fuit.

Ubaldinæ gentis caſtella in Florentinorum poteſtatem devenitunt.

Per hæc ipſa tempora porticus juxta ædes publicas facta eſt inſigni ſplendore ac magnificentiâ. Ejus ædificandæ gratiâ redemtiones domorum à poſſeſſoribus factæ ſunt, quæ mox dirutæ ſpatium liberum ad ædificandam porticum præbuêre.

Principio in ſequentis anni, qui fuit ſeptuageſimus quintus ſupra mille trecentos, ſuſpicio adverſus Pontificem jampridem concepta magis magiſq; in dies augeſcebat, nec priùs finis quàm paulatim exacerbata manifeſtum tandẽ in bellum prorupit, de quo altiùs repetentes pro rei notitiâ quædam memorabimus.

ANNO. 1375. Suſpicio adverſus Pontificem augeſcit.

Fuerat Pontificatus Romanus in Gallorum manibus jam inde à Clemente VI. continuatus. Hi per Legatos ex Gallia miſſos civitates Romanæ Eccleſiæ ſubjectos per Italiam gubernabant. Dominatus eorum ſuperbus erat ac penè intolerandus, nec Eccleſiæ tantùm urbes; verùm etiam liberas civitates ſibi ſubdere cupiebant. Studia verò eorum non pacis erant, ſed belli. Externorum hominum plena erat Italia, arces pluribus locis per liberas civitates infinito ſumtu ab illis ædificatæ non libertatem, ſed coactam miſeramq; populorum ſervitutem ubique teſtabantur: Ipſi & inviſi omnibus, quibus dominabantur, & vicinis ſuſpecti atque cavendi.

Pontificatus Romanus in Gallorum manib. erat.

Cùm hæc eſſet rerum conditio per Italiam, Legatorumque potentia longè lateq; dominaretur, ac formidabilis eſſet, Florentini, magnis licet in ſuſpicionibus conſtituti, pacem tamen & fœdus cum Pontifice obſervabant.

Florentini obſervant pacem cum Pontifice.

Sterilitas annonæ per hæc ipſa tempora ſupervenit civitati, &, utpote in urbe populoſa, indigentia plurimùm creverat, ut vix Florentina plebs ſuſtentaretur. Hæ difficultates Legato, qui Bononiam tenebat, non erant incognitæ. Sæpius enim jam pro amicitia & fœdere rogatus, frumenti facultatem denegârat. In hac igitur tantâ difficultate atque periculo cùm ſpes unicà in ſegetibus eſſet, quæ planè jam flaveſcebant, Legatus repentè omnes copias ſuas in Florentinos dimiſit, volens itinera præcludi, & ſimul omnem ſpem futuræ meſſis auferre. Quod niſi civitas prudenti conſilio obviam iiſſet, jugum erat ſervitutis procul dubiò recipiendum. Nam magnitudo copiarum tanta erat, ut à finibus arceri nulla facultas eſſet, præſertim repentè adventantium. Hoc periculum tunc civitati imminens, non armis, ſed conſilio depulſum eſt. Datâ ſiquidem grandi ſummâ centum & triginta millium florenorum Ducibus militiæ, præter Legati ſpem non pacati modò, ſed amici facti nullam calamitatem intulêre. Acceſſit ad cæteram indignationem Prati opidi per eos ipſos dies detecta proditio, quam ſciente machinanteque Legato tentatam ferebant. His ergo infenſi civium animi & metu ſimul indignationeque commoti adverſus Clericorum malignitatem inſurgere ſtatuerunt. Ea de cauſa magnæ ſtatim copiæ paratæ, octoque viri cum poteſtate publica creati, quibus omnis cura belli demandata eſt. Et civitas quidem pro accepta nuper injuria, & pro repellendo impoſterum libertatis periculo robuſtè ac celſo animo ad id bellum ſurrexit. Octo virorum autem providentiâ (fuerunt enim præſtantiſſimi ac ſolertiſſimi viri) ſubſequentibus rebus confeſtim eluxit. Nihil enim ferociter, nec propalam agendo, ſed remiſsè arcaneque ſingula obeundo, monendoque per ſingulas civitates homines, &, quibus erat opus, auxilia pollicendo, ſtragem adverſariorum brevi dedêre. Primi omnium Tifernates ab his impulſi contra dominatores inſurgentes, jugum ſervitutis repulerunt. Erat in eâ urbe præſidium nequaquam contemnendum, attamen raptis armis Tifernates contra præſidium ruentes prælium

Sterilitas annonæ ſupervenit civitati.

Legatus frumẽti facultatem denegat.

Legati dolus.

Periculum depellitur à Florentinis conſilio.

Prati Proditio detegitur.

Octo viri creantur quibus belli cura demandatur.

Octo virorum providentia confeſtim elucet.

Tifernates ruunt contra præſidiũ in urbe.

commiſerunt,

commiſerunt, tandemque multis interfectis reliquos intra munimenta arcis compulerunt.

Eâque ipsâ nocte Florentini Populi auxilia intra urbem recepta, unà cum civibus arcem obſidentes, non multorum dierum certamine ad deditionem coëgerunt.

Arx deditur.

Qui Peruſiam gubernabat Legatus, ubi rebellaſſe Tifernates, & arcem à ſuis teneri cognovit, coactis ſubitò copiis ad recuperandum Tifernum eas dimiſit. Id verò cùm cernerent Peruſini, per abſentiam copiarum elati, raptis & ipſi armis in Legatum feruntur, & arcem (erat enim munitiſſima in ea urbe arx, ab hoc ipſo Legato constructa) obſederunt. Ad hos quoque ſubmiſſa ſtatim Florentinorum auxilia, & quanquam longior fuerit obſidio, tamen ad extremum ea quoque civitas pari tenore ſuſcepit libertatem. Secuta eſt paulò pòſt Spoleti, Tuderti, Eugubij & Fori Livij defectio: Secuta & Aſculi in Picentibus, & Viterbij in Tuſcis: Nec ruinam parem meminit quisquam. Cauſa verò tàm ſubitæ fuit ſtragis mala dominatio, ac infenſæ jampridem Populorum mentes, ut primò facultas apparuit ſeſe in libertatem avidiſſimè vindicantium. Nec tolerabilis ſanè jam erat Gallorum Clericorum ambitio, qui civitates Italiæ ſervorum habebant loco: nec animos ſibi conciliare hominum ulla cura fuerat, ſed arcibus muris que compeſcere. Super omnia tamen mentes Clericorum debilitavit & fregit Bononiæ defectio, quæ quidem urbs magnis Anglorum copiis tenebatur. Præerat autem copiis Johannes Augus. At enim cùm pro recuperatione Granaroli * opidi, quod per eos rebellaverat dies, copias eduxiſſet, Bononienſes jampridem ab octo viris ſolicitati, ſumtis per abſentiam copiarum animis, corripuerunt arma, ac ſe, ut cæteri, in libertatem vindicarunt. Et ſtatim, ut compoſitum fuerat, auxilia Florentini Populi Bononiæ affuerunt. Copiæ verò illæ Anglorum eductæ, ubi Bononienſis motum Populi audivêre, Bononiam reverti non auſæ, Faventiam ingreſſæ ſunt. Ea civitas in fide Legati Pontificisq; manebat. Ob id nec refragante Populo Augli recepti intra mœnia cùm eſſent, mirabili Ducis pravitate, omnia in cives fecerunt, quæ captis expugnatisq; urbibus ſolent fieri. Nam & rapinæ omnia propalàm expoſita, & viris aut pulſis, aut interfectis, mulieres ad libidinem reſervatæ, ſacraq; & profana miſerabiliter impieq; barbarorum immanitate polluta. Urbem deniq; ipſam, tandem omnibus nudatam, cùm mœnia ſolùm parietesque ſupereſſent ſceleratus Dux pecuniâ vendidit Principibus Ferrarienſium.

Peruſini arcem à Legato conſtructam obſident.

Peruſini libertatem ſuſcipiunt.

Gallorum clericorum ambitio intolerabilis.

Bononiæ defectio Clericorum mentes debilitat.

Granavioli leg. alii.

Faventia in fide Pontificis manet.

Ducis pravitas.

Dux Faventiam pecunia vendidit Principib. Ferrarienſium.

Dum hæc in Italiâ geruntur, Gregorius Pontifex Romanus auditâ Bononiæ defectione, quo ruentem Eccleſiæ ſtatum repararet, ſex millia equitum, & quatuor millia peditum Britonum, ferociſſimarum gentium per Galliam ſcripta, in Italiam miſit, cumque iis Legatum de latere, quem Gebennenſem appellabant. Ipſe autem Pontifex in Gallia reſidens cenſuras ac pœnas contra Florentinos promulgavit. Erant autem hæ permultæ atque horrendæ, itaque non contemnere placuit, maximè cùm optimâ ratione probari poſſet, culpam omnem in peſſimos illius miniſtros eſſe referendam. Miſſi igitur iſtâ de cauſâ ad Pontificem oratores duo, Alexander Antilla, & Donatus Barbadorius, viri ſcientiâ juris clari, & in agendo dicendoque inprimis efficaces. Hi cùm transmiſſis Alpibus circa flumen Rhodani ad Pontificem perveniſſent, tempusque dicendi illis datum eſſet, publico in auditorio concurſu maximo cujusque generis hominum, qui audiendi ſtudio convenerant, in hunc ferè modum locuti fuêre. Si tui, beatiſſime Pater, ſive Præfecti, ſive Legati, quos ad gubernandas civitates Italiæ miſiſti, gubernationem Populorum amabilem ac non Tyrannidem horrendã in ſervicés hominum fuiſſent meditati, nec tibi nunc accuſandi cauſa foret neque nobis excuſandi. Quippe res tranquillæ pacatæq; forent, nec ullius querimoniâ indigerent. Immò & gubernatores Populorum fidelitatem, & Populi ipſi gubernatorum moderationem debitis laudib. proſequerentur: Finitimi verò omni protenùs incuſatione carerent. Nunc autem, ut pareſt, querela multiplex variaq; inſurgit, quod gubernatores fidelium Populorum infidelitatem accuſant: Populi autem non ut fidelibus, nec ut ingenuis, ſed ut ſervis ac barbaris imperatum ſibi conqueruntur, ſuperbiâq; & avaritiâ, & libidinibus eorum neceſſariò ſe compulſos ajunt, tam miſeræ ſervitutis jugum excutere. Nos quoque devotiſſimi ab antiquo Eccleſiæ filii, quos iſti nunc quaſi fautores adjutoresq; defectionis criminantur,

Gebennenſis Legatus de latere.

Pontifex pœnas contra Florentinos promulgat.

Alexander Antilla & Donatus Barbadorius Oratores.

Rhodani flumen.

Oratio ad Pontificem.

Querela Florentinorum contra gubernatores Pontificis.

Pontificis gubernatores ſervitutis iugum in cervices Florentinas extendere voluerunt.

luce clariùs docere poſſumus, gubernatores illud idem nefarium ſervitutis jugum, quo cæteros miſerabiliter premebant Populos, tyrannico nimium conatu in cervices noſtras extendere voluiſse. Tu igitur, beatiſſime Pater, æquiſſimas tuæ ſanctitatis aures inclina, & non ut pars, ſed ut judex rectus & æquus cauſam fidelium tuorum de pontificali juſtitiæ ſolio recognoſce. Quo enim longiùs abes, ac minùs vel oculis inſpicere malefacta gubernatorum tuorum vel auribus percipere valuiſti, eò magis debet tua ſanctitas aures æquiſſimas nobis impartiri. Nos autem liberiùs de illis loquemur, quoniam certiſsimè credimus, contra voluntatem tuàm illa omnia proceſſiſſe. Cumque omnis legitima gubernatio gratiâ eorum qui gubernantur, inſtituta ſit, & pro eorum utilitate, non debet tuæ ſanctitati Populorum cauſa & juſtitia minùs commendata eſſe, quàm eorum, qui à te miſſi ſunt ad gubernandum. Atqui cogitare debebant gubernatores illi, ſe non ad Barbaros neque Saracenos; ſed ad ingenuos & Chriſtianos Populos gubernandos tranſmitti, *& quo Eccleſiæ nomen atque religio divinius ſonat, quoque alienius à Tyrannide armorúmque violentia eſſe debet, eò mitius & humanius Populos gubernare.* Hi autem præclari homines obliti qui eos mitterent, & ad quos mitterentur, ita demum ſe magnificos fore putârunt, ita demum vitia ſua exercere poſſe, ſi vim, & arma, & terrorem cum miſera gemendaque ſervitute fidelibus Populis inferrent. Quid enim, quæſumus tot arces per ſingulas civitates infinito penè ſumtu ab illis ædificatæ? Quid tot mercede conductorum militum phalanges ſingulis urbibus impoſitæ? Nónne hæc probant, tales fuiſſe gubernatores, ut conſcientiâ ſcelerum ſuorum de civium voluntate ſibi fuerit deſperandum, fundamentaq; ſtatus ſui collocaſſe non in juſtitia & benignitate, ſed in violentia miſeraq; tyrannide, quâ ſervos nobis parére cõpellimus. Hæc autem, beatiſſime Pater, à voluntate conſenſuq; tuo ſemper aliena putavimus & putamus. At enim ſuperbia illorum moresq; nefarii in gemitum primò, moxq; in deſperationem Populos adegerunt. Nec ullos infeſtiores per Italiam hoſtes habuit Eccleſia, quàm gubernatores ſuos. Ab his & contemtus hominum ſuperbiſſimi & intolerabiles rapinæ, & inhoneſtiſſimæ cupiditates, ne dicam libidines, extitêre. Hi Populos ad defectionem non verbis, ſed, quod deterius eſt, rebus hortati ſunt: hi ad inobedientiam compulerunt.

Defectio civitatum per Italiam gubernatoribus imputanda eſt.

Doles tot civitates per Italiam defeciſſe? gubernatoribus imputa, qui id machinati ſunt. Arma ſumta, libertatemq; proclamatam à Populis indignaris? Eisdem gubernatorib. aſſcribe, qui ſævo tyrannidis jugo in furorem & arma Populos adegerunt. Equi mehercle & elephanti, quibus non eſt intellectus, bonam vel malam gubernationem diſcernunt, atq; huic obediunt, illam non ferunt: nedum homines ratione præditos hæc non intelligere arbitremur. Nobis autem Eccleſiæ devotiſſimis ab antiquo filiis, qui perſecutiones ſtragesq; innumeras pro defenſione Romanorum Pontificum certantes ſubivimus, quid iſti gubernatores fecerint, attende.

Gubernatorum Pontificis acta.

Cum fame Populus noſter laboraret: habemus nãque civitatem populoſiſſimam, & quæ plurimum importato indigeat. Cum igitur ſuperiore anno fame laboraret Populus noſter, ac Bononiæ, cæterisq; Eccleſiæ urbibus permagna vis frumenti ſupereſſet; neq; precib. neq; obſecrationibus, neq; lacrimis pro infima plebe diffuſis impetrare à gubernatorib. valuimus, ut de ſuperabundantia ſua fameſcenti plebi noſtræ, vel in aliqua ſaltem particula, ſubvenirent; cùm eſſemus loco proximi, cùm publicè ſocii, privatim amici. Verùm hæc, quanquam dura ſint & inhumana, & charitatis expertia: tamen non ſunt magna, ſi ad ſequentia comparentur. Non contenti enim non ſubvenire poſtulantibus & indigentibus: verùm etiam noſtra ipſa pro futuri ſpe adimere malignitate mirabili gubernatores tui quæſiverunt. Nam cùm adveniſſet jam æſtas, & omnis ſpes in ſegetibus eſſet, quæ jam flaveſcere incipiebant, ſcientes illi difficultates extremas noſtro Populo adeſſe, nec aliud omninò refugium quàm in novis ſegetibus habere, repentè hi præclari gubernatores ſub ficto caſſationis velamento univerſum equitatum ſuum incredibili multitudine contra civitatẽ noſtrã miſère; ut extrà vaſtatis agris, ſpeq; frumenti ademtâ, intus verò fame pereuntes (quod unum reſtabat remedium) in eorum poteſtatem, id eſt, ſub eorum ſervitutem ac tyrannidem venire cogeremur. Quod niſi ſervaſſet nos primùm divina benignitas, deinde pecuniarum magnitudo (centum enim & triginta florenorum millia equitibus dedimus) proditionibus dolisque ſubacti in ſervitutem illorum miſerabiliter trahebamur. Nam

adverſus

adverſus tàm repentinam vim, tantasque copias improviſò & inopinatò ſupervenientes reſiſtendi armis facultas non erat. *Nec proderat ſervare mœnia, cùm intus neceſſarius victus deeſſet.* Hæ autem qualia ſunt, Pater optime? an non ſtupenda? an non deteſtanda? an non neſaria? Hac igitur fraude malignitateque depræhenſâ, periculumq; experti, ſi ſic poſt hac nos armavimus, ut iterum inferri nobis eadem pericula nequirent, utrum hoc eſt ſtatum Eccleſiæ ſubvertere, an ſtatũ noſtrũ à periculo vindicare? Et utrum nos, qui obviavimus, ac reſtitimus illato nobis periculo, turbationis cauſa ſumus exiſtimandi: an illi, qui periculũ inferendo nos muniri adverſus eorum violentiã coëgerunt? Quod ſi aliæ civitates, videntes nos armari, fiduciam aſſumſerunt illorum nefariis injuriis reſiſtendi, quis juſtus judex imputare nobis debet, cùm pro defenſione noſtra omnia fecerim⁹, nõ ꝑ alterius impugnatione?

Hæc pro nobis ipſis & juſta & legitima dixiſſe videmur, & beatitudo tua, ſi rectè judicare voluerit, debet eadẽ cõprobare. Sed quæ poſt hac ſuſpicio reſtet, liberè aperiemus. Auditum eſt enim à nobis, multa ſiniſtra per æmulos obtrectatoresq; tuæ beatitudinis aurib. inſtillata fuiſſe atq; diffuſa adverſus devotionẽ fidelitatemq; civitatis noſtræ. Itaq; neceſſarium videtur, quæ & qualis fuerit erga Eccleſiam Florentini Populi devotio, fidesque vice verſâ memorare.

Florentinum Populum, beatiſſime Pater, ſi antiquæ recitentur hiſtoriæ, ſemper

Florentinus Populus aſſertor præcipuus Romanæ eccleſiæ.

aſſertorem præcipuum Romanæ Eccleſiæ reperies extitiſſe. Ob hoc & indignationes Imperatorum graviſſimas, & perſecutiones innumeras pertuliſſe. Nullus contra Pontifices Romanos per Italiam ſurrexit, qui non & Florentinum Populum, ut fautorem aſſertoremq; illorum fuerit perſecutus. Nec rurſus ullo in loco bellatum eſt pro Eccleſiæ ſtatu, in quo Florentinus non affuerit in armis. Probat primi Federici perſecutio, qui cùm Romanam Eccleſiam crudeliter afflixiſſet, non minori ſævitiâ Florentiam afflixit, utpote Romanorum Pontificum ſingulariſſimam aſſertricẽ. Probat Herrici filii perſecutio identidem nobis illis de cauſis illata. Probat & alterius Federici, qui cùm Pontifices Romanos exterminaſſet, ſtatumque Eccleſiæ per Italiam evertiſſet; ita demum hoc ſtabile fore putavit, ſi Florentinos Eccleſiæ Romanæ ſtudio flagrantes è medio tolleret atq; opprimeret. Itaq; & carcere & tormẽtis & gladio & exterminatione civium, & omni crudelitatis impietatisq; genere in Florentinos deſævivit. Succeſſit ut in generis, ſic etiam in furoris hereditatem Manfredus, qui Siciliæ regnũ poſt Fridericũ obtinuit. Hic rurſus, ut Pontifices perſecutus eſt; ita nobis, utpote fideliſſimis eccleſiaſticarũ partium aſſertoribus, bellum intulit, victosq; apud Arbiã maximo prælio domo pepulit, extorresq; patriâ diſſipavit. Nec nos ante in patriã noſtram reſtituti ſumus, quàm Romanus tunc Pontifex in ſedem ſuam fuerit reſtitutus. Sed Mãfredus ipſe non impunè hæc egit. Nam cùm adverſus illius perſecutionẽ Carolus ex Gallia vocatus in Italiam veniſſet; in illa memorabili pugna apud Beneventum cõmiſſa Florentini tunc exules ſuo proprio agmine ſub [illegible] quod Pontifex Romanus eis tanquã devotiſſimis fideliſſimisq; donaverat, [illegible] Manfredum unà cum Carolo pro ſtatu Pontificum pugnavêre; victoq; & occiſo Manfredo finem perſecutioni glorioſiſſimum impoſuêre. Poſt hæc cùm hujus Manfredi nepos Conradinus Italiam cum exercitu ingreſſus Romam veniſſet, & perſecutionem contra Eccleſiam moliretur, in quo ille prælio victus & profligatus eſt; noſtræ quoque civitatis auxilia interfuerunt, ad perſecutorem Eccleſiæ opprimendum. Quid poſteris temporibus ac ferè noſtrâ ætate? Cùm Ludovicus Bavariæ Dux, correptis imperatoriis faſcibus, magno cum exercitu in Italiam veniſſet, ac Romam ingreſſus urbem teneret, ac falſum Pontificem Cardinalesque in ea creari feciſſet, in magna Chriſtianorum diviſione, quisquam ne magis in veri Pontificis, veræque Romanæ Sedis devotione perſtitit, quàm civitas noſtra? quæ & adverſus terrorem Ludovici armatam ſe obtulit, & adverſus ambitionem fraudemque religioſorum, qui novum aſſumtum, ut verum Pontificem prædicabant, inconcuſſâ fidelitate conſtantiſſimè repugnavit. Nec terror armorum, nec imminentis periculi magnitudo, nec exempla cæterarum civitatum, quæ falſo Pontifici adhærebant, Populum noſtrum à vera fidelitate potuerunt deflectere; quamvis & bellum & obſidio graviſſima à Ludovico ſimul & à Caſtrutio nobis immineret. Hæc & hujusmodi alia permulta cùm pro Eccleſia perpeſſus fuerit Populus noſter, cum devotionis fidelitatisq; ſtudio firmo & cõtinuato tam multa, tam gravia domi foris q; e, pace & bello, pro Eccleſiæ geſſerit, fecerit, pertulerit, an ob

hæc dignus tibi videtur idem Populus noſter, cui à tuis gubernatoribus & præfectis in extrema fame ſubventio frumentaria denegaretur? an dignus tibi videtur populus noſter, cui non ſolùm denegetur frumentum à Præfectis tuis; verùm etiam in hoc ipſo famis cruciatu equitatus Anglorũ repentè immitteretur, ad ſegetes agrorum, quod unicum reſtabat diffugium, pervaſtandas, ut per hæc ſubdere colla, ac miſeræ ſervitutis jugum ſuſcipere cogeremur? Hæc ſi te volente ac jubente (quod credere non poſſumus) facta ſunt, de Sedis Apoſtolicæ, de Eccleſiæ Romanæ, de Pōtificis ſummi ingratitudine & injuria conquæremur: Sin ipſi Præfecti præter & contra voluntatem tuam illa fecerunt, indignationem tuam ipſi promerentur, non Florentinus Populus, qui contra illorum nefarios conatus neceſſariò ſe armavit. Quocirca, Pater ſanctiſſime, tibi ab intimis ſupplicamus, ut ſereno tranquilloq; animo cauſam noſtram diſcernas: Iram verò & indignationem, ſi quam adverſus nos doloſę tibi linguæ infuderunt, deponas. Neque enim decet in cathedra Petri ſedentem ira vel odio commoveri. Pone tibi ante oculos infantes & pueros, & illam multitudinem civitatis noſtræ fame laborantem, quibus non denegata modò eſt frumentaria ſubventio à Præfectis tuis, cùm ſuppliciter rogarentur; verùm inſuper exercitus immiſſus ad unicam ſpem ſalutis crudeliter auferendam. Subveniat quoque tibi miſerarum civitatum, quæ ſub illorum gubernatione fuerunt, quibus veluti ſervis ac vilibus mancipiis imperatum eſt à gubernatoribus, quos illis præfeciſti. Moveat denique lacrimas tuas Faventia, civitas fidelis, & innocens, ab equitatu Præfectorum tuorum hoſtilem in modum direpta. O miſerandam calamitatem! O ſceleratum facinus! O deteſtandam crudelitatem! Quis non fleat aſpiciens necatos crudeliter cives? virgines ac matresfamiliâs ad ſtuprum libidinemque militum reſervatas? infantium ac lactentium turbas, mulieresque ætate provectas longis agminibus mendicaturas, de propria urbe laribusque depulſas? Hæc ſunt opera Præfectorum tuorum, hæc illorum ſanctitas ac religio; quorum facta ſi tu non damnas, ſed eos perſequeris, qui adverſus talia reſtiterunt, vide quid Deus ipſe de his judicaturus ſit, & quæ de hujusmodi rebus opinio in communi hominum judicio relinquatur. Legati quidē cùm hæc dixiſſent finem fecerunt. Multitudo autem quæ ad audiendum convenerat, & coronâ factâ in auditorio circumſtabat, vehementer commoveri oratione Legatorum viſa eſt. Fluxeruntque lacrimæ plerisque eorum, qui aderant, nec dubium erat, ſi ſuffragio audientium res commiſſa fuiſſet, quin Florentini ſententiis omnium abſolverentur, ita ſuadenter Legati dixiſſe viſi fuerant, atque ita inflexerat animos oratio.

Pontificis Reſponſio.

Pontifex verò hæc animadvertens, quanquam ſententia in tempus aliud differebatur: tamen nonnihil reſpondendum in præſentia ratus, quo animos eorum, qui audiverant, confirmaret, in hunc ferè modum verba feciſſe dicitur: Andivimus, Florentini, defenſionem veſtram adverſus crimina per proceſſus noſtros vobis objecta, quòque accuratior veſtra fuit oratio, eò magis patet vos omnia collegiſſe, quæ vel in causâ vel extra cauſam dici pro excuſatione poſſunt. Et nos quidem, uti ſuadetis, judices erimus recti, nec irâ vel indignatione in judicando movebimur, neque calumniis credemus, ſed ſolummodò veritati. Vos autem vice versâ hortamur, ut commiſerationes iſtas & epilogos, ac cætera hujusmodi machinamenta, & artes, quæ ad decipiendum judicem pertinent, miſſa faciatis, & unà ſimul nobiſcum veritatem intueamini. Quæro igitur à vobis, cùm Populus veſter fuerit impulſor, adjutor & auctor civitatibus Eccleſiæ rebellandi (nam id quidem patet, & negari non poteſt, quod eſt omnibus manifeſtum) quâ tandem ratione factum eſt à vobis defendere aggrediamini? Nempè illâ ratione, quod pro tutela veſtra dicitis id feciſſe: Sic enim quodammodò dictum fuit à vobis, ideò armaſſe vos, ne pericula vobis poſſent inferri. Hæc autem verba fronte primâ videntur bona & recta (*cuique enim licet adverſus illatam vim ſe ipſum tueri*) *veruntamen ſi arma capiat quis, non ut vim præſentem repellat; ſed ut occidat eum, de quo ſuſpicatur & metuit, jam homicida eſt, manifeſtéque damnandus.* Vos Florentini Tifernum, vos Perusiam, vos Bononiam copias veſtras miſiſtis ad arces Eccleſiæ Romanæ expugnandas, ad gubernatores illarum dejiciendos & opprimendos. Hoc autem (pace veſtrâ dictum ſit) nequaquàm eſt vim repellere, ſed inferre: Nec à ſua domo propulſare violentiam; ſed alienæ domui violentiam facere. Tale igitur factum eſt veſtrum, quale

illius,

illius, qui hominem occidit, de quo ſuſpicatur, ne ſibi aliquando poſſit nocere: quod eſſe damnandum, & contra leges manifeſtiſsimum eſt. Quanquam quid nos de ſuſpicione vel metu loquimur,cùm appareat vos non in metu vel ſuſpicione: ſed odio magis illa feciſſe? Omittamus enim Bononiam, Peruſiam, Tifernum, quas ad rebellandum compuliſtis,quarum arces expugnaſtis. Fuerit in propinquitate illarum aliqua vobis ſuſpicio vel metus: At Aſculum in Picentibus & aliæ illorum locorum urbes,tàm procul à vobis, tàm longinquæ, tàm diſtantes, nonné probant manifeſtè, vos non ſuſpicione vel metu, ſed odio ſtatus Eccleſiaſtici ſurrexiſſe ad illas urbes auferendas? nec minuere vires Eccleſiæ per Italiam, ſed evertere penitùs ac delere funditùs voluiſſe. Et poſtea vos aſſeritis Romanæ Eccleſiæ filios, nec intelligitis contra vos dicere: *quanto gravius eſt filium parenti manus afferre, quàm extraneum?* Abutimini ad omnia gubernatorum invidiâ, & arces per ſingulas urbes ab eis factas vituperatis quaſi tyrannicum. Denique culpam omnem defectionis in gubernatores ipſos refertis. Primum igitur quantum ad arces pertinet, nec eas nos laudaremus, ſi Populi ſemper ratione uterentur: *Sed ut equi otio & affluentiâ cibi intractabiles ſiunt & calcitroſi: ita Populi nimiâ interdum quiete & indulgentiâ inſoleſcunt, & arcibus indigent, quibus compeſcantur.* Gubernationem legitimam omnem pro eorum, qui reguntur, Populorum utilitate inſtitutam eſſe fatemur, talemque noſtram eſſe dicimus. Neque enim ſumus Tyranni, nec eſſe volumus. Arces tamen ad Populorum ſalutem utilitatemque pertinere credimus; ut ſe contineant, ut acquieſcant, ut leves audaceſque homines, quibus plenæ ſunt urbes, contra bonorum voluntatem res novas ſuſcitare non audeant. Nam quod ad culpam gubernatorum defectiones refertis, ſatis conſtat nobis nullum antè Populum defeciſſe, quàm à vobis ſuadendo & pollicendo fuerit ad defectionem impulſus, ut in vobis cauſa ſit, non in gubernatoribus noſtris. Ad extremum calamitatem Faventinorum miſerabiliter deploraſtis. Quaſi verò calamitas illa non orta ſit ex Bononiæ rebellione! Nunquam enim Angli Faventiam invaſiſſent, ſi Bononia in fide permanſiſſet. Itaque qui rebellandi Bononienſibus cauſa fuerunt, iidem ipſi miſerabilis Faventinorum excidii fuerunt cauſa. Et noſtrum eſt de ea calamitate, deque cæteris malis contra vos conqueri. Hæc reſpondiſſe breviter placuit ad orationem veſtram, non affirmantes ſed diſceptantes, juſtitiam tandem facturi in ſententia ferenda.

Secundum has orationes mora quædam aliquot dierum & intercapedo fuit, variæq; per curiam opiniones voluntateſq;. Galli ſiquidem omnes contra Florentinorum cauſam plerumq; ſentiebant: Italici verò generis cuncti pertinaciſsimum favorem Florentinis impertiebantur. Demùm excuſationibus defenſionibuſque rejectis, ſententiâ Pontificis Florentini damnantur, & interdicto civitas ſubjicitur univerſa: in ſingulorum quoque bona, ubicunque reperirentur, jus aſperrimè conſtituitur. Aderant oratores Florentini Populi cùm ſententia ferebatur, quo in loco multa facundè ac libero animo dicta ab illis fuiſſe conſtat, & illud inprimis, quod ad effigiem Dei converſus Barbadorius (is enim majori ſpiritu nitebatur) magnâ voce, ita ut Pontifex exaudiret, Deus! inquit, nos Legati, Florentini Populi nomine, ab hac ſententia vicarii tui iniquè lata, ad te tuamque æquitatem appellamus. Tu, qui falli non potes, nec irâ inflecteris, nec ſervitutem Populorum, ſed libertatem amas, & Tyrannos libidineſque odiſti, Florentino Populo libertatem ſuam defendenti ſubvenies, ac propitius protectorque aderis. Et res quidem curiæ ita transigebatur.

Florentini ſententia Pontificis damnantur.

Barbadorii appellatio ad effigiem Dei.

Britones autem, quos in Italiam miſſos à Pontifice diximus, ſuperatis tandem Alpibus per Aſtenſem & Alexandrinum, & Dertonenſem agrũ profecti, dimenſâ citeriori Galliâ, circiter maturationem ſegetum in fines Bononienſium pervenêre.

Britones.

Florentini verò, quò ab eorum impetu Bononia defenderetur, copias omnes ſuas Bononienſibus transmiſerunt, & Apennini aditus, quò illis in agrum Florentinum veniendi facultas deeſſet, cuſtodiri fecerunt.

Erat cum Britonib. Gebennenſis Legatus, de quo ſupra mentionem fecimus. Is ergò fictâ manſuetudine fretus, nec vaſtari agrum, neque cætera permulta, quæ belli natura fert, permittebat fieri, & in urbem miſerat, qui præteritorum omnium veniam impunitatemq; offerrent. Quâ quidem pollicitatione nonnullos Bononienſium in ſententiam traxerat.

Agitatio igitur occulta ad proditionem tendebat, quâ unâ ſpe Gebennenſis per agrum Bononienſem ſæpius motis caſtris, diutiùs in his locis commoratus eſt, tentans, ſi qua poſſet, copias, quæ intus erant, ad exeundum pellicere. Intra urbem copiis præerat Rodolphus Varanius Camerinenſis, vir ſagaci ingenio, ac bellorum ſciens, qui moram hoſtium cernens, nihil aliud eos, quàm proditionem expectare conjecturâ ſuſpicatus, exire copias nusquàm permittebat. Unam duntaxat meditabatur urbis cuſtodiam, putans, id quod erat, niſi eâ potirentur urbe, omnem impetum hoſtibus brevi eſſe caſurum, fertur que ejus vox & prudens & urbana. Nam cùm hoſtes ipſum allicere fruſtra conati, tandem percontarentur, quid intus maneret cum ſuis copiis, quid non exiret adverſus, ac pugnam capeſſeret? reſponderi juſsit: ideò ſe non exire, ne illi intrarent. Nec multò pòſt agitata proditio, quoniam per hujus diligentiam aſſiduamque cuſtodiam effectum habere nequibat, quaſi longitudine fatigata ad lucem devenit, captique proditores ac ſupplicio affecti irritam expectationem Legato fecerunt. Stantibus ad Bononiam copiis, duo Britonum equites fide ſuſceptâ Bononiam ingreſſi, probra quædam militariter contra Italos locuti, quoscunque noſtros in ſingulare certamen provocabant. Adverſus eorum intolerabilem jactâtiam, cùm alii ſilerent, duo primarii juvenes ſeſe obtulerunt, Betus Biffolus Florentinus, & Guido Aſcianenſis. Hi non minori verborum acerbitate contra Britones invecti cùm minabundi ſe ad pugnam offerrent, datâ acceptâque duelli fide, conſtitutâque ad pugnam die inſignibus equis armisque in certamen venerunt. Locus illis extra urbem datus propè hoſtium caſtra, Gebēnenſi Legato ſecuritatem pollicente. Ibi quatuor pugiles magnis Italorū Gallorumq; votis ſinguli adverſus ſingulos congreſsi pugnavêre. Pugna eorū fuit equeſtris, effuſo curſu, infeſtis cuſpidibus, ſe petentiū. Quod cùm ſæpiùs egregiis animis periteq; feciſſent, tandem Biffoli virtus prima emicuit, transfixumq; haſta Gallū ad terrā proſtravit. Ipſe verò ex equo proſiliens, cùm jacentem hoſtem jugulare pergeret, accurrens Gebennenſis parcere illius vitæ, captivumq; ſervare precabatur. Id cùm audiret Biffolus, interrogavit coram omnibus, num ſe victorem, ac illius vitæ necisq; dominū eſſe conſtaret. Cùm id affirmaretur, contentus eâ confeſsione, faciliter ac benignè Gebennenſi illum donavit. Reſtabat altera pugna & ipſa inſignis omniq; nixu agitata. Verùm ejus quoq; is exitus fuit, dū ſe infeſtiùs petunt, ambo uno eodemq; ſimul tēpore mutuis cuſpidib. trāsfixi corruerūt. Sed Italus primus ſurrexit, jacentēq; adhuc Gallū ſemianimū captivū habuit. Donati victores egregiè magna cum laude Bononiā rediêre.

Rodolphus Varanius Camerinenſis copiis Bononienſibus præeſt.

Rodolphi vox prudens & urbana.

Proditio agitata ad lucem devenit.

Petrus Biffolus Florentinus.

Guido Aſcianenſis.

Certamen inter duos Britonum & Bononienſium.

Biffoli virtus emicat.

Per idem tempus apud Aretinos detecta conjuratio graviori motu civitatem concuſſit. Saconis enim filii cum amicis paternis ſuæ factionis conſtituerant redire in urbem, ac dominatum arripere. Erant tunc Aretini in Florentinorum ſocietate, itaque ſpes omnis ac fiducia conjuratorum de inimicis Florentini Populi ſumebatur. Nec deerant copiæ vel Britonum vel Anglorum, qui opem in re conficienda afferrent. Verùm ea conjuratio patefacta creditur ab ipſorum neceſſariis, qui ſive invidiâ, ſive indignatione, quòd aſciti non eſſent; cùm aliunde reſciviſſent, totam rem indicavêre. Ob eam capti quidam conjuratorum ſupplicio afficiuntur & fugati reliqui, Gibellinæque factionis hominibus arma penitùs honoresq; Reip. ademti. Bellum quoq; ob eandem rem adverſus Saconis filios impigrè ſumtum.

Conjuratio apud Aretinos civitatem concutit.

Conjuratores capti, ſupplicio afficiuntur.

Per finem ejus æſtatis Britones fruſtra Bononienſi in agro commorati tandem abeuntes Ceſenam petiêre, Ducebant verò eos cæteriq; illorum Duces & Gebennenſis Legatus. Ceſenates in poteſtate Pontificis cōtinuò permanſerant, & venienti Gebennenſi Britonibusq; portas liberè aperuerant. Stantibus igitur in urbe copiis, maleficia per noctes patrari cœperunt; vexari etiam interdiu cives ac injuriis affici. Quibus in reb. cùm nil valerent querelæ apud Legatum factæ, & quotidiè magis delicta augerentur, tandem ſuperante patientiam magnitudine injuriarum, in furorem Ceſenates vertuntur, raptisque per iram armis Britones aggreſsi, ſupra octingentos eorum interfecerunt: Reliquos verò omnes extra urbem pepulerunt. Arcem in ea urbe munitiſsimam tenebat Gebennenſis, qui veritus, ne civitas ad hoſtes deficeret, indignationem diſsimulabat, nihilq; ſiniſtrum de Ceſenatum facto loquebatur, ſed eos multa perpeſsos indignè, meritò ſimul neceſſarioq; ajebat arma corripuiſſe: Verùm ea deponere tandem, & ad ſua redire multitudinē ſuadebat. His verbis confiſi Ceſenates cùm arma depoſuiſsent, accitis propè Anglorum copiis & cum,

Ceſenates in furorem vertuntur.

& enim Britonibus conjunctis per ipſam arcem contra Populum inermem deceptumque immiſit. Britones verò irati cædem ſuorum ulciſci properantes, neque ætati neque ſexui pepercerunt, miſeram & innocnam multitudinem crudeliſſimè trucidantes. Numerus interemtorum fuit circiter tria millia hominum, urbsque tota hoſtilem in modum direpta. Nec dubium fuit, quin indignatio atque crudelitas Gallorum contra Populos Italiæ concepta, quaſi facultatem nacta in hac una urbe exprimeretur, idem factura in cæteris, ſi poteſtas affuiſſet.

Gebennenſis copias contra Populum deceptũ immittit.

Eodem anno apud Aſculum in Picentibus frequenter pugnatum eſt. Vindicaverat jamptidem ea quoq; ſe civitas in libertatem. Sed arci præerat Gometius quidam Hiſpanus. Is pertinaciſſimè illam defendebat, & à Johanna Regina Siciliæ bis auxiliares copiæ magno conatu eum liberaturæ venerunt. Erat Aſcoli Florentinorum ſociorumq; non contemnenda manus, quæ obviam profecta prælio commiſſo Reginæ copias profligavit. Quare Gometius cùm aliam ſalutis ſpem nullam intueretur; noctu clàm egreſſus arce, cum paucis comitibus ad Gebennenſem pervenit, & auxilia rogavit, ſuſcepitq;. Sed dum reverteretur, ac jam propè adeſſet, invaſus ſubitò ab hoſtibus, ac dãna gravia perpeſſus copias amiſit. Ipſeq; deſtitutus omni ſpe tãdem paciſcitur, ut receptâ uxore & filiis, quos in arce reliquerat, cæteris incolumibus abire permiſſis, arcem dederet. Per hunc modum longo tandem labori finis impoſitus, & arx multis obſeſſa menſibus demum recepta eſt, & ad ſolum everſa.

Aſculum.
Gometius præfectus arcis.
Gometius arce egreditur.
Arx recipitur & ad ſolum evertitur.

Eodem anno Gregorius Pontifex Romanus in Italiam redire conſtituit, putans multum profuturum, ſi ipſe præſens autoritate ſuâ rebus gerendis adeſſet. Habere ſe copiarum ſatis arbitrabatur Anglorum Britonumque, amicos quoque Eccleſiæ per Italiam ſupereſſe, quos omnes augere excitareque ſuo adventu cupiebat. Hac igitur ratione ductus, & indignatione ſaucius per autumni tempus ex Gallia movens navibus Italiam petere contendit. Ejus navigatio difficilis fuit, ſæpiusque diſſipata claſſis, ut Genuæ & Liburni & [illegible]cum ea loca diutiùs retineretur. Ad Cornetum finis navigandi factus. Inde Romam pedeſtri itinere citciter Idus Januarii pervenit, & ut faciem quandam bonæ voluntatis oſtenderet, ultrò poſtulavit oratores de pace ad ſe mitti. Iverunt igitur ad eum Florentinorum Legati, qui, licet gratâ fronte ſuſcepti à Pontifice fuerint, tamen in re tractanda nihilo molliorem illius animum repererunt. Itaque menſem ferè apud illum commorati oratores, cùm poſtulata Pontificis excedere modum viderentur, Florentiam vacui revertuntur. In conſilio autem civium cùm & poſtulata & reſponſa, & cuncta cum Pontifice agitata ſigillatim explicuiſſent, animusque Pontificis durior * appareret; contrahendas majorem in modum vires, ac valentiùs incumbendum providendumque ſtatuerunt. Neque enim parvum exiſtimabatur momentum Pontificis in Italiam acceſſio; ejusque autoritas in rebus atque præſentia. His rationibus inducti per Bernabovem Mediolanenſem deditâ ſecretò o[illegible]â, Anglorum multitudo, quæ apud Pontificem ſtipendio militabar, relicto Pontifice ad Florentinos tranſivit. Hoc factum eſt ſtatim ab initio anni inſequentis: quæ quidem res Pontificis amicorumque ejus plurimum fregit animos.

Pontifex poſtulat oratores de Pace ad ſe mitti.
** M S. Pal. diverſitic.*
Anglorum multitudo relicto Pontifice ad Florentinos tranſit.

Per idem tempus octoviris, qui ad curam belli autoritate publicâ delecti fuerant, prorogatum imperium eſt, ad menſes ſex. Id quia ſæpius factum erat (nam iidem viri ab initio belli ad illud usque tempus continuaverant) magnam illis apud multos civium conflârat invidiam. Et carpebantur jam eorum acta, & factionibus oppugnabantur. Quæ cùm audiſſet Pontifex, ad augendam octo virorum invidiam oratores ſuos Florentiam miſit. Literæ Pontificis non ad Magiſtratum, uti conſueverat: ſed ad Populum ſcribebantur: ipſique oratores non alibi, quàm in concione Populi mandata promere velle affirmabant Data illis concio eſt, quanquam non ignorabatur Pontificis factum, miſſionemq;, illam oratorum non ad pacem; ſed ad ſeditionem diſcordiamq; civium ſpectare. Verùm in civitate populari audientiã Populi flagitantibus denegare, vix tolerandũ videbatur. Lectæ igitur ad Populũ literæ, ac ſubinde oratores auditi. Senſus idem orationis literarumq; fuit: culpam à Populo levare, ac in gubernatores Reip. transferre. Itaque corripi eos emendatique jubebat. Ea multi lætis auribus perceperunt propter octo virorum malevolentiam: At enim multitudo Populi, quæ in invidia illorum honoris nõ tangebatur: ſed facta magnifica induſtriamq; probabat, non ſatis æquo animo ver-

Octoviris prorogatur imperium ad menſes ſex.
Pontificis literæ ad Populum Florentinum.
Senſus orationis & literarum Pontificis.

Oratorum locutio ad populum rem deteriorem potius quàm meliorem efficit. Pontificis autoritas contemnitur.

ba oratorum audivit. Ita fruſtra locuti ad Populum deteriorem potiùs rem, quam meliorem effecêre. Quare haud multò poſt contemtâ Pontificis autoritate interdicti obſervatio ſublata eſt, ac celebrare per urbem agrumque cunctis in templis Sacerdotes juſſi, octo virisque in annum eſt imperium prorogatum. Hæc omnia contumaciter facta mentem Pontificis percuſsêre, ut jam quaſi domitâ inſolentiâ ſentiret in poteſtate voluntateque exhibentium reverentiam conſiſtere, gratuitoque illam præſtari.

Iohannes Aretinorum Præſul Remp. invadere conatur.

Per hæc ipſa tempora Johannes Aretinorum Præſul remp. invadere conatus eſt. Hujus rei motus à Gregorio Pontifice Romano naſcebatur, affectante annitenteque Pontifice civitatem illam à Florentinorum ſocietate disjungere. Adverſus igitur hunc motum cives primò pavidi, ignorantesque convenêre: mox intellecto periculo cùm arma corripuiſſent, factio Præſulis ſuperata fractaque reſedit. Ipſe verò Præſul Aretio pulſus eſt, ædesque illius crematæ, & de quibusdam propinquis agnatisque ejus ſupplicium ſumtum. Eodem anno Rodolphus Varanius Camerinenſis, qui Florentini Dux exercitus eſſe conſueverat, ad hoſtes defecit. Nam cùm Fabrianum intraſſet, cives opidani ad libertatem conſpirantes Florentinorum ſociorumque auxilia convocarent, ipſe cupiditate opportunitateq; finitimi opidi allectus, in poteſtate ſuâ illud retinuit, nec flagitantibus jubentibusque octoviris dimittere Fabrianum voluerat. Hinc indignatio coorta transeundi ad hoſtes cauſa fuit. Ejus tranſitio, quia ſecretorum conſcius putabatur, vehementer grata fuit Gregorio, & honore Ducatuque gentium illum adauxit, traditis ſibi Britonum equitum mille quingentis: quibus ille fretus, finitimos Camerino Fabrianoque Populos vexare infeſtiùs cœpit. Contrà verò octo viri ſic indignè tulerunt illius fraudem; ut ad portas plateasque urbis effigiem ejus cum dedecoroſis vitiorum notis depingi fecerint. Nec multò pòſt copiis contra illum miſſis Fabrianum ipſum, cujus gratiâ tranſitionem fecerat, ſibi ademerunt.

Præſul Aretio pellitur. Rodolfus Varanius Camerinenſis Florentini exercitus Dux ad hoſtes deficit.

Cum Pontifice de pace agi incipitur.

Per extremum ejus anni de pace cum Pontifice agi cœptum eſt, autore ac ſuaſore Bernabove Mediolanenſi. Inclinabat autem Pontificis animum ad pacem labaſcens rerum Italicarum ſpes, minimè reſpondens expectationi ſucceſſus ſui adventus. Rurſus verò Florentinos inflectebat longitudo belli, & quod Bononienſes, gratiâ quorum magna ex parte contentiones tantæ ac tàm graves erant ſuſceptæ, paulò antè cum Pontifice redierant in gratiam, & arma adverſus illum penitùs depoſuerant. Ita volentibus cunctis Serazanæ conventus indicitur, oratoresque eò miſſi rem agitare cœperunt, præſente Bernabove ac diſceptante.

Serazanæ conventus indicitur.

Pontificis mors. Anania. ANNO 1378.

Dum hæc eo in loco agitarentur, ſpesq; foret optima rem confectum iri, ſupervenit Pontificis inopina mors, per id maximè tempus, in quo pacis concluſio expectabatur. Gregorius enim Pontifex Romanus cùm ex Anania urbe Romam rediiſſet circiter Calendas Aprilis, octavo & ſeptuageſimo anno ſupra mille trecentos intolerabili veſicæ dolore interiit. Ea res nunciata conventum Serazanæ diſſolvit, deficiente jam autore, ac properantibus cunctis ſibi ipſis in rebus novis conſulere.

Poſt hujus Pontificis obitũ graviores caſus in Eccleſia ſubſecuti cuncta majorem in modũ turbavêre, ut de pace jã cum Florentinis laciẽda, aut de reparando per Italiam Eccleſiæ ſtatu minimè omniũ cogitaretur. Sumſit verò initiũ turbatio ex hujusmodi cauſa: Gregorio Pontifice Romæ defuncto, ſolẽnibusq; in funere peractis, cùm ingreſſi conclave Patres de ſucceſſore deligẽdo cogitarent, inſurgẽs Romana Plebs nullius certi hominis impulſu, ſed ſuopte ingenio permota Romanũ Põtificẽ ex civibus Romanis vel ſaltẽ ex Italicis creari debere clamitabat. Satis enim ſuperq; Gallos regnaſſe in Romana ſede. Jã ad cives Romanos Italosq; redire honorẽ illũ debere. Hæc dicta poſtulataq; cùm nõ inconſona rationi viderẽtur, augetur tumultus, creſcẽsq; multitudo palatia ad usque cõclaveq; pervenit. Patres conterriti, quoniã Romanus vel Italus eligi poſtulabatur, Bartholomæũ Archiepiſcopũ Barenſẽ, natione Italũ, patriâ Neapolitanũ elegerunt. Hunc & poſteris dieb⁹ ceſſante jã metu venerari ut Pontificem perſeverârunt. Sed fuit in illo homine natura inquieta & dura, & tunc præter ſpem ad tantæ dignitatis faſtigium ſublevatus intolerabilis videbatur. Nulla Patribus gratia, quod ſe potiſſimum delegiſſent, nulla humanitas, nulla conciliatio animorum. Contumax & minabundus & aſper malebat videri, & metui potiùs, quàm diligi. Ea perverſitas Patres coëgit metu & indignatione alorſum reſpicere. Itaq; clam inter ſe de electione conqueſti, cùm & metũ & violentiã Populi Romani accuſarent; abire à novo Pontifice omnes fermè cœpe-

Plebs Romana Pontificem ex civibus Romanis creari debere clamitat. Tumultus Romæ.

Patres Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem eligunt.

Pontifex novus potius metui quam diligi maluit.

runt, & in propinqua ſeſe opida recipere. Mox hortantibus alios aliis apud Fundos Campaniæ urbem conventu facto, quaſi prima electio vitioſa fuiſſet, alterum Pontificem elegerunt. Fuit autem Fundis electus Pontifex Gebennenſis ille, qui Legatus in Italiam cum Britonibus tranſierat. Hinc jam diviſio in Eccleſia, duoque ſimul capita fuêre. Nominati ſunt autem, qui Romæ creatus eſt Urbanus: qui verò Fundis electus fuerat, Clemens. Diviſique Chriſtianorum Populi huic vel illi adhæſerunt. Hæc diviſio quadraginta fermè annos in eccleſia duravit, usque ad Martinum quintum, qui Conſtantienſi concilio Pontifex factus eſt, ſublatâ penitus diviſione. Sed hæc poſtea: Nos ad noſtra revertamur tempora.

Fundi urbs Campaniæ.
Alter Pontifex quaſi prima electio fuerit vitioſa, eligitur.
Pontifex Gebennenſis eligitur.
Duo ſimul capita ſunt in Eccleſia.
Vrbanus.
Clemens.
Diviſio in Eccleſia 40. annos duravit.
Martinus quintus Pontifex.

Mortuo Gregorio Pontifice turbatio eccleſiæ fecit, ut de pace vel bello cum Florentinis non ampliùs cogitaretur. Itaque depoſita hinc inde ſunt arma, tacito quodam conſenſu, non expreſsâ pactione. In diviſione autem eccleſiæ Florentini Urbano adhæſerunt.

Florentini Vrbano adhærent.

HISTORIARUM FLORENTINARUM

LIBER NONUS.

Externam pacem inteſtinæ confeſtim diſcordiæ ſubſecutæ quàntum nunquàm antea civitatem turbârunt. Fluxit verò earum origo ex hujuscemodi cauſa. Octo viros, qui publicâ autoritate ad curam belli ab initio creati fuerant, ſive ſorte, ſive conſilio ex eo genere civium creatos eſſe contigit, qui ad plebem magis inclinare videbantur. Itaque neque primo ſtatim tempore ſatis grata quibusdam optimatibus eorum creatio fuerat. Et auxit mox invidiam continuatio Magiſtratus pluries in eisdem hominibus prorogati. Attulerat verò carpendi improbandique materiam Pontificis offenſio, & civitati moleſta ſacrorum interdictio, vexatioque & direptio Florentinorum civium multis in locis per orbem terrarum facta, ut multiplicatis hominum querelis non deeſſent jam, qui octo viros eorumque res geſtas, totamque hujus belli adminiſtrationem palàm deteſtarentur. At enim plebs & altera pars civium octo viros fovebat, eorumque res geſtas incredibili favore proſequebatur. Optimates ergò, quo potentiam octo virorum fautoresque eorum deprimerent, antiquam civitatis controverſiam renovârunt, & per Duces optimarum partium quosdam, quaſi majores ſui diverſarum partium fuiſſent, ab honoribus Reip. removere cœperunt. Habebant verò ad hoc ipſum conjunctam nobilitatis voluntatem & operam, qui cum inter Duces optimarum partium eſſent, promtiſſimè ad notandum deponendumque populares homines concurrebant, nec modus aut modeſtia erat in rebus, merentes pariter immerentesque pervadebantur. Qui notati fuiſſent, Admonitos vulgò nuncupabant, quaſi moniti eſſent, ne Magiſtratum inirent, ut pote declarati inhabiles ad Reip. honores ſuſcipiendos. Hæc igitur monitoria lex durante bello immodicè exercitata, per multosque vagata cives, incredibile, quantum civitatem quaſsârat, & vacillantem reddiderat Reip. formam. Sopito deinde per obitum Pontificis bello, Silveſter Medix, qui tum vexillifer juſtitiæ fuit, emendare prolapſam rem, ac frænum monitoriæ legi imponere conſtituit. Ad id verò cùm legem aliam promulgaſſet, nec deforent, qui refragaturi viderentur, plebs ac multitudo urbana, jampridem infenſa, & tunc ob hoc ipſum erecta, populari furore ad ædes illorum, qui legem monitoriam exercuerant, decurrit, injectisque flammis eas deflagravit, viros quoque deletura, ſi eos nacta fuiſſet. Sed illi metu cedentes partim ſeſe abdiderant intra urbem, partim extra profugerant. Ita lex perlata eſt, & admonendi notandique cives finis impoſitus.

Diſcordia in civitate.
Optimates octo virorum potentiam deprimere conantur.
Admoniti nuncupantur qui notati ſunt.
Monitoria lex.
Silveſter Medix vexillifer inſtituit.
Admonendi notandique cives finis imponitur.

Poſt

Poſthæc relegati quidã ſunt ex eo ipſo genere hominum, quos multitudo dejecerat, nonnulli etiam in exilium acti: Aliis verò inter grandiores familias reductis administratio Reip. in perpetuum eſt interdicta. Octoginta deinde viri creati, qui eorum, qui admoniti fuiſſent, querimonias audirent, & quod perperam factum eſſet, emendarent. Per hunc modum ſub his Prioribus ſtatus Reip. mutationem ſuſcepit. His verò Priores alii ſucceſsére, qui cùm aliquot dies in Magiſtratu fuiſſent, & conſtituta proſequerentur; multitudo urbana, egentes plæriq; ac ex minima plebe homines, jampridem per diſcordias majorum civium ſublevati conventus agere nocturnos, ac de vendicandis ſibi honoribus tractare cœperunt. Deniq; collegium ſibi in civitate, & locũ in Prioratu petere conſtituerant. Id cùm reſcitum eſſet, Priores quatuor ex eo numero corripi juſſerunt, quò veritas agitatorum exprimeretur, pœnasque darent: quod privatos de Rep. innovanda tractatus habuiſſent. At enim plebs & multitudo conſurgens ſtatim ad ædes Priorum globo facto, captivos reddi minabunda poſtulavit, & quia id tardabatur, ædes Luiſii Guicciardini (is enim tunc vexillifer juſtitiæ erat) incendit. Inde per urbem quaſi victrix diſcurrens, domos locupletum pluribus locis cremavit. Magiſtrarum verò quendam ad compeſcendos eorum motus paulò antè creatum, in publicam aream tractum, in oculis Priorum laqueo ſuſpendit, laceravitque.

Octoginta viri creantur, qui querimonias audiant.

Luiſius Guicciardinus Vexillifer juſtitiæ.

Plebs magiſtratum quendam in oculis Priorum laqueo ſuſpendit.

Poſterâ deinde die eadem multitudo augeſcens, ædes Poteſtatis expugnavit diripuitque. Ab eo mox furore ad ædes Priorum reverſa, Priores ipſos Magiſtratu ſe abdicare compulit, & in privatam formam redactos exautoratosque domum remiſit. Ipſa verò multitudo palatium victrix ingreſſa, vexilliferum juſtitiæ ſibi creavit Michaelem Landi, hominem ex minimâ plebe. Sacculos verò ſuffragiorum, in quibus nomina erant incluſa, omnes conflagravit.

Aedes Poteſtatis expugnantur.

Multitudo ſibi vexilliferum juſtitiæ creat.

Michael Landi

Eâdemque ipsâ die concio Populi advocata, multa noviter conſtituit circa Reip. gubernationem, & illud inprimis, ut vexillifer juſtitiæ per omne tempus non ex alio genere hominũ, quàm ex infima plebe ſumeretur. Collegia quoq; nova in civitate conſtituit, & Michaeli vexillifero, unà cũ ſyndicis collegiorũ Priores ſibi deligendi eſt poteſtas permiſſa. Hi Priores elegerunt mixtos ex omni colluvione civiũ: plebs tamẽ & multitudo cũctis dominabatur. Sortitiones inde refectæ ſatis diligẽter & accuratè. His reficiẽdis affuêre Priores: vexillifer juſtitiæ, vexilliferi ſocietatũ Populi, octo viri, qui belli curã habuerãt, Syndici artiũ ſingularũ. His additi nominatim Silveſter Medix, & Benedictus Alberti, ambo ad equeſtrẽ dignitatẽ aſſumpti. Per hos ſortitiones refectæ. Multi præterea cives ex diverſa factione per eos dies in exilium acti, multi ad tempus relegati. Inter hæc motus quidam novi per ſingulos dies oriebantur, ut pote in civitate populoſa & multitudine concitatâ, & ad novas ſpes erectâ.

Plebs dominatur.

Silveſter Medix. Benedictus Alberti.

Motus novi per ſingulos dies.

Aliis diripere bona locupletum, aliis inimicos ulciſci: aliis potentiã ſibi cõparare properantibus. *Id perpetuum documentum eſſe poteſt præſtantibus in civitate viris, ne motum & arma in arbitrio multitudinis devenire patiantur. Neq; enim retineri poſſunt, cùm ſemel incœperint frænum arripere, & plus ſe poſſe intelligunt, quia plures ſunt. Cavenda verò maximè videntur principia ſeditionum inter primarios cives. Ex illis enim ad iſta devenitur.* Monitoriam legem confitentur omnes pernicioſam deteſtandamque fuiſſe. Sed dum eam corrigere voluit Silveſter Medix, vir ex familia nobili, ampla & locuplete, majorem in Rep. labem induxit. Præter propoſitum enim & credulitatem ſuam, egentes & opifices, & infimæ ſortis homines facti ſunt domini civitatis. Ita dum paucis admonitis ſuccurrere vult, familiam ſuam & omnes ſui ſimiles dignitate ſpoliavit, & temeritati multitudinis concitatæ ſubjecit. Neque enim finis erat effrænatarum voluntatum hominum egentium & facinoroſorum, qui arma tenentes locupletum & honeſtorum hominum fortunis cupidiſſimè inhiabant, nec aliud, quàm rapinas cædesque, & pulſiones civium meditabantur. Quod niſi Michaëlis vexilliferi virtus & conſtantia reſtitiſſet, ſupremum illud excidiũ fuiſſet civitati. Eum unum, etſi ex infima plebe, ex ipſoq; opificio prognatum: tamen divinâ ſorte præfectum civitati illis turbulentis tẽporibus dixerim. Semper enim indignis cupiditatibus multitudinis ſe oppoſuit: Semper fræuum incuſſit malignis voluntatibus, monendo, cohortando, caſtigando compeſcuit. Et inerat autoritas quædã nativa, & forma viri nõ illiberalis. Et accedebat, quod per adoleſcentiæ tempora aliquot annis per Galliam militaverat. Itaq; non domeſticâ ruſ-

Monitoriam legem Silveſter Medix corrigere vult.

Michael Vexillifer reſiſtit effrænatæ voluntati hominum.

tate

tate ignarus; ſed externâ quoque experientiâ vigens peritè ſimul & callidè in rebus agendis verſabatur.

Per extremos ſui Magiſtratus dies multitudo rurſus concita, raptis repentè armis, ad Priorum ædes pervenit. Ibi cùm aream publicam armatorum multitudine compleſſet, magnis clamoribus ut Priores in concionem deſcenderent ad leges ferendas poſtulabant. Erant verò leges, quas ferri volebant, pernicioſæ quidem atque iniquæ. Nihil enim per id tempus moderatum cogitabatur. Priores in co planè conſtantes neque ceſſerunt multitudinis vocibus, ut eorum fecerant anteceſſores, nec multitudinē intra ædes recipere voluerunt. Sed clauſis foribus cuſtoditisq; aditibus deſuper reſponderunt, tunc quidem abirent, armaque deponerent, curæ Prioribus fore, ut prope diem illa, quæ cupiant, legitimè ſtatuantur. Multitudo igitur per hunc modum abiens, cùm ſe deluſam exiſtimaret, conventus agere majores cœpit. Denique octo viris ex omni colluvione creatis, apud conventum prædicatorum ſedem eorum collocavit. His & ſcribæ & apparitores inſtar legitimi Magiſtratus attributi, &, in conſilium qui forent, cives delecti. Tractari poſt hæc ab his de Rep. cœptum, multaque & proviſa & conſtituta. Increveratque autoritas metu, ut jam octo viri illi bello præfecti & alii quidam ampliſſimi viri, non ſine reverentia illos adirent.

Multitudo iterum leges ferre vult.

Multitudo majores conventus agere incipit.

Cùm eſſent in civitate duo capita, & quæ alteri ſtatuiſſent, alteri irritarent; confuſio quædam rerum & deſperatio ſequebatur. Octo viri tamen multitudine armorum ſuffulti prævalere Prioribus putabantur. In tantumque audaciæ proceſſerunt, ut tandem quoſdam ex ſuis apparitoribus, & cum his ſcribam ad Priores mitterent, poſtulantes, ut in conſtituta decretaq; ſua jurarent. Cum veniſſent ad Priores, ac mandata expoſuiſſent, & jusjurandum poſcerent, formidantibus cæteris, ac jurare parantibus, vexillifer juſtitiæ ferens indignè, ſtricto protenùs gladio in eos ruit, faciemque unius magno vulnere cæſim percuſſit: alterum verò punctim transfixit. Cæteros fugientes inſecutus per ſcalas ædium præcipites egit. Excitis deinde in arma civibus, globoque bonorum facto, ipſe cum vexillo juſtitiæ prodiens, armatus, equo inſigni vectus, certiſſimo dimicandi animo ad conventum prædicatorum proficiſcitur, ubi ſedes erat adverſariorum: nec eos ibi repperit. Illi enim contumeliâ nunciorum ſuorum intellectâ, confeſtim multitudinem convocârant, & armari magnis agminibus per urbem profecti, aliâ viâ Priorum ædes minabundi petierant. Vexillifer ergò juſtitiæ, cùm eos nec apud ſedem ſuam, nec alibi per urbem repperiſſet, ad ædes publicas revertitur. Ibi tandem octo viros & infimam plebem armatam offendit. Erat verò multitudo maxima ex omni officina & colluvione hominum. Hi jampridem roſtra occupârunt, & armis ſtructurâque terribiles videbantur; præſertim cùm incendia & rapinas per ſuperiores dies multa feciſſent, & in manibus Remp. habere putarentur. Aedes publicæ pro vexillifero Prioribusque cuſtodiebantur. Eas namque vexillifer munitas reliquerat. Itaque ubi rediit vexillifer cum ſuorum comitatu, lapidibus & telis multitudo plebis deſuper feriri eſt cœpta: & ſimul boni cives, qui cū vexillifero coierant, multitudinem, globo facto, aggrediuntur. Ita illi & de ſuperiori loco percuſſi, & à pari numero, majori impetu preſſi, tandem profligantur, & in fugam vertuntur. Eosque mox ſparſos inſectati cives urbe pepulerunt atque exterminarunt. Hic finis concitatæ multitudinis fuit, & huc usq; eorum potentia valuit.

Duo capita ſunt in poteſtate.

Octo viri poſtulant ut priores in ſua decreta jurent.

Aedes publicæ pro Vexillifero & Prioribus cuſtodiuntur.

Poſt hos alii Priores Magiſtratum inierunt. Quo die ingreſſi ſunt, concio advocata duos ex numero Priorum, qui erant ex infima plebe exauctoravit, ac domum remiſit; & nullum poſthac ex infima plebe in Prioratu eſſe juſſit. In locum verò eorum alios ſuffecit cives, quorum unus fuit Gregorius Scala eques Florentinus ex familia nobiliori & honorata: qui nuper admonitus indignè fuerat, & ob hoc ipſum illis, qui monitoriam legem exercuerant, inimicus. Hic ſtatus ferè tribus annis in civitate duravit, cùm plebs & mediocre quoddam genus hominum Remp. tenerent, & inhærentes quidam majores viri penè dominarentur.

Gregorius Scala eques Florentinus.

Per hæc ipſa tempora Urbanus Pontifex Romanus interdictum ſuſtulit, ac pacem apertè, remiſſionemq; pœnarum Florentino Populo indulſit. Ea res civitatem afflictam quodammodo relevavit, & ſimul ceſſante multitudinis furore, aliquantò melior civitatis conditio videbatur

Urbanus Pontifex interdictum ſuſtulit.

Cæterū ſuſpiciones in Rep. graviſſimę gubernatores torquebāt. Nā & multi ex his qui

Suſpiciones in Rep. gubernatores torquent.

qui domi remanſerant, pro ad-emtis ſibi honoribus, graviter ferre credebantur præſentem Reip. ſtatum etiam eos, qui pulſi fuerant, nulli dubium erat reditum affectare. Suſpiciones hæ ſolicitos red-debant novos Reip. gubernatores, conjurationesq́; civium contra Remp. initæ, ſeu illæ fictæ ſeu veræ fuerint, crebrò proferebantur, per quas multi domi ſupplicio affecti cives, multi etiam metu fugati. Hæc primo anno poſt obitum Gregorii, mutationemq́ue Reip. facta.

Exulum quadam manus Figinum occupare tentat.
Alia manus ad Carolum conveniſſe nunciatur.
Iohanna regina.

Altero dehinc anno foris quieta omnia; præterquam ab exulum metu. Illi enim magnâ multitudine ubique diſperſi ſolicitam domi civitatem reddebant. Principiò Senis profecta manus quædam exulum Figinum occupare tentavit. Qui cùm impediti caſu quodam fuiſſent, diſperſi fugâ, & alii aliis conſpecti, non ſectantibus eos incolis incolumes evasêre: Alia verò exulum manus ad Carolum, qui poſtea Rex fuit, conveniſſe nunciabatur. Is Carolus regio genere ortus, & apud Ludovicum Hungariæ Regem nutritus, in Italiam venerat Tarviſino bello, quod Rex per id tempus adverſus Venetos inferebat. Id cùm tunc finitum eſſet, cogitabat adverſus Johannam reginam bellum transferre. Movebat verò eum Urbanus pontifex, reginæ infenſus, quod illa in diviſione Eccleſiæ Clementem ſequeretur. Ludovicus quoq; rex avidè illum pro antiquo reginæ odio auxiliaribus copiis perfovebat. Ad hunc igitur Carolum, cùm eſſet Patavii, concurſus eſt exulum factus, eaq; ſpe maximâ ſui reditus nitebantur. Miſerat quoq; ad Carolum civitas Legatos, inſpiciendiq́; causâ, & mentem ejus pertentandi, ſimulq́; ad ſpeciem commiſſum eſt, ut pacis negotium inter Genuenſes & Venetos adjuvaret. Fuerunt autem hi legati tres: Tomaſius M.F. Stroza, Donatus Barbadorius, Marcus Benevenuti. Hi ergò legatione obitâ redeuntes, de Carolo deq́; exulibus diverſa retulerunt. Tomaſius enim Stroza Carolum ejusq́ conatum & cœptum parvi admodum faciebat: Exules verò plurimùm onerabat, modò contumeliam verborum, modò facta nefaria illorum exaugens. Barbadorius verò diverſa de Carolo: De exulibus verò, nec ſe illa ſcire, nec referre ajebat. Ita ſimultas quædam exorta eſt inter viros, & objectum Barbadorio, quòd Bononiæ quosdam exulum ad cœnam vocaſſet, ſeorſim ab aliis legatis: quâ ſuſpicione diverſarum partium haberi eſt cœptus. Inter hæc Jannocius quidam Salernitanus Caroli Præfectus cum aliqua manu equitum Bononiam venerat. Carolus autem ipſe in Hungariam redierat, proximo tempore cum exercitu in Italiam tranſiturus. Præfectus Caroli quò magis appropinquabat, eò magis ſuſpicio exulum augebatur & multa multi, ut fit, tali in re nunciabãt. Tandẽ verò duo ex octo viris, qui bello præfuerant, literas Prioribus recitârunt; quibus nunciabatur, certâ die exules cum Præfecto Caroli ad urbem eſſe venturos, magnamq́; conjurationem intra urbem verſari. Rem verò ita compoſitam eſſe, ut pluribus locis per urbem incenſis, exules unà cum Præfecto Caroli in urbem recipiantur. Index verò hujus arcani erat Antonius quidam Bruſcoli comes, homo perlevis, qui & nunciabat ſimul, & præmium indicii flagitabat. Id verò ubi reſcitum eſt, nulla fuit mora, quin præſtantes viri, de quibus modò aliqua ſuſpicio fuiſſet, in judicium raperentur. Et nocte quidem illâ nonnulli in ædibus ſuis capti ſunt, cùm nihil protenùs ſuſpicarentur. Die autem factâ ad eos, qui extra urbem in ſuis erant prædiis, ſatellites miſſi. Redierant enim per eos dies præclari quidam homines, qui ad tempus annuum fuerant relegati, & nondũ confiſi urbe, in villis ſuis morabantur. In his erant Pierus Philippi Albicius, vir & prudentiâ & autoritate & familiâ clarus: & Carolus Stroza vir pari exiſtimatione. Ad hos igitur comprænhendẽdos miſſi ſatellites, Pierum Albicium ceperunt. Qui cùm tutari ſe poſſet (fiebat enim ad eum concurſus ſuorũ clientium) tamen innocentiâ confiſus, ire ad Magiſtratum maluit. Carolus verò Stroza, cùm non procul à villa venientes ad ſe lictores vidiſſet, hortatu ſuorum evaſit per poſticum. Itaq; paulò pòſt villam perſcrutati, vacuam domino illam repererunt. Capti ſunt etiam Cyprianus Mangio, Jacobus Sachetius, Donatus Barbadorius, Philippus Stroza, Johannes Anſelmi, & alii quidam. Ne verò civitas ob talium virorum pericula fluctuaret, confeſtim auxilia equitum peditumque convocare placuit; & quatuor viros cuſtodiæ civitatis præficere, quibus & militem conductum & urbanam multitudinem parére juſſerunt. Fuerunt autem hi Tomaſius Stroza, & Benedictus Alberti: hi ambo equites, reliqui duo ex plebe obſcuri generis. Cùm verò de conjuratione quæreretur, nullum in captivis crimen, neq; rei notitia ulla reperiebatur: nec tenuiores

Tomaſi. Stroza Donatus Barbadorius. Marcus Benevenuti.
Simultas inter Legatos.
Jannocius Salernitanus Caroli Præfectus.
Antonius Bruſcoli comes, homo perlevis.
Pierius Philippi Albicius.
Carolus Stroza.
Pierius innocentia confiſus it ad Magiſtratum.
Stroza evadit.
Cyprianus Mãgio, Iacobus Sachetius, Donatus Barbadorius, Philippus Stroza, Iohannes Anſelmi capiuntur.
Tomaſi. Stroza Benedictus Alberti.

tenuiores quidam homines, qui ab initio capti fuerant, quenquam iſtorum nominabant. Quamobrem cùm ſatis eſſet manifeſtum, ob ſuſpicionem ſolummodò eſſe captos, attingere illos Magiſtratus nolebat. Verùm inimici adverſariique eorum in Rep. & ferociores quidam è plebe homines, magiſtratum criminando, plebemque concitando atque urgendo non priùs deſtiterunt, quàm concurſu multitudinis, vi prope adhibitâ, ſupplicio afficiuntur. Ex hoc jam miſeranda quidem civitatis erat conditio, & plenæ pavoris atque odii mentes, utpote re ad ſanguinem verſâ. *[Miſeranda civitatis conditio.]* Magnis & innocentibus viris ſupplicio affectis, depoſuit arma plebs, & in ſuam quisque domum reverſus eſt. Nec multis pòſt diebus, dum comitia novis Prioribus ſortiendis haberentur, reſumta rurſus arma ſunt, verentibus his, qui Remp. tenebant, ne quis diverſa ſentiens ad Magiſtratum ſumeretur, & id ipſum vi & armis vetare properantibus. Secundum comitia cùm Magiſtratum novi Priores iniiſſent, ſuadentibus quatuor viris cuſtodiæ urbis Præfectis, ne qua ſuſpicio in poſterum ſortitionibus ineſſet; ſex & quadraginta viros creari placuit, qui unà cum Prioribus collegisque purgandis diluendisque ſuſpicionibus providerent, & quieti otioque proſpicerent civium. Hi pluribus diebus re arcanè diſcuſsâ, tandem unum de quadraginta hominibus ad triennium vetuerunt Magiſtratum ſuſcipere. Viginti præterea ex nobilitate ad plebem, totidem ex plebe in grandiores familias traduxêre. Multa inſuper contra exules eorumque patrimonia ſunt ab illis, & pleraque omnia malignè conſtituta. Et res quidem domi turbulentiſſimæ erant. *[Res turbulentiſſimæ.]* Foris autem per hæc ipſa tempora metus indies augebatur, quod Præfectus Caroli, de quo ſuprà diximus, ex Bononia Ariminum perveniſſe, atque inde in Hetruriam venire nunciabatur: magnamque Florentinorum exulum manum ſequi illum affirmabant. Ea formido effecit, ut Johannes Augus tunc primum Dux belli à civitate deligeretur. *[Johannes Augus Dux belli à civitate eligitur.]*

Principio inſequentis anni ingentes copiæ in agro Senenſi conveniſſe ferebantur. Hi erant Italici in ſocietatem coacti, quibus præerat Albericus Barbianenſis comes: & Germanorum manus, quibus præerat Guglielmus Filibachius: & Ungarorum, quos Jannotius Salernitanus ſecum adduxerat. *[Albericus Barbianenſis comes. Guglielmus Filibachius. Iannotius Salernitanus.]* Omnes autem hæ copiæ jam inde per Italiam Carolo parabantur, & juſſum voluntatemque Præfecti ejus ſpectabant. Confluxerat verò exulum multitudo ingens, magnâ ſpe in urbem redeundi. Senenſes, cùm ager eorum ab his copiis vaſtaretur; tandem pecuniâ traditâ, ut inde abeant, paciſcuntur. Idem faciunt Piſani, ne ſuum agrum invadant. Florentini, cùm has Senenſium Piſanorumque pactiones audisſent, ipſi quoque oratoribus ſuis in agrum Senenſem miſſis, pecuniâ decidere tentaverunt. Id verò, ſive majorum ſpe rerum, ſive malevolentiâ & odiis jam contractis, non eſt à Præfecto Caroli receptum: ſed modò id poſtulatum, ut exulibus patrimonia reſtituerentur, quæ publicata fuerant, eorumque reditus poſt annum in arbitratu Caroli poneretur. Iter eorum in agrum Lucenſem fore demonſtrabant per extremos fines agri Florentini, nec hoſtile quicquam ſe in his locis molituros. Conqueſtus eſt tamen graviſſimè Caroli Præfectus de calumnia ſibi inuſta, *[Caroli Præfectus de calumnia ſibi illata conqueritur.]* in civibus Florentinis innocentibus quidem, & cum quibus nullam proteus rem habuiſſet, necandis, & de querela Bononienſibus facta, per quam dimiſſus ab eis inclementer fuiſſet. Hæc ab illo dicta offenſionem animi ſignificabant majorem, quàm verbis proferretur. Itaque ex agro in urbem minutaque loca referri curaverunt; & à Bononienſibus cæterisque ſociis auxilia poſtulârunt, Ducemque belli Johannem Augum tunc primò delectum venire celeriter juſſerunt.

Præfectus Caroli inter hæc ex agro Senenſi ad Elſam, primo mox relicto, commodiore itinere ad Peſam fluvium duxit. *[Peſa fluvius.]* In his locis aliquanto commoratus tandem in planiora loca deſcendit, procul ab urbe non ampliùs novem millibus paſſuum. Progreſſio quidem earum copiarum non erat hoſtilis; ſed parùm diſtabat. Ex rixa tamen, quam cum equitibus Florentinorum habuerant, incendia quædam facta, & prædæ ad extremum abactæ, villæque aliquot direptæ penitùs atque exuſtæ. Tandem verò, nullus cùm omninò motus ob eorum propinquitatem appareret, Emporium verſus profecti, in Piſanum Lucenſemque agrum tranſivêre. In finibus Lucenſium aliquandiu commorati, demùm ſuſceptâ pecuniâ abire pacti, legere veſtigia retrò, ac per ipſum, quo progreſſi fue-

rant, iter, viam facturi dicebantur. Iam Augus Florentiam venerat, & magna inſuper manus auxiliarium copiarum. Itaque Augus, iter eorum impediturus, cum omnibus copiis profectus in finibus Florentini agri ſe adverſum oppoſuit. At illi dimicationem vitantes per Eram Volaterranumque agrum, diverſâ admodum viâ, in fines Senenſium revertuntur.

Augus opponit ſe Carolo profecto.

Per medium hujus anni Carolus, de quo ſupra diximus, in Italiam venit. Ejus iter per Tarviſinum Vicentinumque agrum fuit. Inde ad Padum deſcendens, trajecto amne Ariminum verſus copias duxit. Habebat verò Hungarorum ſeptem millia equitum, & Italici generis circiter mille. Oratores ab eo ſub primum ſtatim adventum Florentiam miſſi, commemoratâ conjunctione, quam ſemper domus Regia cum Florentino Populo habuiſſet, duo tantummodo capita virilis ſtirpis ex ea progenie ſupereſſe, Ludovicum & Carolum, docuerunt Ad Carolum verò & conceſſione Ludovici, & Pontificis decreto Regnum Siciliæ perveniſſe; quandoquidem Johanna regina multis ſe alioquin ſceleribus, & nunc ad extremum ſchiſmaticis abominationibus inquinaverit. Veniſſe ergo in Italiam Carolum, ut Regnum ſibi debitum ab injuſto poſſeſſore extorqueat. Idcircò petere à Florentino Populo, ut pro antiqua domus benevolentia, proque pollicitatione dudum facta fœdus ſecum ineat, & viribus pecuniiſque perfoveat ad Regni conſecutionem. Hæc eadem ferè Legati civitatis nuper in Ungariam miſſi nomine Ludovici Regis retulerant, addentes, ut cives aliquos ad Carolum civitas mitteret, quorum ille autoritate conſilioque regeretur. Ea cùm peterent Legari, verterunt in admirationem, quod ex pollicito petebatur. Neque enim pollicitationem factam meminerat quisquam. Itaque hoc ante omnia ſcrutantibus, tandem compertum eſt, olim fervente contra Clericos bello, cùm Johanna Regina partes Pontificis foveret, auxiliaque ad Aſculum mitteret, poſtulatum fuiſſe Ludovicum Ungariæ Regem, ut fœdus cum Florentinis ſociisque coiret, & auxilia mutua, ſi In fœdus veniret, contra Reginam oblata. Quod cum Rex non recepiſſet, nullam remanſiſſe obligationem conſtabat. Hoc igitur primo Legatis oſtenſum. Deinde reſponſum datum, nec velle nec debere Florentinum Populum in diviſione Regiæ domus, quam ſemper coluerit, alterutrius parti inhærere. Neq; cōtra Roberti progeniē ſucceſſionēq; absq; nota ingratitudinis fœdus coire poſſe, aut vires convertere, cùm & à Roberto & à filio, hujus Reginæ parente, dubiis formidoloſisq; temporibus fuerit civitas protecta atq; adjuta. Quod ſi adverſus extraneos alienosq; poſtularentur auxilia, haud gravatè Florentinus Populus exhiberet. In pecuniis autem, etſi eadem ſit ratio: tamen difficultates inſuper majores inſtare, pro varia civitatis fluctuatione. Cum hoc reſponſo oratores dimiſſi. Carolus inter hæc Ariminum pervenerat, & reſponſa oratoribus ſuis data, permoleſtè tuliſſe videbatur. Quæ cùm Florentiæ audita eſſent, ad placandum conciliandumq; ejus animum oratores miſſi duo, Philippus Cioneti & Guccius Dini, qui dona Carolo civitatis nomine detulerunt, & quindecim millia pondo auri ex liberalitate offerre juſſi ſunt. Hi cum Arimini Carolum adiiſſent, & quæ detuliſſent munera, quātámve offerrent pecuniam, notum eſſet, Carolus nec dona recipere voluit, & ad pecuniam reſpondit: ne, ſi centum millia pondo auri tradant, contentum ſe fore. Hæc rejectio munerum plurimùm eorum, qui tunc Remp. tenebant, fregit animos. Et auxerunt mox eorum timorem Aretini Carolum in Hetruriam vocantes ac dominationem civitatis illi tradentes. De quibus quidem rebus, quo clarior habeatur notitia, ſuperiùs aliquantò videtur repetendum.

Oratores Caroli à Florentino Populo ut ſecum fœdus ineat petit.

Florentinorum reſponſio.

Carolus reſponſa Oratoribus data moleſtè tulit.

Cioneti. Philippus. Guccius Dini.

Pulſo Athenarum Duce, qui Florentiæ Aretiiq; dominationem habuerat, Aretini libertate receptâ, viros ſexaginta delegerunt, quorū conſilio Resp. gubernaretur Hi fuerunt clariſſimi viri, & divitiis ſapientiaq; in ea urbe præſtantes, quorū prudentia gubernata civitas longo tempore cōquievit. Poſt multos demùm annos cùm defunctis plerisq; ſenioribus juvenes in parentum loco ſucceſſiſſent, contentiones ſimultatesq; exortæ priſtinam concordiam deleverunt: Nec priùs certandi finis, quā inter ſe diviſi alteros alteri pepulerunt, Per eorum diviſiones luſurgens nobilitas, alteriq; inhærens parti, favore plebis immodico jam propè dominabatur. Hi Carolum vocantes, dominationem urbis illi tradiderunt. Carolus igitur Arimino profectus, Aretium venit: Omnisque multitudo Florentinorum exulum erecta, pro tàm propinquo, tamque opportuno loco ad eum confluxit. Erant Aretii Florenti-

notum

rinorum Legati jampridem eò miſſi gratiâ Concordiæ civitatis. Quâ dic Carolus Aretium ingreſſus eſt, exules Florentini unum ex Legatis, quod domi infeſtus erat, occiderunt. Is fuit Johannes Monis, qui unus ex octo viris bello eccleſiaſtico fuerat, poſteàque per diſcordiam civitatis auctus, & militiâ inſignitus, Inter præcipuos habebatur. Per hujus interitum multa Florentiæ contra exules graviter conſtituta, domusque percuſſorum everſæ.

Exules Florentini unum ex Legatis occiderunt.
Iohannes Monis.

Cùm eſſet Aretii Carolus, milites ejus contra Florentinorum caſtella irruentes, prædis rapiniſque omnia fœdârunt, ac levia quædam prælia nonnullis in locis commiſſa ſunt. Concurrerant enim eò copiæ Florentini Populi, & adverſus raptores prædatoresq; faciliter repugnabant. Irritatis deniq; utrinq; animis, cũ rectâ viâ Carolus Florentiam petiturus crederetur, ipſe diverſo itinere in Senenſes duxit, habens Hungarorum copias, quos in Italiam adduxerat: præterea Italos & Germanos, qui cum Alberico & Jannotio Salernitano fuerunt. Inſuper Florentini exules magnâ multitudine ſequebantur. Cum his copiis per Senenſem agrum profectus, non longè à Staggia & Bonitio caſtra fecit. Ea ſunt opida Florentini agri ad Senenſes converſa.

Staggia.

Florentini Johannem Augum cum ſuis omnibus ſociorumq; copiis ad ea loca miſerunt, qui & reſiſteret venienti Carolo, & ſuos à populationibus cohiberet. Hîc jam apertè bellum gerebatur, prædæq; & rapinæ propalàm fiebant, & opida minus valida à Caroli militibus tentabantur. Augus verò aderat cum ſuis copiis apertè jam repugnaturus. Habebat verò Augus ſupra quatuor millia equitum, peditum autem multitudinem magnam. Inter hæc oratores ad Carolum miſſi duo: Roſſus Eritius * & Bettinus Covonus, equites Florentini; qui & ſciſcitarentur cauſas adventus ſui, & placare mentem ejus niterentur. Ab his Carolus aditus, reſpondit, ſe amicum, non inimicum Florentinis eſſe cupere: auxilia tamen, quæ civitas pollicita ſibi & Regi Ungariæ dudum fuerit, poſtulare: His de rebus ſe Legatos Florentiam miſſurum. Interea quinque dierum tempus in Senenſium finibus expectare ſtatuiſſe. Legati ejus hæc eadem Florentiam miſſi detulere. Oſtendebatur inprimis pollicitationẽ aliis temporibus alia de cauſa eſſe factam; quæ cùm tunc recepta nō fuerit à Rege, nihil remanſerat, quod poſtulari queat. Hæc oſtendebantur, & erant planè legitima: ſed ille armis aderat, & ſecum exules adducebat. Itaque cum pecunias illum quærere palàm eſſet, ad conditionem verſa civitas, quadraginta millia pondo auri dare paciſcitur: Ille abducere copias; nec exules inpoſterum fovere. Ea pecunia ferè omnis Johanni Bano Duci Hungarorum, quos ſecum duxerat Carolus, tradita eſt. Statuerat enim eas copias dimittere, præſertim cùm hiems jam adventaret, & profectio in Apuliam differenda neceſſariò videretur, propter multa, quæ ſibi priùs erant cum Pontifice præparanda. Poſt concordiam factam Balthaſar Spinula Genuenſis, qui Carolum ſecutus fuerat, maximam Ungarorum partem à Carolo dimiſſam per Florentinum Lucenſemq; agrum in fines Genuenſium duxit; quo adverſus Bernabovem bellum inferentem reſiſterent. Reliquas copias habens Carolus Aretium rediit. Ibi exules Florentinos humaniſſimè conſolatus expectare tempus monuit, ſibi, ſi negotium Regni ſuccedat, curæ fore, ut in patriam reſtituantur. Nunc verò neceſſarium fuiſſe, rem eorum differre, cùm admotis tantis copiis nullus omninò motus intra urbem ſit auditus, & implicari bello circa Florentiam minimè conducat in Regnum properanti, & à multis expectato. Qui cum Spinula profecti fuerant Hungari, Lucenſem agrum dimenſi, cùm jam finibus Genuenſium propinquarent, copias Bernabovis obviam habuêre. A quibus cùm aditus occupati, itineraq; obſeſſa eſſent, fruſtra tempus aliquod transire conati, demùm inopes rerum omnium, regreſſi in agrum Florentinum circa Nebulam fluvium caſtra fecerunt, in Ungariam ſe reverti velle nunciantes, ac rogantes volente Populo tranſire ſibi per agrum pacatè liceret. Civitas, ne longa circuitio eorum noceret, iter deſignavit, quà breviter commodeq; transmiſſo Apennini jugo deſcendere in fines Bononienſium poſſent. Ita per agrum Piſtorienſem deducentes, brevi admodum viâ illos tranſmiſêre. Quæ quidem res permagnam apud Bononienſes peperit indignationem, quaſi aliorſum tendentes operâ conſilioq; Florentini Populi in eorum fines miſſi fuiſſent. Ex Bononienſi pars domum reverſa eſt, pars in agro Gallico circa Ravennam & Faventiam in ſocietatem majoris exercitus coivit. Interea Carolus Aretio profectus Romam petiit, & ab Urbano benignè honorificeq; ſuſceptus, opportuna

Roſſus Eritius, Bettinus Covonus oratores Florentinorum.
** M S. Ial. Riccius.*
Carolus auxilia ſibi promiſſa poſtulat.
Concordia initur cum Carolo.
Iohannes Banus Dux Hungarorum.
Balthaſar Spinula Genuenſis.
Carolus Romam petit.

ANNO 1381.

ad expeditionem in dies parabat. Qui ſecutus eſt annus (is fuit annus octogeſimus primus ſupra mille trecentos) & domi & foris multas ac varias habuit mutationes.

Status Reipub. mutatur.
Johanna Regina capta Carolus poſſeſſionem Regni conſequitur.

Nam domi quidem ſtatus Reip. mutatus eſt: foris autem victâ captâque Johannâ Reginâ, Carolus poſſeſſionem Regni eſt conſecutus, & Aretium civitas finitima in miſerandas eſt calamitates prolapſa: quæ cuncta per ordinem referentur. Principio ejus anni ſuſpiciones domi maximæ continuabant, relegationesque & exilia civium propè quotidiana violentum quiddam ac minimè duraturum promittebant. Acceſſit verò ad priorem metum Caroli victoria & Reginæ captivitas. Carolus enim poſt apparatus Romæ factos Regni fines ingreſſus, cùm Neapolim perveniſſet, profligatis Reginæ Ducibus, & Regnum & Reginam felicitate mirabili in ſuam redegit poteſtatem. Quarum rerum fama Florentiam delata terrore non modico affecit Reip. gubernatores. Videbant enim exulum ſpem totam ab eo Principe dependere. Et necatos quoſdam adverſariorum fuiſſe, prætextu illo, quod cum ipſo Carolo, aut cum ejus Præfecto conjurationem iniiſſe dicebantur: Ipſum denique ſtipatum catervâ exulum civitatis fines intraſſe. Præterea querimoniam adverſus illum acerbam & gravem, factam Regi Ungariæ meminerant, quâ infenſus eſſe meritò poterat. Movebat etiam pleroſque Roberti Regis memoria, cujus ſucceſſionem deletam miſerabili cernebant ruinâ. Hæc igitur etſi dolebat civitas contigiſſe: tamen quò Carolus, ſi fieri poſſet, in amicitia teneretur, Legatos

Florentia per octo Legatos Carolo gratulatur.
Robertus Aldobrandinus, Bettinus Covonius.

octo ad eum miſit, qui civitatis nomine gratularentur: In quibus Robertus Aldobrandini, & Bettinus Covonius, equites Florentini, Principes fuêre. Hi cùm ad Carolum veniſſent, benignè amiceque recepti ab eo, atque audiri ſunt, cum ſumma teſtificatione amoris erga civitatem. Quæ domum renunciata ſuſpicionē antè conceptam de Rege attenuârunt. Itaque quò contineretur in amicitia Rex, duo ex oratoribus remanere apud eum juſſi; reliqui peractis ſolennibus domum redire.

Aretinorum calamitas miſeranda.
Epiſcopus Iurinenſis, Gallus.

Cùm eſſet proſperitas ſumma Regi, ſecundusque rerum curſus, Aretinorum ſupervenit calamitas, miſeranda quidem ac deflenda. Fluxit verò ex hujusmodi cauſa. Carolus ſuperiore tempore cùm ſuſcepto Aretii dominatu ex Hetruria abiret, quendam ex comitibus ſuis, Epiſcopum Jurinenſem, natione Gallum, hominem fictè compoſitum, cujus malignitas Regi erat incognita, Aretinis præfecerat, exiſtimans, quoniam ille religioſus & Epiſcopus eſſet, pacatè tranquilleque civitatem gubernaturum. Is ergo, quò potentiam eorum, qui Regi civitatem dederant, minueret, ſimulato pacis ac tranquillitatis ſtudio adverſarios horum in urbem revocavit atque recepit.

Gibellinarum partium homines recipiuntur in urbem Aretinam.

Hi erant Gibellinarum partium homines longis temporibus exules, inter quos Saconis filii agnatique, & Ubertinum genus, præpotentes Aretinorum familiæ, rediêre. Ex hoc autem ſtatim evenit, ut ad favorem illorum, quos beneficio ſuo reſtitutos, proque eo ſibi obnoxios intelligebat, Præfectus inclinaret: Illos verò ſuſpectos haberet & inimicos arbitraretur; qui Regi dederant civitatem, quòd in reſtitutionē adverſariorum eos plurimum offendiſſet. In tanta igitur perverſitate rerum tantaque confuſione civitatis, cùm boni viri, ac benè de Rege meriti deprimerentur; exules verò nuper reducti in honore plurimo haberentur, querela & indignatio maxima erat, ac non jam occulta in Præfectum odia. Quod ille, intelligens, ab iis etiam, qui redierant irritatus, præcipuos quoſdam ex eo numero, qui dominationem Regi tradiderant, capit, & in carcerem trudit: nonullos etiā interficit, alios fugat ac perſequitur. Ita Gibellinorū factio, quæ amplius annis quadraginta exularat, & per adventum Regis omnino peritura ſperabatur, favore

Profugi flagitia Præfecti ad Regem deferunt.

ac malignitate Præfecti in urbem reducta, plus poſſe incepit. *Adeò in rebus humanis conjectura fallit.* Profugi quidam civium hæc tanta Præfecti ſui flagitia ad Regem detulerunt. Ille verò deteſtatus illius malignitatem, ſucceſſorem præfecto miſit Jacobum Carazolum Neapolitanum, ac reducere amicos ſuos foveréque honoribus

Iacobus Caracciolus Præfectus novus.

juſſit. Saconis filii & agnati, & Ubertini, ac tota illa Gibellinorum factio, ſentientes novi Præfecti adventum, magnam multitudinem ex caſtellis clientelisque ſuis in urbem contraxerunt, paratiq; & ſtructi ad omnem motum perſtabant. Itaque cùm Præfectus novus ad urbem veniſſet, & in abſceſſu veteris Præfecti vim illi afferre quidam pararent, moventes illi arma ad ædes illorum, qui redierant, diſcurrerunt, & quanquam reſiſtebatur egregiè: tamen quia copias illi permagnas habebant jampridem contractas atque paratas, tandem pervicerunt, pulſique adverſarii

ad atcem

Arx & novus Præfectus obſidetur.

Villanuccius Præfectus.

ad arcem novumque Præfectum ſe receperunt. Cùm verò & arx ipſa, novusque in ea Præfectus obſideretur, oppugnaretnt que aperrè; cives in arcem compulſi, unà cum Præfecto remedia cogitabant. Fortè per id tempus Albericus comes Italicique ſub eo in ſocietatem coacti in finibus Peruſinorum Cortonenſiumque degebant. Hos advocare placuit, ac bona inimicorum prædam illis polliceri. Miſſis ergò qui hæc rogarent, offerrent que motus, impigrè Albericus cum omnibus copiis advenit, receptusque per arcem & in urbem immiſſus, cùm etiam ex arce deſcendentes cives amicique eorum adjuvarent, Saconis filii & agnati, Ubertinique, omnesque eorum copiæ ex urbe pelluntur. Sed Albericus, Italicique ſub eo militantes non illorum duntaxat domos: ſed univerſam civitatem diripuêre, corporibus quidem parcentes, bona verò ſine diſtinctione aliquâ rapinæ prædæque ſubjicientes. Nec multò pòſt aliæ copiæ non minores ſupervenêre, quibus præerat Villanuccius. Hæ quoque in urbem receptæ, ſi quid ſupererat ex priori direptione, abraſerunt. Hi duo exercitus ſex ferè menſibus in urbe Aretio commorati ſunt, incredibili prædâ locupletibusque ſpoliis ditati. Cives miſerandi & inopes per finitimas civitates opidaque diſperſi migravêre.

Stanribus in urbe Aretio copiis, rixæ quædam exortæ ſunt cum his civibus, qui arcem tenebant. Petebant enim cives, qui erant in arce, ut Albericus copias deduceret. Ad recuperandam enim pro civibus urbem, non ad occupandam ſibi Albericum vocaſſe. Ille verò ſe paratum abire prædicabat: verùm milites, quod benè ſe degere intelligebant, ſequi nolle, hiemareque in ea urbe conſtituiſſe. Hinc indignationes coortæ, ac velut in hoſtes nonnunquam præliatum.

Delationes Florentiæ & conjurationes variæ.

Per hæc ipſa tempora Florentiæ delationes civium variæ, & conjurationes adverſus Remp. ſeu veræ ſeu fictæ, per ſingulos dies proferebantur. Boni ſi qui remanſerant in urbe, trepidi latitantesque vix conſpici ſe patiebantur. Quippe inter tantam vel majorum acerbitatem, vel ſatellitum calumnias, quis aut ſperare incolumitatem, aut ſibi ipſi confidere valeret? Igitur civitas mœſta & afflicta inteſtino ſimul atque externo laborabat morbo; quem rolerare diutius non valens, ad extremum decuſſit. Duo maximè ſupremi per hæc tempora civitatem gubernabant, Tomaſius Stroza & Georgius Scala. Hi quanquam erant equites ex optimis familiis: tamen eos ad Plebis multitudinisque deflexerant partes injuriæ dudum ſuſceptæ. Nam Georgio quidem Scalæ nota admonitionis fuerat inuſta. quà ille injuriâ acerbatus ſatiari vindictâ non poterat. Tomaſius autem Stroza, quòd fuerat unus ex octo viris, bello eccleſiaſtico gerendo jactatus, tunc contentionibus eorum, qui diverſa ſentiebant partes animo hauſerat acerbas, ut etiam gentilibus agnatisque ſuis inimicus eſſet atque infeſtus. Circa hos duos multi ex plebe ſatellites, ac ſeditioſiſſimi quique verſabantur: Hinc delationes civium: hinc ficta crimina, & privilegia in exules acerbiſſima, & malorum omnium officina proficiſci putabantur.

Gubernatores civitatis. Tomaſius Stroza. Georgius Scala.

Johannes Cambi.

Satellitis delatio.

Johannes erat Cambi, vir & famæ integræ, & exiſtimationis inter cives non exiguæ. Juxta ædes hujus forte per noctem ambulans unus ex ſatellitibus (erat enim mos ſingula ſcrutari atque facere) ſtrepitum & verba intra domum ſenſit. Hinc ille occaſionem, ut voluerat, nactus, ſtatim detulit, catervam armatorum à Johanne Cambi paratam eſſe domi, ad ſtatum civitatis evertendum. Erat verò id totum inane. Nullos enim ille domi habuerat, præter familiam propriam, & villicum, qui ut fit, rure porcum adduxerat. Cùm ergo ſcrutata confeſtim domus vanum crimen eſſe docuiſſet, delator tamen audax & improbus ſcire ſe ac vidiſſe aſſeveraret; detinetur tandem à Magiſtratu veritatem vel calumniam eruturo. Tandemque compertum eſt, de induſtria confictum eſſe crimen adverſus hunc, quia non acceptus partibus foret: & alios eſſe, quos eodem modo erat in calumniam vocaturus. Qui cum ſupplicio afficiendus eſſet, Georgius & Tomaſius precibus primò & minis; deinde, cùm eæ parùm proficerent, ad vim converſi, coactâ manu ſatellitum ſuorum, plebeque concitâ, noctu ad Magiſtratum venientes, reum arripuêre, Magiſtratum etiam interfecturi, ſi nanciſci potuiſſent: ſed ille, periculum vitans, in ædes Priotum aufugerat. Ibi violentiam ſibi factam conqueſtus, quando juſtitia vi impediatur, nolle ſe permanere teſtatur, ac ſe Magiſtratu abdicat. Indigna cunctis res fœdaque videbatur, & horrebant planè jam homines tantam per-

verſitatem ac licentiã. Rem igitur corrigendã Priores rati, Magiſtratũq; cõſolati ſunt, ac ſperare bene polliciti, properantem abire non permiſerunt. Demùm verò accitis præſidiis, & in area, quæ eſt circa palatiũ, collocatis, cùm jã ſatis muniti adverſus vim eorum, qui reum abſtulerant, viderentur, Magiſtratum cohortati, ut jam nihil vereretur, & opem ſuam polliciti virgam juſtitiæ reſumere compulerunt, & ad prætorium ſuum remiſerunt. Magiſtratus ſimul ac in ædes ſuas reverſus eſt, cohortem miſit ad Georgium Scalam capiendum; qui inopinatò & mirabiliter, quod nemo exiſtimaſſet, prope ædes ſuas captus, nemine ex tot amicis ſatellitibusque opem ferente, ductus eſt ad Magiſtratum. Tomaſius verò Stroza cùm hæc intellexiſſet, fugã ſibi conſuluit. De Georgio poſtridie ſupplicium ſumtum eſt magno concurſu Populi clamantis ac poſtulantis reum necari. Inter hæc Simon Blaſii, unus ex delatoribus, cùm urbe aufugeret, captus à quibusdam ac reductus, cùm ad Magiſtratum traheretur, medio itinere à concurrente Populi multitudine interficitur. Inde lacerum corpus per urbem ludibrio tractum. Eodemque tempore filius ejus adoleſcens alia in parte urbis occiſus, eodem modo per ludibrium trahitur; cadaverque nati cum parentis cadavere conjungitur.

Tomaſius Stroza fuga ſibi conſulit.
De Georgio Scala ſupplicium ſumitur.
Simon Blaſii unus ex delatoribus interficitur.

Triduo autem poſtea, cùm duo alii ex numero ſatellitum damnati, in ora totius Populi ſecuri percuterentur, & multitudo concita ſumſiſſet arma, perque urbẽ diſcurreret; veriti Priores, ne incẽdia, ac cætera, quæ civilis ira ferre ſolet, patrarentur, advocatã cõcione ad alias curas Populũ traduxêre, permulta in Rep. eſſe corrigenda docentes, & viros deligendos cum poteſtate publica, qui illa corrigant atque emendent. Ita concione vocatâ, & in ſua quique tribu venire concionem juſſi.

Duo alii ex ſatellitũ numero ſecuri percutiuntur.

Hæc dum aguntur, ira efferbuit, dum quisque aut ſui aut propinquorum nominationi ſtudet, nocendi ac debacchandi præterlabitur occaſio. Frequens cùm tandem concio adeſſet, viri circiter centum deliguntur, quibus poteſtas publica mandata eſt conſtituendi emendandique.

Centumviri deliguntur Magiſtratum emendaturi.

His peractis vexillo partium optimarum prodire in medium, ac incedere per urbem juſſo, ſequente numeroſâ civium multitudine. Luſtratâ urbe, ſine cujusquàm violentia, ſine injuria, vergente in occaſum ſole, reditum eſt ad ædes Priorum cum ſumma civium gratulatione atque lætitia.

Poſthac hi, quibus poteſtas commiſſa fuerat, in unum coëuntes decreverant exulibus quibuscunque, ac relegatis, qui poſt Silveſtrum Medicem vexilliferum damnati fuiſſent, reditum in urbem patere: Suſpenſiones quoque & prohibitiones civium à Rep. & inter grandiores familias redactiones omnes poſt eum vexilliferum factas eſſe irritas & inanes. Carceres inde effracti, & captivi omnes exemti, præterquam ſi qui privatim ob æs alienum capti fuiſſent. Artium capita ad viginti unum redacta, duobus abolitis, quæ ſuperaddita nuper ex humiliori opificio fuerant. Haud multò poſtea motus quidam exortus eſt ab his, quibus facile ter oppreſſis exules jam reſtitui expectabantur.

Carceres effringuntur & captivi omnes eximuntur.

Dum ea domi geruntur, ad tria millia equitum, pedites verò quingenti ex his copiis, quæ Aretium occuparant, repentè in agrum Florentinum ſupervenere. Terror fuit ingens, præſertim teneris adhuc rebus, nec dum ſatis ſtabilitis. Cùm tamen circa Marciallam caſtro poſuiſſe hoſtem nunciatum eſſet; miſſus eo Augus cum militibus conductis & auxiliaribus, confluente quoque ad eum ex agro multitudine ingenti, caſtra in conſpectu hoſtium poſuit. Aliquot diebus in hunc modum commoratis, tandẽ hoſtes deficiente comẽatu prædonũ ritu abiêre. Profectionem eorum fugæ ſimilẽ per veſtigia ſecutus Augus, in agrum Aretinũ usq; devenit.

Copiæ quæ Aretium occuparant in agrum Florentinum ſupervenerunt.
Marcialla.
Hoſtes Prædonum ritu abeunt.

Inter hæc domi relegati multi eorum, qui antè in Rep. potentes fuerant: damnati etiã quidã & hoſtes judicati. Exules deinde in urbem reverſi multa innovari coëgerunt, & tumultus crebrò creati, & reſumta modò arma, modò depoſita, concionesq; ſæpius cõvocatæ, & poteſtates civib⁹ traditæ, donec purgatâ demũ urbe, & bonis exulũ reſtitutis, honoribusq; ad redeũtes trãſlatis, civitas formã ſtabilitatẽq; ſuſcepit.

Per extremum ejus anni literæ ex Gallia venerunt, per quas ſignificabatur; Ludovicum Andegaviæ Ducem cũ magno exercitu in Italiã eſſe tranſiturum. Adoptatum enim à Johanna Regina, ac filium, ſucceſſoremq; Regni deſignatũ venire in Italiam conſtituiſſe ad Reginam liberandam regnumque ex manibus Caroli eripiendum. Hæc eadem cùm è pluribus ſimul locis ſignificarentur, in ſuſpicionem verſa civitas de futuro eventu belli ſolicita eſſe cœpit. Neque enim parvo

Ludovicus Andegaviæ Dux in Italiam ad Reginam liberandam tranſit.

conatu

conatu: ſed totis penè Francorum viribus inſurgebatur ad tranſitum in Italiam faciendum. Timebaturq; jam inde, quonam res tanta foret tandem evaſura. Exempla verò literarum ſtatim ad Carolum miſſa.

Principio inſequentis anni multa ſimul premebant civitatem. Nam & domi res admodùm ſolicitæ, & foris ſuſpicio ingens ab his copiis, quæ Aretium occupabant, & Ducis Andegavenſis adventus jam inde terrorem ac formidinem afferebat. Cum iis igitur, quæ Aretium occupabant, gentibus agitata res eſt, ac diligentiſſimè deducta. Cùm enim non Florentinis modò; verùm etiam cunctis finitimis civitatibus eſſent terrori, & jam Senenſes Piſaniqùe vexationes ſuas redimere pararent; interceſsêre Florentini, hortantes ac monentes, ut civitates in unum vires ſuas conſiliaque conferrent. Sive enim pecuniâ decidendum eſſet, longè faciliùs omnes ſimul, quàm ſinguli tranſacturos: Sive vi reſiſtendum, confœderatos in unum faciliùs repugnaturos. Ipſi verò Bononienſium Bernabovisque auxilia jampridem contraxerant, & ſimul oſtentabant vires, ſimul Alberici Villanutiique Ducum animos deliniebant, ſimul ſolicitabant Regem pro copiis amovendis. Per hanc tandem diligentiam effectum eſt, ut quàm minimo impendio copiæ, poſcente jam Regni periculo abirent.

Adventus Ducis Andegavenſis terrorem affert.

Albertus & Villanutius duces.

De tranſitu verò Gallorum in Italiam ab ipſo initio permagna res viſa eſt, & continuò crevit opinio. Poſt literas enim Ducis Andegavenſis, per quas ſuum Florentinis ſignificabat adventum, oratores Francorum Regis Mediolanum pervenerant, indeq; ſignificârunt, ad Florentinos ſocioſq; mandata habere, quæ referre in communi omnium conventu velint. Proinde orare Florentinos, ut ſocios convocent: ſe quidem brevi eſſe venturos. Reſcriptum eſt à civitate, ſe lætis animis expectare tantorum Principum oratores. Venirent ergò quando commodum foret, ſocios enim tempore affuturos. Venientes igitur Florentiam oratores multa dixerunt de juſtitiæ cauſa, ac de magnitudine apparatus. Quibus prolixè explicatis ad extremum poſtulârunt, ut Florentini ſociique cœptum Andegavenſis ope conſilioq; juvarent. Reſponſum eſt oratoribus, dolere civitati de ſanguinis Regii diſſidio, & pro concordia intercedere paratam: de poſtulatis autem non niſi ex ſociorum decreto reſponderi poſſe. Scripſiſſe verò Legatos ſociorum ad ſuas civitates, quarum voluntas cum audita fuerit, reſponſum darent. Illi verò ad alia properantes loca, rogarunt, ut vel literis, vel per oratores ſignificari ſibi reſponſum curarent. Deniquè honeſtis verbis ex ſociorum conſenſu denegata auxilia ſunt. Nec multò pòſt Andegavenſis cum exercitu ſuperatis Alpibus in Taurinos deſcendiſſe nunciabatur. Adduxiſſe verò equitum ſupra triginta millia, & alias inſuper copias in Italia ſuperadditurus. Hoc tanto apparatu attonitæ mentes futurum horrebant.

Oratores Francorum ad Florentinos ſocioſq; mandata habent.

Oratores auxilia poſtulant.

Nec multò pòſt Caroli Regis aderant Legati, ſocietatem ac defenſionem mutuam poſtulantes.

Legati Caroli Regis ſocietatem ac defenſionem poſtulant.

Eodemque ipſo tempore oratores alii à Duce Andegavenſi Florentiam venerunt, cum ingenti benevolentiæ ſignificatione. Non enim veniſſe, ut Florentinis cæteriſque civitatibus noceat; ſed ut faveat & opituletur. Nec agrum Florentinum ſuis copiis attingere in animo habere: ſed alio itinere profecturum. Rogare ut vel auxilia ſibi civitas conjungat, vel otioſam ſpectatricem ſe præbeat certaminis, neutri parti moleſtam vel faventem.

Oratores Ducis Andegavenſis auxilium cupiunt.

Per hoc ipſum tempus Ludovici quoque Ungariæ Regis aderant oratores, Carolo faventes, hortanteſque Florentinum Populum, ut cum Carolo Rege, cumque Urbano Pontifice vires conſocient: Venire quidem in Italiam Gallos non minùs pro Eccleſiæ ſubverſione, quàm pro Regni invaſione. Civitas haud dubiè ad Caroli Pontificiſque favorem erat propenſior: ſed deterrebat magnitudo potentiæ, quam non famâ aut terrore; ſed præſenti fide Andegavenſis afferebat. Itaque mediam quandam viam ſecuta civitas utriusque partis oratores in honore habebat plurimo.

Ludovici Regis Ungariæ oratores hortantur Florentinos, ut cum Carolo Rege & Urbano Pontifice vires conſocient.

Civitas utriuſq; partis oratores in honore habet.

Deniq; Andegavenſis oratoribus gratiæ actæ, & oblata gratanter ſuſcepta, & cum ſpe optima dimiſsi. Legatis verò Caroli neq; negare poſtulata, neq; aſſentiri placuit. Id modò reſponſum eſt, Florentinũ Populum per oratores ſuos Regi coràm ſuper his reſponſurum.

Reſponſiones oratoribus data.

Legati deinde ad Carolum miſſi excuſationem Regi fecerunt, quòd civitates, quæ erant in fœdere cum Florentino Populo, non cõſentirent in ſocietatem Regis

devenire. Hi erant Piſani, Senenſes, Lucenſes, Bononienſes, Peruſini: quorum Bononienſes maximè renuebant, propter naturam loci, quà Duci Andegavenſi erat tranſeundum. Nec ſibi & agro in feſtas reddere & provocare tantas copias volebant. Andegavenſis interea dimenſus citerioris Galliæ ſpatium in Bononienſem agrum pervenerat. Ad ipſum quoq; oratores miſsi, Ludovicus Marſilius (hic erat Theologus famæ præcipuæ) ac duo ſpendidiſſimi equites Luiſius Guicciardinus, & Guccius Cini. Hi in agro Bononienſi illi obviam facti, adventum ejus in Italiam gratulati ſunt, & civitatis devotionem erga ſe domumq; regiam oſtenderunt, benignéq; ab illo ſuſcepti, ac benè de ſe adventuq; ſuo ſperare juſſi dimittuntur. Iter hujus per agrum Gallicum & Picenum: Inde per Marſos regni fines ingreſsus, magnos continuò motus rerum ſuſcitavit. Nam Principes quidem & Populi, qui erga Reginam afficiebantur, frequentes ad eum, tanquam ad ſucceſſorem regni legitimũ defecère, ut Carolo difficilima regni defenſio redderetur. Acceſſit inſuper illud incommodum; quòd per hæc ipſa tempora Ludovicus Ungariæ Rex, unica ſpes Caroli atq; refugium, è vita migravit: Qui cùm nullum virilis ſtirpis filium reliquiſſet, Regni gubernacula, ad uxorem filiasq; delata, parùm firma videbantur, ut inde ſubſidium foret deſperandum.

Ludovicus Marſilius Theologus, Luiſius Guicciardinus. Guccius Cini.

Andegavenſis adventus magnos rerum motus ſuſcitat.

Ludovicus Ungariæ rex è vita migravit.

Per hæc ipſa tempora Urbanus Pontifex Romanus, timens Andegavenſis vicinitatem, ac præſentiam Gallicarum copiarum formidans, à Florentino Populo multis ac ſupplicibus verbis pecuniarum ſubſidia poſtulabat. Erant ſibi pecuniæ ex pace debitæ. Hæc poſtulatio Pontificis à fautoribus Caroli adjuta. Nam duo Reges, duoq; Pontifices de regno certabant: & erat una eademq; cauſa. Demùm hunc effectum ſortita eſt, ut dimiſſo Johanne Augo (qui Princeps militiæ Florentini populi erat) & ad ſtipendia Pontificis conducto pecuniæ illi Pontificis nomine ſolverentur. Augus igitur ſuſceptâ pecuniâ, militeque in ſupplementum contracto, Romam ad Pontificem profectus eſt. Nec multò pòſt à Pontifice Neapolim miſſus Caroli vires adauxit: quæ res Andegavenſis animum vehementer offendit. Itaque & palàm queſtus eſt de Florentino Populo, & in Galliam ſcripſit, ut Florentinis civibus eorumque bonis manus injicerentur.

Urbanus Pontifex à Florentino populo pecuniarum ſubſidia poſtulat.

Augus Romam ad Pontificem proficiſcitur.

Eodem anno Aretinis variè ſubventum. Nam poſtquàm abierant copiæ, à quibus urbs illa aliquot menſes fuerat occupata; deſcendentes ab arce cives urbem vacuam recepère. Simulque alii cives vel per agrum, vel per finitima opida diſperſi, pro multitudine quidem pauci, pro opulentis verò inopes domum remigrârant. Et bello nihilo minus vexabantur à Saconis filiis agnatisq;, totâq; illâ Gibellinorum factione: quibus reditus in urbem minimè patebat. Ad eos igitur, qui redierant in urbem, miſſa quædam ſubſidia ſunt, & orator ſimul aderat pacem quæſiturus: quod tamen obtineri nunquàm potuit. Ac jam inde ſpes quædam exorta eſt à Florentino Populo urbe illâ potiundi, arcanèque cum Regis Præfecto inſciis Aretinis agitatum eſt, de arce per ſimulationem occupandâ, quaſi non traderet Præfectus, ſed vi adimeretur. Hæc agitatio inter ſpem ac metum aliquandiu protracta demum evanuit; inhibente Præfectum Regis metu & arcani deſperatione. *Civitates enim, quæ populariter reguntur, neque celare ſciunt quod factum ſit, neque poſſunt: quippe multorum deliberatione & conſcientiâ in ſingulis decretis opus eſt.* Hic metus Præfectum retinuit. Caſtella tamen agri Aretini ſe Florentino Populo dedere volentia, præter unum Florianum recipere Florentini noluerunt, ne Regis offenderetur animus.

Aretinis variè ſubventum.

A Florentinis cum Regis Præfecto agitatur, de Aretina capienda.

Florianum Caſtellum Florentini recipere nolunt.

Eodem anno miſſi Genuam oratores controverſiam ſedârunt. Erat verò hujuſmodi. Veneti cùm ex maximo nuper bello pacem facerent, inter cætera promiſerunt Tenedum inſulam dimittere, ex cujus occupatione ortum ab initio fuerat bellum. Pœna ad hoc poſita fuerat centum quinquaginta auri millia. Florentini à Venetis rogati fidejuſſerant, niſi ea fierent, pecuniam ſolvere. Quæ cùm facta non eſſent, nulla fuit mora, quin bona omnia Florentinorum civium, quæ Genuæ, vel alibi in poteſtate Genuenſium erant, caperentur. Veneti autem de hoc à Florentinis compellati, reſpondebant, per ſe non ſtetiſſe, quò minùs Tenedos ut conventum fuerat, dimitteretur, cæterùm pervicaciâ Præfecti ſui id accidiſſe. Atq; ita cùm non tàm re ſatisfacere, quàm verbis cavillari viderentur, querelæ indignationisq; materiam attulêre. Cum Genuenſibus quidem, ut melius fieri potuit, res compoſita eſt: Ad Venetos autem oratores miſſi ad hæc expoſtulanda.

Tenedos inſula.

Eo, qui

Eo, qui ſecutus eſt, anno peſtis jampridem cœpta deſævivit, & fugæ rivium conſecutæ ſunt, per quas vacuefacta urbs ſuſpicionem dedit, ne à Plebe infima invaderetur. Itaque lex lata eſt, ne quis civis Florentinus domo abeſſet, quò frequentior eſſet urbs: nec deſerta à bonis in perditorum relinqueretur poteſtate. Sed neq; lex, neq; inhibitio tenere potuit fugas, quippe adverſus timorem mortis propoſitæ timor omnis alter tanquàm levior ſuccumbebat. Ea peſtis aliquot menſes civitatem afflixit, & inſignes aliquot viros abſumſit. Ob eam cauſam nihil dignum memoriâ domi vel foris eo anno eſt geſtum.

Lex fertur, ne quis Florentinus domo abſit.
Peſtis inſignes viros abſumit.

Altero dehinc anno Gallorũ alia manus per Priorum veſtigia transmiſſis Alpibus in Italiam venit, Andegavenſi ſupplementum allatura. Ducebat verò Engiramus quidam Gallus vir domi potens & militiâ clarus. Erant autem equitum ſupra duodecim millia. Hi cum circa Mediolanum perveniſſent, adjuti pecuniis & commeatu à Bernabove Mediolanenſi, ac ex longa via refecti, non iter illud tritum per Gallicum & Picenum: ſed ad dexteram flectentes per Placentinũ Lucenſemq; agrũ Hetruriam petierunt. Florentini, quanquam ſpecioſa dabant verba, ex agro res omnes in opida referri juſſerunt. Galli per Lucenſem agrum profecti, cùm Florentinorum fines primùm ingreſſi ſunt, non longè à Miniate opido caſtra fecêre. Et quanquam pacata obtulerant: tamen regionem cunctam prædati, ne ab oppugnatione quidem munitorum locorum temperârunt. Sex diebus à Miniate ad Staggiam profecti, (quod ſpatium vel uno die ſatis commodè potuiſſet confici) prædæ rapinæq; omnia exponentes in fines Senenſium devenêre. Hoc demum loco contumaciter loqui de Florentino Populo cœperunt, &, niſi pecuniæ darentur, minas facere. Florentini armato milite opida vitantes eorum minas longè contemſere.

Engiramus Dux Gallorum.
Staggia.
Galli præda & rapina omnia exponunt.
Galli contumaciter de Florentinis loquuntur.

In his locis dum eſſent Galli, in ſpem venerunt Aretii capiendi. Exules enim Aretini Ducibus Saconis filiis Gallos adeuntes, docuerunt, urbem illam eſſe Caroli, adverſus quem tanta dimenſi ſpatia progrediantur. Eam verò urbem capere nullum eſſe negotium, propterea quòd ambitus murorum permagnus ſit, defenſores autem pauci, ob ſuperiores illius urbis calamitates. Se inſuper dare ingreſſum poſſe, propterea quòd ex factione ſua nonnulli obſcuri generis homines ſint intus, qui nihil aliud, quàm adventum eorum præſtolentur. Hæc audientes Galli negotiũ ſuſcepêrunt. Sed quò diſſimularent, iter continuantes, verſus Cortonenſem Peruſinumq; agrum, quaſi in regnum abirent, tranſierunt. Inde mox converſo itinere, parte copiarũ ſuarum cum exulib. præmiſsâ, Dux cum reliquis omnib. ſecutus eſt. Exules igitur conſtitutâ nocte ad urbem profecti, antequàm ſentiretur, mœnia duobus locis conſcenderunt. Cives per tumultum exciti concurrerunt impigrè ad mœnia, ac deturbare hoſtem magnâ vi aggrediuntur. Dum ad mœnia, qua hoſtes conſcenderant, præliatur, ac magnis clamoribus res geritur; aliâ parte urbis, refractâ à proditoribus portâ hoſtes majori agmine irruperunt. Ad eam quoque portam concurſum eſt ab Aretinis, & prælia multis ſimul locis eodem tempore committuntur. Tandem majoribus hoſtium copiis continuò invadentibus, vicatim propè expugnata urbs ad primam lucem capitur tota, præter arcem. In eam enim juventus, ita ut armata erat, refugiens egregiè illam defendit. Per hunc modum Galli Aretium ingreſſi diripuerunt urbem. Captum eſt autem Aretium à Gallis triennio ferè, poſtquàm ab Italicis fuerat direptum.

Spes Gallorum Aretii capiendi.
Exules mœnia Aretii duobus locis conſcendunt.
Aretium capitur præter arcem.

Florentiæ verò ubi hæc audita ſunt, terror & querela civitatem invaſit. Terror quidem pro Gallorum propinquitate, quam infeſtam & gravem ſuſpicabantur fore: Querela verò, quia hoc jampridem futurum ſuſpicati, remedium non adhibuiſſent in exulibus Aretinorum coërcendis. Sed affuit ſtatim doloris medicina, quod eâdẽ illa nocte, qua captum eſt Aretium, certiſſimi nuncii Florentiam venerunt de obitu Ludovici Andegavenſis, quem in Apulia morbo conſtabat interiiſſe. Quare paulò pòſt ſignificantibus per ironiam Gallis, quaſi læta & proſpera, ſe Aretium cepiſſe, reſponſum eſt à Florentinis eodem figmento, non tàm gaudere ſe pro Aretio capto, quàm dolore pro Andegavenſis morte. Nec eſſe quod de eo dubitent, cum & genus morbi, quo defunctus ſit, & horam obitus certiſſimè ſciant. Galli hæc audientes ab initio cõtemnebant, fictam rem arbitrati, magnoq; nixu intra urbẽ & extra urbem tentaverunt arcẽ pervincere. Sed erat in arce egregia Aretinorum manus, viri bellaces & impigri ad pericula obeunda. Hi ſingulis dieb. eruptionibus factis, ita prælia conſerebant, ut mirificè utrinq; accenderetur certamen. Quod

Florentiam terror & querela invadit.
Ludovicus Andegavenſis in Apulia morbo interiit.
Galli tentant arcem pervincere.

enim

enim plures erant civium inter ſe pares, non ad unum aliquem ſumma rerum delata erat, ſed unaquæq; dies ſuum habebat Ducem. Ille verò cujus eâ die imperium erat belli, ita pulchrum ducebat excellere, nullum ut periculum prætermitteretur. Galli verò & per ſe naturâ feroces, & ab his provocati, ſtudioſiſſimè aderant. Structis aciebus incredibili virtute ante ipſam arcem pugnabatur: nec id levib. certaminibus, ſed pede collato, manibusque conſertis, ut juſta in pugna fieri conſuevit. Circiter dies ſexaginta in hunc modum perſeveratum eſt. Tandem Galli ob interitum Andegavenſis conſilio mutato non ultrà progredi, nec Apuliam petere, ſed in Galliam redire ſtatuerunt. Ad hoc cùm pecuniâ opus foret, de dedenda Florentinis urbe cogitare cœperunt. Id verò cùm intelligerent Saconis filii, totaq; illa Gibellinorum factio, quæ cum Gallis regreſſa in urbem fuerat, acerrimè reſtiterunt. Favebat quoque his Bernabos Mediolanenſis, qui novâ affinitate cum Andegavenſi contractâ, multum & autoritate & gratiâ apud Gallos valebat. Sed expeditior viſa eſt Gallis Florentinorum via, & pecunia promtior: Itaque poſthabito partium reſpectu ad Florentinos convertuntur. Qui arcem tenebant cives, ac Regis Præfectus hoc idem cupiebant, veriti longiorem obſidionem, &, ne urbs in manib. adverſariorum relinqueretur, formidantes. Ita Florentinis tradita arx à civibus volentib. cupientibusque: & à Gallis pactione urbs relicta. Ob Aretium receptum incredibili lætitiâ ludi Florentiæ celebrati ſunt. Luſit juventus equis ſtragulatâ veſte inſigniter ornatis.

Galli ob interitum Andegavenſis in Galliã redire ſtatuunt.
Galli de dedenda Florentinis urbe cogitare incipiunt.
Florẽtinis traditur Arx à civibus & à Gallis pactione Urbs relinquitur.
Florentini ludi ob Aretium receptum celebrantur.

Poſt hæc Saconis filiis bellum indictum. Occupaverant illi dudum caſtella permulta, & quædam vicina urbi poſſidebant. Contra hos igitur miſſæ Florentinorum copiæ caſtella pleraq; brevi abſtulerunt. Tandemque in arce Petramalæ incluſum Marcum, qui primus erat ex Saconis filiis, hominem ſceleratum & impium obſederunt. Ea obſidio aliquot menſes duravit. Tandem cùm ſpes nulla ſubeſſet, pactus, ut ſibi incolumi abire liceret, opidum tradidit, quod illicò ad ſolum everſum eſt magna cum lætitia bonorum. Fuerat enim id opidum latrocinii ſedes, & captivorum ergaſtulum, ac ſcelerum omnium deteſtabilis officina. A Senenſibus quoq; Sabinum & Gorgonſa, & alia quædam caſtella reſtituta: ab aliis quoque nobilibus caſtella opidaque demiſſa. Ita Aretium cum omnibus opidis ſuis in Florentinorum poteſtatem, tanquàm in portum aliquem deveniens, à longis jactationibus & acerbiſſimis tempeſtatibus requievit.

Saconis filiis bellum indicitur.
Petramala arx.
Marcus Saconis filius opidum tradit.
Sabinum. Gorgonſa.
Aretium cum omnib. opidis ſuis in Florentinorum poteſtatem deſcendit.

ANNO. 1385.
Bernabos Mediolanenſis à Iohanne Galeatio fratris filio capitur.
Vicecomitum familia per Galliã potentiſſima.
Placentia, Vercelle, Novaria, Dertona Galeatio obvenerunt.
Mediolanum.
Iohannes Galeatius uxorem duxit Regis Francorum filiam.

Secutus dehinc annus, qui fuit quintus & octogeſimus ſupra mille trecentos, multas habuit res novas atque inſignes. Principio ſiquidem ejus anni Bernabos Mediolanenſis, cujus potentia longo tempore formidabilis per Italiam fuerat, à Johanne Galeatio fratris filio captus, dominationem primò, mox vitam amiſit. De quo altiùs pro rei notitia videtur repetendum. Vicecomitum familia per Galliam citeriorem potentiſsima, longam poſt ſucceſſionem, dominatum omnem ad Galeatium & Bernabovem fratres transmiſerat. Hi partito inter ſe dominio concorditer vixerunt. In diviſione Placentia, Cremona, Parma, Laude, Brixia contigerant Bernabovi. Galeatio autem Papia, Vercelle, Novaria, Dertona, cæteræque civitates ad Alpes verſæ obvenerunt. Mediolanum commune utriusq; relictum eſt. Galeatius filium habuit Johannem Galeatium: Hic defuncto patre cùm dominationem ſuſcepiſſet, trãquillioris vitæ avidus putabatur. Eminebat tamen in eo forma egregia, & mores ad gravitatem compoſiti, & ſeu vera ſeu ficta bellorum turbationumq; deteſtatio. Adoleſcens cùm eſſet, uxorem duxit Regis Francorũ filiam, quâ mox defunctâ pro ſtabiliori cõcordiæ vinculo Bernabovis filiam in matrimonium ſuſcepit. Sed nec eo quidẽ modo ſublatæ ſuſpiciones: *uſq; adeò infida eſt dominandi cupiditas.* Bernabos enim & naturâ acer, & cupiditate nimius, & abundans filiis meritò formidandus: Hic autem propter ætatem ac ſolitudinem opportunus injuriæ videbatur. Quomobrẽ Mediolano abſiſtens, quo tutior foret, Papiæ degebat, & congreſſum Bernabovis ſtudioſè vitabat. Magnaq; illi erat cura paternas veteres amicitias tuendi, & novas inſuper cõparandi, manſuetudine & clementiâ conciliare ſibi animos hominũ properabat. Hæc autẽ per ſe grata acceptiora efficiebat Bernabovis acer immitisq; natura: Utq; brevi cõplectar, eorũ alter amari, alter metui ſtudebat. Quare & fama proſperior & Populorum favor juvenem complectebatur. Tandem cùm Bernabos occultè inſidiari ſibi putaretur, antevenit Galeatius, ac Bernabove capto, potentiam ac dominationem totam in ſe unum convertit. Cremona

Placenti

Placentia, cæteræq; Bernabovis civitates uno propè tenore ad Galeatium defecerunt. Bernabos ipſe captus haud multò pôſt obiit diem.

Bernabovis civitates ad Galeatium deficiunt.
Bernabos captus obiit diem.

Hæc Florentia audita haud quaquàm ab initio diſplicuère. Quippe contentiones civitati fuerant adverſus Bernabovem, & non ſatis fidum illius ingenium credebatur. Sed mox reputantibus, quanta potentia in unum cumulata foret, eundemque eſſe juvenem ætate & conſilio reconditum, quod Bernabovis exitus comprobârat; Suſpicio jam inde ac formido ſuborta eſt, quonam hujus cœpta forent evaſura. Et in Gallia quidem per hunc modum res proceſsère. In Apulia verò poſt Andegavenſis obitum, quaſi ſublato duriori adverſario, contentiones graviſsimæ inter Urbanum Pontificem, & Carolum Regem ſunt ſtatim exortæ. Adeòq; exarſerunt iræ, ut Rex Pontificem armis perſequeretur, tandemq; in urbe Luceria compulſum obſideret. Cauſæ verò diſcordiarum erant importuniſſimi Pontificis mores, & ingenium inquies & protervum, nec præſenti Regi, nec mediocri quidem homini tolerandum. Ad hos igitur pacandos miſſi oratores à civitate nihil proficere valuerunt. Pontifex tamen haud multò pôſt ab inimicis Regis obſidione liberatus, finibus Regni exceſſit, ac Genuam navibus delatus per ea loca aliquandiu reſedit. Eodem anno Carolus Rex in Ungariam profectus eſt, vocantibus proceribus ejus regni, quòd neque gubernationem Reginæ matris, neque filiarum recipiebant, & trahi extra regiam ſtirpem regnum, ad generosq; deferri ægrè patiebantur. Itaq; ad Carolum converſi, quòd foret ejusdem ſtirpis, eum vocabant ad regnũ Ungariæ ſuſcipiendum. Carolus quoq; ipſe, quod erat in Ungaria educatus, magno exarſerat deſiderio ejus regni potiundi. Quare ſtabilitis jam ad aliquem modum in Apulia rebus, profectionem ſuſcepit. Cumq; pecuniæ, quas daret militibus, deeſſent, Florentinorum civium, qui in Apulia negotiabantur, bona ſuſcepit, coactis poſſeſſoribus tradere, ac æſtimatione factâ precium expectare. Per hunc modum paratis Italorum copiis Ungariam petiit. Quò cùm tandem perveniſſet, favore Principum Populorumq; Rex conſtituitur. Sed paucis poſt coronationem diebus dolo Reginæ, quondam Ludovici Regis uxoris, dum eam adit, ab occultis in cubiculo percuſsoribus graviter vulneratus & captus, vel ex vulnere, vel ex accelerata inſuper morte interiit.

Contentiones inter Pontificem & Carolum regem exoriuntur.
Rex Pontificem armis proſequitur.
Luceria urbs.
Cauſa diſcordiarum.
Genua.
Carolus Rex ad regnum Ungariæ ſuſcipiendum vocatur.
Carolus Florentinorum civium bona ſuſcipit.
Carolus Rex conſtituitur Ungariæ.
Carolus dolo Reginæ vulneratur & ita moritur.

Florentiam verò literis Caroli alatis, quibus regnum Hungariæ ſuſceptum à ſe ſignificabat, ludi totâ urbe apparatu inſigni celebrantur, fueratq; multos dies in eo civitas occupata. Inter hæc aliæ literæ de illius obitu ſupervenêre, quib. fides ab initio negata, & pro vanis habitæ. Tandem verò cùm pluribus ex locis idem nunciaretur, mœſta ut plurimùm civitas illius caſum miſerata eſt. In Hungaria verò poſt mortem Caroli gravioribus diſcordiis ſubſecutis, Regina, cujus dolo interierat, capta eſt, ac percuſsorum ejus capita in Italiam ad Caroli filios uxoremque transmiſſa. Superſtites Caroli fuerunt Ladislaus filius tunc admodum puer, & Johanna ejusdem ætatis puella. Hi ſub tutela matris regnum Apuliæ tenuerunt, nec prius quidem firmum, & tunc per mortem Regis totum vacillans, Populorum quidem parte filiis Andegavenſis adhærente: proceribus verò diviſis, ac propriæ magis potentiæ curam habentibus, quàm Regis alterutrius aſſerendi.

Florentia Caroli mortem miſeratur.
Regina capitur.
Superſtites Carolo fuerunt Ladislaus filius & Johanna puella.

Altero dehinc anno in Urbinates exercitus à civitate miſſus ex hujusmodi causâ. Antonius Feretranus Urbinatiũ Princeps bellum inferebat Franciſco Cantianenſi. Florentini verò pro amicitia utriusque Legatum ſuum eò misêre, gratiâ rerum componendarum. Is cùm ad Feretranum veniſſet, ac rem tractaret, quo facilius diſceptaretur, ad præſentiam Feretrani Cantianenſem ducit. Quod cùm factum eſſet, Feretranus nullo reſpectu, aut reverentiâ Legati, in illum manu injectâ, caſtellum, de quo lis erat, præſenti metu extorſit. Florentinus igitur Populus uſque adeò tulit graviter, autoritatem ſuam in perſona Legati deminutam, ut confeſtim indicto bello, copias in eum mitteret. Hæ copiæ Tiferno primùm convenêre: Inde per Eugobinos & Callenſes profectæ, magnas Feretrano intulerunt clades. Nec prius deſtitêre, quàm reddito caſtello, & omni re in priſtinum ſtatum repoſitâ, ad arbitrium poteſtatemq; Florentini Populi controverſia redigeretur.

Exercitus à Florentinis in Urbinates mittitur.
Antonius Feretranus Urbinatium Princeps.
Franciſcus Cantianenſis.
Eugobini, Callenſes.

Eodem anno Licianum opidum de Senenſib. receptum (tenuerant enim id opidum ſatis longo tẽpore Senenſes) per Aretinorũ ſeditiones atq; diſcordias ſuſceptum. Sed poſtquàm Aretium in poteſtatẽ venerat, repetitum à Florentinis, ac tandem receptũ eſt ex Bononienſium ſententia, quib. ea controverſia fuerat commiſſa.

Licianum opidũ.

Per hæc

Pontifex militē conducit, & apparatus facit.

Liberi Populi omnes ſeſe erigunt ad curam libertatis retinendæ, præter Peruſinos.

Per hæc ipſa tempora Urbanus Pontifex Romanus ex urbe Genua Lucam venerat. Ibi cùm militem conduceret,& apparatus majores faceret, ſuſpicionem præbuit, ne antiquum Eccleſiæ dominatum meditaretur. Ob hoc igitur Bononienſes cæteroſque liberos Populos, qui dudum Tyrannidem Clericorum experti fuerant, commonefacere placuit,ac eos hortari. Quibus adhortationib. excitati ſeſe omnes erexêre ad curam libertatis retinendæ,præter Peruſinos. Hi enim Pontificem vocabant, cupiebantque in urbe recipere. Nec proderat per literas & oratores ab eo conſilio deterrere, nec priſtinam eorum ſervitutem & injurias commemorare, neque cohortari ad curam libertatis, neque auxilia magna, egregiaque polliceri. Dehortationem iſtam Pontifex reſciſſe creditur, & indignationem animo concepiſſe. Itaque cum poſtmodum Peruſiam vaderet, non recto itinere, ſed Florentino de induſtria vitato agro,per Piſanum & Senenſem longâ & incommodâ viâ Peruſiam profectus eſt. Eodem anno Suſinana & Coloretum,& alia quædã Ubaldinæ gentis caſtella per Apenninum ſita ad ſolum diruta ſunt. Creſcente ſuſpicione Johannis Actii,qui ex ea familia reliquus militiæ deditâ operâ famam ingentem ac potentiam ſibi comparaverat, & tunc magni Dux belli, quod Patavinus contra Veronenſem gerebat,inſigni victor prælio,favore ac ſermone plurimo celebrabatur. Quia verò cõfectũ erat bellũ,ferebãt permulti,illũ in Hetruriã eſſe venturũ. Ne igitur in vitamento paternarũ arciũ pelliceretur, arces ipſas diruere placuit.

Suſinana. Coloretum. Ubaldinæ gentis caſtella diruuntur. Iohannes Actius famam & potentiam ſibi comparat.

Area nova reficitur circa Palatium.

Eodem anno ampliata eſt circa palatium area,privatorum ædificiis ad ſolum dirutis, ruderibusq; purgatis,vetuſtâ Romuli æde ſublatâ nova refecta.

Turbationes graves exoriuntur. Benedictus Alberti.

Principio in ſequentis anni turbationes domi graves exortæ ſunt ex hujusmodi cauſa. Benedictus erat Alberti,eques Florentinus,ex familia magna & opulenta. Ipſe tamen ſuo potiùs ingenio, quàm agnatorum voluntate in turbulentis illis temporibus cum Tomaſo Stroza & Georgio Scala ſenſiſſe videbatur, multumque per id tempus in Rep. potuiſſe. Supplicio certè illi, quod de civibus egregiis ſumtum eſt, armatus affuerat. Hunc, mutato poſtea Reip. ſtatu, cives, qui redierant, præcipuè verò interfectorum propinqui, oderant plurimùm, ægreque patiebantur. Cùm itaque ſortitionibus Magiſtratuum, qui tertio Calend. Maias fieri conſueverunt, Benedictus vexillifer ſocietatis Populi extractus fuiſſet, quem Magiſtratum octavo Idus Majas erat initurus: Et fortè contigiſſet, ut eodem illo tempore Philippus Magaloti eques Florentinus, ejus gener, vexillifer juſtitiæ futurus eſſet, homo juvenis,& autoritati illius maximè obnoxius,metuere adverſarii, & inſurgere cœperunt, nequaquàm permiſſuri, ut tantam nanciſceretur poteſtatem. Et arma quidem ſtatim parari cœpta ſunt, occultè primò; mox apertiùs ex agro & clientelis in urbem accita. Deinde à genere incipientes, objectâ ſibi minori ætate,nec tanti Magiſtratus capace effecerunt,ut Magiſtratus illi negaretur. Alterq; in ejus locum ſortitus eſt ex intimo adverſariorum,ut ita dixerim,ſinu. Is cùm Magiſtratum iniiſſet,& adverſariis Benedicti faveret,tandem ille pulſus urbe relegatur,cauſâ objectâ,quòd armatos domi contra Remp. habuerit. Relegatus eſt item cum eo Cyprianus illius agnatus, & magnæ parti familiæ interdictum Reip. adminiſtratione. Ad cives deinde ejusdem factionis converſi, multos pepulerunt, multis interdixerunt Remp. gerere. Ita purgatâ urbe, perculsâque contrariâ factione,ipſi certius ac firmius gubernationem ſibi aſſeruere.

Sortitio Magiſtratus 3. Cal. Maias fiebat. Philippus Magaloti.

Philippo Magiſtratus negatur.

Cyprianus relegatur.

Suſpicio de Galeatio civitatem premit.

Galeatius Verona & Vincentia dominus fit.

Per hæc ipſa tempora ſuſpicio de Galeatio Mediolanenſi indies creſcens magis ac magis civitatem premebat. Ille enim fervente nuper inter Veronenſem ac Patavinum bello, cùm diu inter ſe conflictati imbecilliores facti eſſent; repentè ſe immiſcuit eorum certaminibus, & Patavino conjunctus Veronenſem delevit: Veronæque & Vincentiæ dominus factus ad priorem potentiam magnum ſuperaddidit incrementum. Nec multò pòſt adverſus Patavinum ſuſcepto bello, ipſum quoque dominatu ſpoliaturus videbatur. Auctus igitur primò Bernabovis potentia, mox inſuper Veronenſium Principum: acceſſuris etiàm Patavinorum opibus formidabilis erat, nec immeritò illius magnitudo à liberis Populis formidabatur, præſertim cùm & in Bernabove,& in Patavino deprǣhenſus eſſet, *aliud fronte ſimulare, aliud corde ſentire. Itaque quanto ſpecioſiora prædicabat verba, tanto ſuſpectior habebatur.* Jam verò quicquid per Hetruriam ſtrepebat, ab eo putabatur oriri. Maxima verò formido habebat Bononienſes, civitatem non inconſuetam Vicecomitum dominatus,quam & Johannes, hujus patruus magnus,& Olegianus tenuiſſet. Quò

veluti

L I B. ati illum ad ſe pervadendos Bononienſes arbi-
veluti quodam ſucceſſorio jurentini Populi, ob eum metum perſeverabant
trabantur. Hi cùm eſſent ſim & ipſi veteris ſocii jam tunc viſi ſunt ad Medi-
in fœdere. Nam Senenſeſum novarum, ac magnitudinem Florentini Populi
olanenſem reſpicere, euſaaquàm læto animo ſpectanres. Urebat inſuper Li-
poſt Aretium ſuſceptun Cortonæ Polliciani que oblario. Cortonenſes enim
ciniani extorta poſſeſſium eſſent, illis neglectis ſe ad Florenrinos converte-
Tyranni cùm in fide Sianenſes. Nam cum diſcordiâ intet Principes ortâ, alteri
rant. Idem ſecerant que ad Senenſes, in quorum erant ſide, confugiſſent, eo-
alteros pepuliſſent atui in urbem molirentut; altera pars, quæ tenebat opidum,
rumque autoritate ſſa eorum auxilia implorabat, & opidum dedere Flotentino
ad Florentinos e Non reclpiebatur apertè opidum, ſed auxiliis fovebatur. Qui-
Populo parara e is commoti Senenſes, nihil non turbationis quæſituri videban-
bus indignati in Legatos arcanis de rebus ad Galeatium miſerant, famaq; incre-
tur. Jam illi q bem illi dedidiſſe: & provocaſſe Galeatium ad rem Hetruſcam ca-
buerat ſeſe alia de cauſa, quàm ut Florentinos ulciſcerentur. Ob hæc igitur
peſſendam, onibus redundare cœpetunt.
cuncta ſuſ

> *Cortonenſes Tyrannum ſe ad Florentinos converterunt.*

Dec ac cùm de his tebus ad conſilium civium teferretur, aſſurgens Johan-
nes Rie in hunc modum orationem incepit: Hic homo ſigna multa facit. Licet
enim i o, de quo hæc verba ſcripta ſunt, pacis erant ſigna, in hoc belli: In illo cu-
piend in hoc formidanda, tamen nil vetat etiã de ràm diverſis eadẽ verba proferri.
Nam hic homo ſigna multa facit, & quidem magna ac terribilia, nec ullo modo
à n is negligenda. Nam ſi in Gallia ſolummodò ejus cogitatio verſaretur, eſſet id
quidem à nobis nequaquàm formidandum. Nunc autem Senenſibus finitimis no-
ſtris & adverſum nos iratis ſeſe uſque adeò impartiri, ſpeſque ac fiducias eorum
ſuis opibus augere: Lucenſes verò ac Piſanos ſtudioſiſſimè ſibi vendicare, & ubiq;
per Hetruriam ejus nomen pullulare atque oriri, ſigna ſunt manifeſta, illum contra
civitatem noſtram ſpes cogitationeſque ſuas convertiſſe. Nec alienum ſanè vide-
tur Hetruriæ cœptum ab illius progenie, quod dudum Johannes Mediolanenſium
Præſul, hujus Galeatii patruus magnus, & poſtea Bernabos patris germanus aggreſ-
ſi ſunt. Habet verò iſte facultatem & fiduciam longè majorem, quàm ſui progenito-
res habuerunt, ob hanc recentem à nobis Senenſium alienationem. Conſiderate
hujus naturam dominandi cupidiſſimam, & ſitim immenſam extendendi imperii.
Erat ſibi ab initio paternum regnum longè ampliſſimum, cùm omnia ferme loca
inter Mediolanum & Alpes poſſideret. Non contentus paterno, Bernabovis inſu-
per regnum concupivit, mirabilique arte ſibi illud adjunxit. Huicquoque duplica-
to imperio non acquieſcens, Veronam & Vicentiam cum maxima ditione, & in-
numerabilibus penè opidis ſuperaddidit. Nec his etiam contentus Patavium ur-
bem cum tota Patavinorum potentia ſibi vendicare perrexit. Nec in eo conſiſtit in-
explebilis ejus cupiditas: Jam Bononiam appetit, quaſi hereditariam: Jam Apen-
ninum ejus transgreſſa ſpes ad Senenſes Lucenſeſq; extenditur. Hæc igitur intu-
entes, ô cives! inſurgere debetis, ac defenſionem libertatis veſtræ meditari. Neq;
enim credendum eſt, illum Senas & Lucam concupiſcere, Florentiam verò non
concupiſcere: ſed illas habere vult, ut hanc adipiſcatur. Illud prætetea conſideran-
dum eſt, non eâdem mente contra vos illum venire, quâ contra civitates alias. Co-
gitat enim, ſervitutem vos pati non poſſe, qui libera in civitate nati, non modò non
ſervire, ſed dominari aliis conſueſtis. Itaque nec vos ſub jugo tenere, nec cæteras vi-
cinas urbes firmiter poſſidere poſſe exiſtimat; niſi Florentiam magnâ plagâ proſter-
nat, ut, etiamſi liberare ſe cupiat, nullam habeat facultatem. His ergò rationibus il-
lum inimiciſſimo contra nos eſſe animo putandum eſt, ac omni nixu inſurgendum
ad ſalutem libertatemque noſtram retinendam: & pecuniis & armis & conſiliis e-
nixè conandum, quo relictam nobis à parentibus gloriam non amittamus. *Nam
turpe quidem foret, immò turpiſſimum, cùm majores noſtri ex parva & exigua ma-
gnam & opulentam hanc patriam fecerint; nos uſque adeò ab illorum virtutibus de-
generare, ut hac grandia & praclara nobis relicta tueri neſciamus, praſertim cum ne-
que pecunia nobis, neque opes deſint: libertatem verò non ſolùm pecuniis & opibus;
verum etiam vita debeamus anteſerre. At enim hac, dices quiſpiam, rectè mones,
ac facere cuncta parati ſumus: Sed tu remedia nobis oſtende.* Dicam igitur quæ

> *Iohannis Riccii oratio.*

> *Patavium.*

Google

Conſilium Iohannis Riccii.

mihi videntur. Primum & ante omnia
verbis, aut fronte compoſitâ decipiamur. dum cenſeo, ne illius aut fictis
ſenſus, ac profunda quædam voluntatis dnim altus & reconditus in eo
mox in Veronenſi: inde in Patavino depræhêatio, ut in Bernabove prius,
tificio ad extremum pervertit, *cùm aliud ageret*, eſt: quos omnes eodem ar-
tibus veſtris ſemper hæc fixa immobiliſque ſet*ſimularet*. Sit igitur in men-
cupere & moliri, quàm ut Florentiæ dominetur a, nihil illum uſque adeò
facere, quæ facit. Deinde copias jam nunc paranoque gratiâ illum omnia
ſubitos improviſoſque conatus queant reſiſtere. A re dico, quæ contra illius
maximum nobis periculum imminet, cùm & copias hinis enim invaſionibus
dominus voluntatum deliberationumque ſuarum, & n ingentes, & ſit ipſe
dare poſſit fieri, cujus contrarium eò uſque ſimulârat. Nento temporis man-
ratæ ſint copiæ ad reſiſtendum, nihil in tempore ageremuverò niſi prius pa-
non poſſunt ſubita repentináque pericula collectitiis evocatiſque *Non poſſunt enim,* *is propulſari.* Pa-
ratas jam ad hoc ipſum ſtructaſque eſſe oportet, quo periculpentè ſuperve-
nientia propulſemus. Viros præterea deligendos cenſeo, mag. prudentiâ lon-
gâque experientiâ probatos, qui tanquam in ſpecula cura eirciciant & at-
tendant. Utiliſsimum inſuper exiſtimo, vicinos omnes noſtros in micitia con-
tinere. *A vicinis enim facultas prabetur nocere volentibus, & aufertur.* Bononien-
ſes verò fovendos auxiliis, & in ſocietate conſervandos puto. Urb.nim illa,
ſi ab hoſtibus occuparetur, permagna nobis pericula afferret. Hæc o nia non
raptim, neque trepidè, ſed quâ decet moderatione facienda puto; *ne ſi, qui*
bellum timemus, velle inferre bellum aliis videamur. Mittendos etiam ce. o in
ulteriorem Galliam Legatos ad Francorum Regem, qui iſta denuncient & on-
ſilium petant. Facilè quidem erit, ut ſunt Gallorum animi, vel ex hac ſola o-
ſtulatione conſilii mentes quorundam erigere ad Alpes, ſi expediet, transcu-
dum. Dixi, quæ mihi in præſenti facienda videntur: vos quod facturum ſit opti-
mum recipiatis.

Ea cùm dixiſſet Johannes Riccius conſedit. Cæteri verò, qui in conſilio ade-rant, hujus ferè ſententiam comprobârunt. Itaque civitas id conſilium ſecuta ca-vere diligentiùs, & circumſpicere ſingula perrexit.

Florentini conventiones quaſdam ineunt.

Carolus Bernabovis filius,

Senenſes Oratores Florentiam mittunt.

Policianum opidum.

Per idem tempus in Picentibus atq; Umbris permagnæ copiæ in ſocietatem cogi nunciabantur, mox Hetruriam petituræ: quas & obſervare ne obeſſent, & ſibi conjungere Florentini perrexêre. Hæ copiæ per hiemem coactæ, ut primum ver advenit, Perusinum agrum ingreſſæ modò ad Cortonenſium, modò ad Senenſium fines deflexêre: gravis profectò vicinitas, & quæ omnia latè turbaret. Ad hos igitur Florentini miſſis oratoribus, conventiones quaſdam inierunt: quæ res magnâ apud Senenſes Piſanoſq; ſuſpicionem induxit. Et quicquid poſtea per eas copias geſtum eſt, quaſi id pactum à Florentinis eſſet, civitati ferebatur acceptum. Tetigit quoque ea ſuſpicio Galeatiũ Mediolanenſem, præſertim poſtquàm Carolus Bernabovis filius eum his ſeſe copiis conjunxit, & Antonius Veronenſis nuper dominatu pulſus. Senenſes verò his copiis conterriti oratores Florentiam miſêre, varieq; tractatũ eſt de cõtroverſiis ſopiendis, & de conjunctione priſtinâ retinendâ. Difficultatem rei afferebat Policianum opidum, quod neq; deſeri cum honeſtate, neq; retineri poſſe ſalvâ Senenſium amicitiâ videbatur. Nec una eademq; mens civium erat, cùm alii dimittendum omninò opidum exiſtimarent, quo Senenſes in amicitiâ tenerentur: Alii nequaquàm dimittendum, ſed retinendum cõſervandumq; cenſerent, utpote Senenſib. aliis quoq; rebus inſenſis, ne ſi illud recipiant quieturis. Erant etiam ferociores quidam, qui mittendas in Galliam copias, & Patavino, qui tunc à Mediolanenſi premebatur, opem ferendã exiſtimarent. Per hanc variationẽ ſententiarum, quanquam frequenter agitarentur conſilia: nihil tamen conſtituebatur.

Galeatius Patavium capit.

Inter hæc Galeatius Patavium cepit: quod poſtquàm Florentiæ auditum eſt, duplicatâ ſuſpicione certiſſimum bellum expectabatur, & magis quàm antea de conciliandis Senenſibus cura ſubibat.

Policianum in bonis Florentinorum.

Erant Florentiæ Policianenſes legati: qui cùm variationem voluntatum civiũ intellexiſſent, quod alii recipiendum omninò opidum, alii nec auxiliis ſovendum cenſerent; docti, ut creditur, à fautoribus ſuis, ad ærarium profecti Policianum opidum in bonis Florentini Populi ſcribi referriq; juſſerunt, mandatum allegantes, quod ad dedendum id opidum habebant. *Quæ verò in bonis Populi ſcripta ſunt, ea*

ſine decreto Populi alienari non poſſunt. Policianum igitur per hunc modum receptum eſt. Ea receptio quoquo modo facta plurimum irritavit Senenſium animos, quaſi parùm integrâ fide per contumeliam atque injuriam opido ſibi ademto. Nec poſt hac iras texêre, aut pepercerunt querelis, apertè jam Mediolanenſis potentiam aſciſcentes. Ipſe quoq; Galeatius conqueri tunc primum cœpit adverſus Florentinos, quod Bernabovis filium & Antonium Veronenſem inimicos ſuos eorum opibus augerent. Nec multò pòſt, quaſi pararentur ſibi inſidiæ, Florentinos omnes ex opidis urbibusque pepulit. Quæ poſtquam Florentiæ audita ſunt, nulli fuit dubium, quin bellum adeſſet, ac parandas jam inde copias, quibus illi reſiſteretur, omnes cenſebant: Simulque in ulteriorem Galliam mittendos Legatos, qui aliquem Principum contra hujus potentiam excirent: Et Johannem Augum Bernabovis filio conjungendum, mittendosque ſimul in Transpadanam * Galliam ad paternas amicitias clientelasque concitandas.

Galeatius adverſus Florentinos conqueritur.

MS. P. trāsalpinam.

In medio apparatu futuri belli Petrus Gambacurta Piſanorū Princeps Florentiam venit, & quaſi communis amicus monendo atque hortando Florentinum Populum ad curam pacis revocavit, tantumque valuit autoritas ejus viri, ut arma jam ſumta è manibus extorqueret. Fœdus in triennium firmatum, in quo Mediolanenſis & Florentini, & Senenſes & Peruſini uno ſimul vinculo colligati ſunt. Ictum eſt autem id fœdus Piſis autore Gambacurtâ, Legatis ſingulorum in eo loco coëuntibus, approbantibusque poſt ſatis longam diſceptationem.

Petrus Gambacurta Piſanorum Princeps.

Fœdus Piſis initur.

Per hæc ipſa tempora Urbanus Pontifex è vitâ migravit, vir à Simoniaca purus labe, cæterùm protervus naturâ atque perverſus: Et Bonifacius in Pontificatu ſucceſſit.

Urbanus Pontifex è vita migrat. Bonifacius in Pontificatu ſuccedit.

Altero dehinc anno ſtatim majores quàm primò renovatæ ſuſpiciones. Galeatius enim procuratam ſui necem à Florentinis querebatur: idque per literas quibusdam proceribus & civitatibus ſignificavit. Conquerebatur etiam acerbè, quòd Johannes Riccius publico Florentinorum conſilio eum notaſſet, quaſi fraudulentum hominem atque inſidum: & quod ejus in Bernabovem perfidiam exprobraſſet, ab eoque perinde quaſi ab hoſte cavendum eſſe monuiſſet, ac veneno quærendam illius necem ſuaſiſſet, audiente civitate & approbante. Referebat etiam ad fidem, principium orationis illius fuiſſe: Hic homo ſigna multa facit, & quædam affigebat, quo rem magis aggravaret. Hinc abreptâ occaſione cunctos Florentini nominis per opida ac loca ſua verſari commorarívé inpoſterum vetuit. Quæ ubi Florentiæ audita ſunt, nulli fuit dubium, quin bellum adeſſet, & omnis ſpes unquàm futuræ pacis in tanta vacillatione & inconſtantia perderetur. Placuit tamen ad calumnias ejus reſpondere, *ne forſan taciturnitas conſcientiam arguere videretur*: nec ſibi ſolùm; verùm etiam ad Venetos & Genuenſes & Piſanos literis miſsis, quæ de procurata morte ſcripſerat, magnificè refutata ſunt. *Non enim eſſe morem Florentini Populi veneno adverſarios necare, ſed armis apertè, cùm expedit, bellum inferre: Venenis autem & proditionibus uti, Tyrannorum eſſe, non populorum.* Sed ipſum cauſam belli quærere, & ea fingere, quæ novit vera non eſſe. Quod autem cives Florentinos opidis ac locis ſuis pepulerit, ſe contra facturos eſſe: Itaque publico edicto invitare omnes ſuos, ut liberè commorari Florentiæ, cæterisque urbibus Florentinorum poſſint.

Galeatius Florentinos per loca ſua verſari vetat.

Inter hæc omnia majoribus ubique ſuſpicionibus redundare cœperunt. Senenſes quidem & Peruſini fœdus Piſis ictum, ratum habere noluerant: Galeatius verò civitatis oratores ad Regem Francorum proficiſcentes per viam detinendos capiendosque curaverat. De his omnibus querelæ civitatis nomine referebantur ad Petrum Gambacurtam, qui autor ac ſuaſor fœderis ineundi fuerat. Sed ipſe vir bonus ſincerique animi, quantum valebat & poterat, turbulentis rebus medebatur. Et ſatisfaciebat quidem Florentino Populo rectitudine judicii ac bonâ voluntate: Itaque Mediolanum proficiſci volentem, ad hæc expoſtulanda, Florentini retinuerunt, formidantes illius ſtatui & Piſanorum libertati. Multa tamen per hunc ipſum virum & per alios eo ipso tempore cum Senenſibus agitata ſunt, conantibus Florentinis, ſi quà poſſent, ad veterem amicitiam illos reducere. Atque his de rebus ſæpiùs oratores miſsi, etiam cum oblatione relinquendi Policiani in manibus ſociorum. Hæc & per ſe & per Legatos Bononienſium cæterorumque amicorum Florentini quæſiverunt: Sed cuncta incaſſum, adeò Senenſium animos indignatio exacerbaverat, præſertim cùm haud multò prius, facto & operâ Florentini Populi,

Senenſes & Peruſini fœdus Piſis ictum ratum habere nolunt. Querelæ civitatis referuntur ad Petrum Gambacurtam.

per Johannem Augum & copias ejus ſe impetitos cognoſcerent, ut metu ad amicitiam Florentinorum redire compellerentur. Sed neque oblata humiliter, neq; minæ terrorésve profuerunt adverſus mentes Senenſium obſtinatâ indignatione ſaucias.

Motus in Peruſinis.

In Peruſinis quoque motus erat non diſsimilis, conquerentibus jampridem, quod eorum exules à Florentinis foverentur, quodque latrones in ſocietatem coacti Florentinorum operâ eos offendiſſent. Et jam arces quædam per proditionem tentatæ dicebantur, ut Miniatis opidi & Anglaris. Et in Aretinis motus quidam conciti per Angelum Tarlatum Petramalenſem, & Battholomæum ejus agnatum. Ita bellum, etſi nondum erat, tamen haud dubiè parabatur.

Angelus Tarlatus Petramalenſis.

Rex Francorum Florentinos protegere vult.

Inter hæc Rex Francorum per oratores ſuos nunciavit, Florentinos protegere ac tutari velle. Ob hæc autem duo poſtulabantur; primum, ut civitas Clementem, ut verum Pontificem Romanum in ſpiritualibus ſectaretur: Secundum, ut donum aliquod annuum cenſus nomine Regi dare inſtitueret, quo appareret protegendi tutandique jus Regi incumbere. Hæc utraque magno animo negata ſunt Regi, quoniam alterum vacillationem fidei; alterum diminutionem libertatis continere videbatur. Itaque maluit Florentinus Populus ſuis propriis viribus bellum periculoſum & maximum ſuſtinere; quàm illa Regi concedere, quæ erant contra dignitatem: Nec poſtulantibus regiis oratoribus ad ſuum arbitrium pacem remitti cōſenſit, ob earundē rerum ſuſpiciones. Demùm verò cùm hinc inde exarſiſſent animi, Galeatius per literas ſuas civitati bellum indixit. Exemplum earum literarum hîc ſubjeci: Galeatius Florentinis. Pacem Italicam omni ſtudio hactenus indefeſsâ intentione quæſivimus, nec laboribus pepercimus nec impenſis. Optabamus enim, quòd laſſata longævis bellis Italia ſemel temporibus noſtris in pace quieſceret: Idque tanto animi fervore flagravimus, ut nonnunquàm per malos interpretes vitio nobis aſſcriptum fuerit, quòd humanitate & charitate facere nitebamur. Sed omnia fruſtra tentavimus, prævalentibus conſiliis reproborum. Maluit enim, non dicimus veſtra magnifica communitas, de quâ nihil tale opinari poſſemus: ſed paucorum Arciguelphorum veſtrorum ſeu rabies ſeu diffidentia malè fundati & tremuli ſtatus ſui, qui florentem illam civitatem ſub libertatis ſpecie tyrannizant, guerram quàm pacem eligere, & pacis indigam patriam & Italiam pro magna parte ſtrepitibus bellorum involvere: Violatis (quod execrabilius eſt) in grande damnum & inæſtimabilem jacturam magnificorum filiorum noſtrorum, Senenſium, & Peruſinorum, ignominiamque noſtram, occultè primò, quantum fieri potuit; & tandem palàm fœderibus univerſalis ligæ, quæ fuerat longis tractatibus & validis ſolennitatibus confirmata. Utinam in ipſos ſolos, & non alios pacis avidos, & in ipſorum capita, & non in ipſam miſerandam patriam deteſtabilia hæc ſua conſilia & opera redundarent. Quibus, præter naturam noſtram, & omne noſtrum propoſitum ad ulciſcendum illatas filiis & amicis noſtris, contra conventa ligæ fœdera, innumerabiles offenſas, adverſus tyrannizantem Arciguelphorum veſtrorum ſtatum à die præſentationis hujus noſtræ diffidentiæ in arma neceſſariò provocamur.

Galeatius Florentinis bellum indicit.

Litera Galeatii ad Florentinos.

Reſponſio Florentinorum ad Galeatium.

Ad has literas prolixiùs duriùsque reſponſum eſt à Florentinis cum ſingulorum capitum reprobatione. Pacem omni ſtudio quæſiviſſe ſcribere, eum, qui nihil aliud, quàm bellum per omnem vitam fuerit meditatus: Qui nuper Veronenſem fractum Patavini adverſo prælio repentè bello armiſque invaſerit, fingens illum contra ſe inſurgere velle, qui vix propria mœnia poterat à priori hoſte defendere: Patavino autem, qui cum ſe conjunxerat ad Veronenſem advertendum mox ſimili fictione bellum intulerit atque oppreſſerit. Qui gener ſocerum, nepos patruum mirabili impietate prodiderit. Qui non abſimili fictione cauſam belli quærens, vix ſiccatis adhuc fœderis Piſani literis, necem ſui procuratam in conſilio Florentini Populi ſimulârit, quo pacem rumperet, bellum inferret: Nunc fœdus violatum à Florentinis dicere, cùm Florentini quidem ad unguem ſervârint. Ipſe verò prius quàm concluſum fuerit, de illius violatione cogitârit. Qui ſpe vanâ inflatus regnum Italiæ ſperet atque affectet. Se quidem fuiſſe paratos juris diſceptationi ſtare: Sed quoniam non jure; ſed vi & armis invadantur, viriliter repugnaturos. Nam quod potentioribus quibusdam indicat bellum, non univerſæ civitati; in eo appariturum eſſe, quàm ſtultè crediderit malis ſuaſoribus, cum unanimem ſit civitatem totam ad refringendum ejus conatum reperturus.

Atque

Atque ita bellum magno elatoque animo eſt à Florentinis receptum. Id bellum cœptum eſt nonageſimo anno ſupra mille trecentos, medio quaſi vere. Duravit autem ferè annis duodecim, quanquam interceſſit nonnunquam pax, verùm ita infida ac ſuſpecta, ut vix ab armis diſcederetur, acreſumeretur confeſtim bellum, ut diſtinctè per ſingulos annos deinceps oſtendemus.

Bellum recipitur à Florentinis adverſus Galeatium.
ANNO. 1390.

HISTORIARUM FLORENTINARUM,

LIBER DECIMUS.

Bellum Mediolanenſe, quod nunc ſcribere aggredimur, tantis opibus, tantâq; contentione animorum à Florentino Populo geſtum eſt, ut procul dubio bellorum omnium, quæ is Populus unquàm geſſit, maximum ſit exiſtimandum. Nam & civitas per id tempus viris opibusq; maximè florebat, & nitebatur adverſus potentiſſimum hoſtem, cujus magnitudo dominii inſtar Regni cujusdam per Italiam habebatur. Nec noſtratibus modò certatum eſt armis in eo bello: ſed magnos inſuper exercitus, potentiſſimosq; Duces ex Gallia & Germania Florentini exciverunt, ut admirandum ſit Populum unum ad tantas res gerendas vel magnitudine animorum vel opibus ſuffeciſſe. Cauſas verò ac ſemina hujus belli ſuperiore libro expreſſimus. Initium verò gerendi in hunc modum fuit. Equites ac pedites magno numero Senis convenerant, paulò ante indictionem belli. Venerant autem partim ex Gallia, per Lucenſes & Piſanos paulatim transeuntes; partim ex agro Piceno, in Peruſinos priùs transgreſſi, cùm exules à Florentinis palàm adjuti redire in urbē nitebantur, mox ex Peruſinis in Senenſes tranſierant. Cùm igitur bellum movere decretum eſſet, hoſtium equites ad tria millia, pedites autem ad mille quingentos Senis profecti, non procul ab ea urbe primâ die conſtiterunt. Duces verò equitatus erant Johannes Actii ex Ubaldinis, & Jantedeſcus nepos Saconis, dudum Aretinorum Tyranni. Erant verò ambo præſtantes bello viri, amboq; Florentini Populi inimici. Quippe & Ubaldinæ gentis caſtella Florentini per ſuperiora tempora everterant, & Saconis filiis Bibienam primò, mox cæteras, quas tenebant arces abſtulerant. Profecti igitur Senis, ut diximus, ac eâ die intra fines Senenſium commorati, ubi nox advenit, iter arripientes, tranſmiſſo monte, qui Lucus dicitur, per ſuperiorem Arnum deſcenderunt. Promiſerant enim quidam opidum illis prodere, quod juxta flumen Arni exiſtens, à patrono civitatis nomen habet. Et voluerunt proditores portam capere: ſed deterriti opidanorum concurſu, ut fortuito adventu quorundam auxiliarium, deſperatâ re ab incepto deſtiterunt. Unus etiam eorum diſſimulato itinere ad hoſtes transfugit, conatumq; in irritum cecidiſſe oſtendit. Eâ igitur ſpe deſtituti hoſtes per ſuperiorem Arnum profecti in fines Aretinorum tranſierunt, prædis ac rapinis omnia fœdantes. Inde per Ambram fluvium in fines Senenſium reverſi ſunt. In his verò locis conſiſtentes diſcurſiones & bellum tumultuoſiùs intulerunt. Adverſus hunc repentinum motum, quanquam non ſatis parata civitas erat: tamen quæcunq; potuit equitum ac peditum ſubſidia in Aretinos miſit, quò conatibus hoſtium obviaretur. Nam Gibellinæ factionis homines jam per ea loca ſeſe plurimum erexerant, novosq; fieri motus affectabant, ſtudio magis partium, quàm ullâ probabili ratione inducti. Inter hos eminebant maximè gentiles agnatiq; Saconis, dudum Aretinorum Tyranni, quibus caſtella quædam & opida ex vetere fortunâ ſupererant, magnæq; eorum clientelæ & amicitiæ per agrum Aretinum vigebant. Hi ergò ſtatim ac motum eſt, præcupidè arripuerunt bellum, & ſuarum partium homines in ſpem maximam erexerant. Itaque haud multò pòſt & defectiones aliæ fieri cœptæ ſunt, & Licinianum opidum nobile, quod Florentini tunc poſſidebant, ad hoſtes defecit.

Bellum Mediolanenſe omnium maximum.
Initium belli.
Duces equitatus Iohannes Actii ex Ubaldinis & Iantedeſcus nepos Saconis.
Lucus mons.
Unus ad hoſtes transfugit.
Florentini ſubſidia in Aretinos, contra hoſtes mittunt.
Licinianum opidum ad hoſtes defecit.

Per idem ferè tempus adverſus Bononienſes, qui erant Florentinorum ſocii, motum eſt bellum. Galeatius enim miſſis repentè copiis alio exercitu Bononienſes invaſit. Præerat autem huic exercitui Jacobus Vermis Veronenſis: Erant & alii

Bononienſibus à Galeatio motum eſt bellum.
Iacobus Vermis Veronenſis.

cum illo ductores: ſed ſumma rerum ad Jacobum referebatur. Hi omnes magno tumultu Bononienſem agrum ingreſſi, opida quædam expugnârunt, cæteriſque ſubinde terribiles imminebant. Bononienſes autem in eo periculo conſtituti hæc Florentiam celeriter nunciarunt, & auxilia popoſcerunt. Itaque Florentini multis de rebus ſoliciti uno eodemque tempore, & de reſiſtendo adverſus propinquos hoſtes, & de ſociorum tutela curam ſuſcipere cogebantur.

Johannes Augus Dux ex Apulia evocatur.

Rainaldus Urſinus Dux.

Johannes Augus inclitus eâ tempeſtate Dux, cum Florentino Populo militare conſuetus, in Apulia per hoc tempus degebat. Hunc igitur confeſtim evocare placuit, & ſimul ad Rainaldum Urſinum egregiæ potentiæ hominem, magnumque bello Ducem reſpicere, cumque cum ſuis copiis arceſſere, imperiūq; totius belli per Hetruriā ſibi uni polliceri: In agrū item Picenum mittere ad milites alios conducendos. Et Augus quidē, celeriter ex Apulia movēs, ſatis maturè advenit, ſtatimq; ad Bononienſes miſſus eſt. Magna enim ac præcipua Florentinis erat cura Bononiēſes in ſocietate retinendi.

Rainaldus Urſinus apud Aquilam proditione interficitur.

Rainaldus autē Urſinus in Hetruria expectabatur. Qui cùm apparatus feciſſet omnes, ac iter ingreſſus foret, dolo ac proditione quorundā apud Aquilam urbem interficitur. Ejus viri interitus multa turbavit: Sed affuit medicina haud quaquā diſpar, quod apud hoſtes quoq;

Johannes Actii diem obit.

Johannes Actii, qui erat præcipuus belli Dux, haud multò pòſt cōcepto in caſtris morbo, ac Senas relatus, diem obivit. In Bononienſes verò cùm perveniſſet Augus, coactis in unum Florentinorū ac Bononienſiū copiis (ad quatuor millia equitū fuerunt, peditū autem ad duo millia) ad hoſtes duxit. Nec expectaverunt hoſtes:

Caſtellum Præmalcore obſidetur.

ſed deſertâ obſidione caſtelli Præmalcore, quod tunc obſidebant, in Mutinenſem agrum ſe receperunt. Augus pulſis hoſtibus reducere caſtella priùs amiſſa in poteſtatem Bononienſium nitebatur. Et erat quidem optimâ ſpe bello in his locis ſuperandi. Habebat verò ſecum ad terrorem hoſtis Carolum Bernabovis filium, &

Lucinus.

Lucinum ex eadem familia ortum, ad quos imperium Mediolani ſucceſſione legitimâ ſpectare dicebatur. Conſtituerat autem redactis in poteſtatem caſtellis primò amiſſis, in Mutinenſium fines transire, indeq; adverſus Mediolanenſem bellum inferre.

Inter hæc major cura Florentinos detinebat. Non enim ſi in Hetruria reſiſterent, neq; ſi Bononienſiū finib. repuliſſent hoſtem, ſatis eſſe putabant: ſed ardebant animi cupiditate mirabili caput ipſum hoſtile per Galliam invadendi.

Stephanus Bavariæ Dux ut in Italiam transeat movetur.

Franciſcus Carrarienſis.

Jacobus Armeniaci comes.

Quare miſſis in Germaniā Legatis Stephanū Bavariæ Ducē magnis pecuniis maximiſq; præmiis oſtenſis, ut transiret in Italiā, cōmovebāt. Franciſcū quoq; Carrarienſē filiū, qui capto parente in Germaniā ſe receperat, Florentini excitabant, ut ad recuperandā dominationē paternā in Italiā reverteretur. In Galliā quoq; Transalpinā legatione aliâ miſsâ Jacobum Armeniaci comitem, bello inſignem virum, magnis propoſitis præmiis evocabant. Utrobiq; infinita quædam vis pecuniarum à Florentinis impenſa.

Dum hæc per Galliā & Germaniā providentur, bellum nihilo ſegniùs in Hetruria gerebatur. Hoſtes enim caſtella inſuper quædā Aretini agri ad defectionē coëgerunt.

Battifolle arx munitiſſima per proditionem occupatur.

Tandemq; munitiſſimā arcē, cui nomen eſt Battifolle, trib. paſſuū millib. ab Aretio, per proditionē occupârunt. Cùm enim meſſis eſſet, ac opidani metendis colligendisq; ſegetib. intenti; ſe populariter extra opidū effudiſſent, presbyter quidā invitato ad epulas cuſtode arcis, illū vi illatâ detinuit, ac turrim ingreſſus (erat enim celſa & egregia in arce turris) hoſtes vocavit, eiſq; venientibus arcem atq; opidum tradidit. Opidani omnes capti, bonaq; eorum direpta fuerunt. In hoc igitur caſtello ſtationē habentes hoſtes, ac ex propinquo loco, die noctuq; Aretio imminentes, & uſq; ad mœnia aſſiduis propè diſcurſionib. infeſtantes, maximū in diſcrimē civitatē conjecerant. Adverſus hujusmodi periculū illud maximè remediū fuit, quòd cives Aretini non ſecus pro tutela urbis, quàm pro vita & pro ſanguine decertabant. Cùm enim Dux eſſet hoſtiū Saconis nepos, cujus pater atq; avus Gibellinæ factionis Principes in Aretinis fuerat, non tàm Florentinorū ſtatus, quàm partium ſtudia incenſis animis agebantur. Itaq; & cuſtodire urbē, & vigilias impigrè obire, & cuncta ſagaciter providere nunquàm ceſſabāt. Gibellinis autē omnib. arma ademerant, neq; quēquam eorū, niſi per diem, exire domo patiebantur. Per hunc modū urbs illa ex maximo periculo, ac penè ex hoſtiū faucib. erepta eſt, atq; ſervata. Premebatur tamē intolerabili bello.

Caſtella diverſarum partium rebellarunt.

Nam poſt Battifolle occupatum ab hoſtibus, frequentia caſtella diverſarū partiū labe pollutâ rebellârunt, ac bellū urbi præcupidè intulerūt. Nec verò Florentini interea ſegnes aut trepidi erant: Sed apud Colle & Bonitium & Staggiam

coactis

coactis copiis, Senenſes ab ea parte uſque ad mœnia urbis infeſtabant. Itaque Senæ & Aretium uno eodemq; tempore enixiſſimè premebantur, & ager Florentinus quà Senas ſpectat, laborabat: & erat pluribus ſimul locis mirabili contentione implicatum bellum. Hæc quanquam erant magna laboriſque & impenſarum plena: tamen non tantam pro his curam Florentinus Populus ſuſcipiendam cenſebat, quantam pro his, quæ ex Gallia & Germania ad opprimendum hoſtem ventura auxilia mente & cogitatione providerat. Intelligebat enim, ſi bellum ſolummodò in Hetruria ſibi illatum repelleret, fore, ut longitudine belli civitas contereretur. Hoſtis quippe, ſi per Galliam in pace degeret, nec domi bellum ſentiret, perpetuò ſuffecturum ad belli ſumtus in Hetruria ſuppeditandos: Sin autem per Galliam pateretur bellum, pecunias illi faciliter defuturas, & pericula maxima novo in dominatu ſubiturum. Domi igitur ut hoſtis belli pericula ſentiret, neceſſarium videbatur.

Bellum pluribus ſimul locis implicatum fuit.

Hoc itaque conſilio Florentini per Legatos ſuos ſemel atque iterum miſſos, ex Gallia ſimul & Germania exercitus & proceres ad tranſeundum Alpes, veniendumq; in Italiam adverſus hoſtem magnis pecuniis, magnaque præmiorum oſtentatione excitabant. Et res quidem in Germania agitatæ proſperum finem habuere. Veniens enim Franciſcus Carrarienſis cum Germanorum equitatu, mirabili celeritate & audaciâ Patavium ingreſſus eſt, eamque urbem plaudentibus civibus ſuis ſtatim recepit, præter arcem, quæ, licet amiſsâ urbe, pro Mediolanenſi tenebatur. Hoc verò ubi auditum eſt, confeſtim Johannes Augus cum Florentinorum Bononienſiumque exercitu Mutinenſem agrum transgreſſus, Rhegio ac Parmæ terribiliter imminebat, citra Padum inferens tumultuoſè bellum, nec valeret hoſtis Patavium ad ſuccurrendum arci auxilia mittere. Nec multò pòſt Dux Bavariæ cum Germanorum exercitu ſupervenit. Hac igitur inſigni plagâ percuſſus Mediolanenſis, domi & in Gallia laborare cœpit. Amiſsâ enim Patavio maximâ urbe, Verona quoque & Vicentia vix in illius poteſtate conſiſtebant, ad omnem motum trepidæ & incertæ, ac rerum novarum plurimùm avidæ. Nam Verona quidem publicè ſumtis armis antiquos dominos palàm invocaverat: & Vicentia vix & anxiè continebatur. Quod ſi tunc vivus fuiſſet Antonius Veronenſis, nuper à Galeatio dominatu pulſus, ſuas & ipſe urbes pari terrore recepiſſet. Sed ille interierat relicto filio admodum parvulo Id enim Populos continuit, quod caput deerat, ad quod ſummam rerum referrent. Et ſimul Dux Bavariæ à Veronenſibus expectatus debito tempore non venit. Itaq; deficiente paulatim ſpe cives qui inſurrexerant, diſcordes inter ſe, & alia alii volentes ſeditionibus & armis concertare cœperunt, donec altera pars vocatis Galeatii Ducibus & intra urbem receptis, cauſa fuit, ut cum pernicie civitatis & direptione urbis omnia ſubverterentur.

Florentini ex Gallia & Germania exercitus excitabant.

Mediolanenſis domi & in Gallia laborare incipit.

Verona antiquos dominos invocat.

Haud multò pòſt Stephanus Bavariæ Dux per oratores ſuos Florentiam miſſos excuſationem propoſuit, quod Veronenſibus opem ferre opportuno tempore nequiviſſet. Impeditum enim ſe fuiſſe, inquit, dum in Italiam properaret, cùm à Ducibus Auſtriæ, tùm à Præſule Aquilegienſi: ac per ea impedimenta factum eſſe, ut Verona, quæ jam ad ipſius expectationem ab hoſte defecerat, amitteretur. Id verò ſe graviſſimè ferre teſtatus eſt, in q; capita illorum ſe relaturum eſſe dixit, qui hanc ſibi contumeliam intulerint. Conqueſtus eſt etiam adverſus Venetos, quod cùm per Tarviſinum agrum iter faceret, inhoſpitaliter nimium ac durè Tarviſii portas ſibi clauſerint, nec ſe cum paucis quidem comitibus recreandi ſui cauſâ intra ire opidum permiſerint. Inter has difficultates lætari ſe tamen dixit, quod adventu ſuo Patavium ſit conſervatum. Nam abſque ſuo exercitu q; ſui præſentia ſervari urbem illam nequaquam potuiſſe, tenentibus intra urbem hoſtibus munitiſſimâ arcem, & multitudinem copioſam extra cogentibus ad invadendum. Eſſe verò conſiliū ſuū, non prius exercitū Patavio educere, quàm arx recepta fuerit. Nam periculoſum id foret, cū ſimulac traduxiſſet aliò copias, accedere hoſtis, ac per ipſam arcē in vadere urbē valeret. Quamobrē ſe continuò oppugnare arcē, ac ſperare brevi in poteſtatē eſſe vēturam. Interim verò darent operā Florentini, ut exercitus, quē Johannes Augus citra Padum habet, cum ſuo exercitu conjungatur. *Simul enim conjunctis exercitibus ubicunq; voluerint, per hoſtile ſolum caſtra facturos: Separatis autem, utroſq; imbecilliores fore.*

Excuſatio Ducis Bavariæ per oratores ſuos.

Bavariæ Dux adverſus Venetos conqueritur.

Conſiliū Stephani Bavariæ Ducis.

S 4

Præterea ſe novos milites ex Germania expectare: Quare pecuniis opus eſſe, cùm pro his qui jam venerint militibus, tùm pro his qui expectentur. Nam ſe quidem ac domum & familiam ſuam gratuitò militare velle, nec pecunias pro his poſcere. Hæc & hujusmodi dicta ſunt à legatis. Reſponſum verò his datum eſt in hunc maximè modum. Diſplicere Florentinis impedimenta Duci illata, ac maximum dolorem ſuſcepiſſe de Veronenſium caſu: Sed adhuc ſupereſſe maximam ſpem in illis civitatibus, *cùm quanto magis eas læſerit hoſtis, tanto inimiciores ſibi illas effecerit*. Quod ſuo adventu conſervaſſe Patavium affirmet, id & credere & gratias agere. Quod verò morari circum arcem ſtatuerit, nec priùs in hoſtem proficiſci, quàm arx fuerit recepta: id quidem conſilium nequaquàm probare. Maximum enim Ducem cum Florentiſſimo exercitu circa oppugnationem unius arcis deſidere inutiliſſimum eſſe. Franciſcum enim Carrarienſem cum multitudine Populi Patavini, & cum aliquâ parte militum ſatis eſſe ad arcem oppugnandã & urbem tuendam. Ducẽ cum ſuo invictiſſimo exercitu in Vicentinos Veronenſesque tranſire debere, facilia quidem ſibi futura omnia, ſi celeriter trepidos ac titubantes adoriatur: Quod ſi differat, ac tàm præclaram facultatem labi ſinat, confirmabuntur interea urbes ſtabiliraremque recipient. Exercitum verò, qui ſit citra Padum, tranſire ad eum nequaquàm poſſe, maximis fluminibus, Pado & Atheſi interfluentibus, qui neque navibus per hoſtile ſolum, neque vado tranſmitti ab exercitu valeant. Nec ſanè minus utile videri, ſi bifariam hoſtis infeſtetur, quàm ſi uno loco ſolùm: cùm ipſe quoque biſariam partiri vires, ac pluribus ſimul locis ſubire pericula compellatur. Pecunias verò, quas ſolviſſe oportuit, eas jampridem fuiſſe perſolutas, utque ipſe benè novit, pro majori longè exercitu, quàm ipſe adduxerit. Quare properet modò in Vicentinos Veronenſesque ducere. Civitatem, cùm tempus fuerit, de pecuniis cogitaturam. Cum hujusmodi reſponſo Legati remiſſi.

Florentinorum reſponſio.

Cæterum ille ſive metu, ſive indignatione in propoſito ſuo perſtitit. Itaque differendo primùm, mox detrectando: ad extremum verò apertè negando exire in hoſtes nunquam conſenſit. Hac igitur morâ intercedente, motus omnis in Veronenſibus Vicentinisque reſedit. Exercitusque citra Padum nuper miſſus in Bononienſes remeavit, initio orto ab equitibus Bononienſium, qui conqueſti ſtipendia ſibi non ſolvi, domum redire conſtituerunt. Id verò cùm facerent, nec Augus quidem Dux cum reliquo exercitu ſtare in hoſtili ſolo confiſus, retrò ducens in fines Bononienſium rediit. Per hunc modum cœpta adverſus hoſtem proſpera quidem, ac plena ſpei bonæ, frigere quodammodò ac debilitari cœperunt. Adeoque converſa res fuit, *ut, qui paulò antè de ruinâ hoſtis cogitabant, ne ipſi paterentur ruinam formidarent*. Tenebatur enim ab hoſtibus Patavii arx, &, quamvis oppugnata fortiter, reſiſtebat. Copiæ verò hoſtiles circa Vicentiam & Veronam multæ convenerant. Dux autem Bavariæ indignatione conceptâ, quaſi opera ſua non ſatis grata foret, nec poſtulatæ ſibi pecuniæ traderentur, deſerturum ſe cuncta, & in Germaniam abiturum minabatur. Solicita igitur pro his civitas cuncta facere decrevit, quibus Patavium ſervaretur. Quare & pecunias inſuper Duci tradere conſenſit, quò ille ſaltem, quoad arx caperetur, permaneret, & nova Patavium auxilia mittere feſtinavit, jam plurimũ ambigens de barbari hominis fide, à quo etiã nonnihil arcanè agitari cum hoſte deprahenderat. Sed erat in tranſmittendis auxiliis difficultas maxima, quoniam Ferrarienſis Albertus Galeatio fœderatus nulla tranſire auxilia per ſua loca permittebat. Tenebat autem usque ad litus Adriæ. Reſtabat autem ut mari copiæ mitterentur, ex urbe Ravenna ad foſſas Clodias navigaturæ. Sed neque naves aderant, neque Veneti eâ ſe inimicitiâ adverſus Mediolanenſem onerare volebant. Et in Gallia quidem hujusmodi conditio rerum erat.

Cœpta adverſus hoſtes frigere incipiunt.

Dux Bavariæ deſerturum comminatur.

In Hetruria verò enixiſſimè gerebatur bellum, & erat, ut ſupra diximus, locis pluribus variè implicatum. Florentini tamen prævalere videbantur: Quippe Mediolanenſis domi percuſſus, non eâdem quâ prius alacritate, ſubſidia in Hetruriam ſubmittebat. Quare Florentini majoribus ſubnixi viribus usq; ad mœnia Senarum hoſtes fatigabant, ab ea maximè parte, quæ ad Staggiam & Colle & Bonitiũ ſpectat.

In Hetruria enixiſſimè geritur bellum.
Florentini prævalere videntur.

Præerat autem Florentinorum militibus Donatus Azarolus, eques Florentinus, & Biliottus Biliotti. Equitatum verò habebant optimum ex Italicis & Germanis equitibus. Dux autem militiæ nemo unus omnibus præſidebat: eaq; erat cauſa, cur non continuò caſtra in hoſtili facerent, ſed propinquis Florentinorum opidis pro caſtris uterentur.

Donatus Azarolus Florentinorum militibus præeſt.
Biliottus Biliotti.

Intra

Intra urbem verò Senarum caritas erat annonæ, & peſtis eodem tempore *Caritas annonæ Senis.* Populum affligebat: Nec eadem voluntas omnium erat civium, multi bellum contra vicinos ſuſceptum, & Mediolanenſis adhærentiam improbabant. Quas ob res ſeditione inter cives coortâ, deventum eſt ad arma, parsque nobilitatis pulſa cum ſuis omnibus caſtellis Florentino Populo adhæſit, bellumque urbi Senarum intulit. In his Orlandus Malavolta, & agnati omnes, & alii quidem ex præcipuis *Orlandus Malavolta.* familiis Senenſium fuêre.

Per hoc ipſum tempus legati Bononienſium tres Florentiam venerunt. Erant verò ex præcipuis magiſtratibus delecti homines. Cauſa verò legationis fuit, quòd jam planè fatigati Bononienſes, ac futuram ſumtuum magnitudinem horrentes, deponere bellum, & qualemcunque potiùs recipere pacem cupiebant. Hi cùm audientiam civium Florentinorum à Magiſtratu poſtulaſſent, ſibique exhibita eſſet, *Legatorum Bononienſium oratio ad cives Florentinos.* in hunc modum verba fecerunt.

Si eadem opulentia nobis foret, ô Florentini! quam in vobis conſpicimus, animus certè non deeſſet ad perſeverantiam belli. Quippe & fortis eſt Populus *Bononienſium laus & deſcriptio.* noſter, ac manu promtus, & celſi profectò animi in periculis capeſſendis. Et in hac quidem parte nemini uni Populorum Italiæ civitas noſtra concedit: Pecunioſi verò (quod fas ſit dicere) nequaquam ſumus ad comparationem veſtri. Non enim eo ingeniò ſunt homines noſtri, ut induſtriâ multâ in acquirendo utantur: nec ulli eorum per Galliam & Britanniam negotiaturi diſcurſant. Simplices magis homines, ac ſuis rebus contenti, eo, quod habent domi, lætis animis perfruuntur. In hujusmodi autem moribus opulentia non fit, quam induſtria parit, diligentia exauget. Cùm igitur bellum per hoc tempus non lacertis, ſed pecuniis geratur, & magnitudo contentionis maximos efflagitet ſumtus, impar tanto diſpendio Bononienſis Populus veniam precatur. Hactenus enim quantum potuit ſuffecit: Jam ampliùs ſufficere nequaquàm valet. Itaque ne ſocii taciturnitate noſtrâ decipiantur, hoc ipſum facere notum vobis ante tempus decrevit. *Nam bonorum ſociorum eſſe putat, nihil vel diſſimulare vel occulere, nec aſtuto conſilio, ſed bonâ fide incedere.* Cunctis igitur apud nos tritè diſcuſſis, non videmus ſupra tres menſes in his, quibus nunc ſumus, expenſarum oneribus perdurare poſſe. Quamobrem videretur nobis hoc medio tempore totis viribus annitendum, ut vel victoriam de hoſte, vel pacem honeſtam, ſi fieri poteſt, conſequamur. Pacem enim, ſi bona ſit, communiter recipiendam ſuademus. Tranſacto autem eo tempore, ſi duret bellum, non videmus ſupra nongentos equites mercede conductos, ac certum aliquem peditum numerum in communem ſocietatem poſſe conferre. Quod ſi majora ſubſidia bellum poſcit, nec iſta ſufficiunt, quæ afferre valemus, pecunias mutuo nobis date, ex fide, cum poterimus, reddituris. Sin verò nec iſta vultis, rogant vos Bononienſes, ut, cum bona venia veſtra, ſibi liceat pacem & concordiam per ſe ipſos quærere, ac onus belli deponere, quod ferre non valent, in faternitate & amicitia veſtra omni modo perſeveraturis. Hæc denunciare vobis miſſi ſumus. Ea cùm dixiſſent Legati dicendi finem fecerunt.

Percuſſit animos cunctorum ea denunciatio, & quaſi fundamenta rerum labi viſa ſunt. Nimis enim neceſſaria illorum ſocietas ad bellum videbatur. Spatio igitur ad reſpondendum ſumto, cùm res in conſilio maturè agitata fuiſſet, tandem Legatis in hunc modum Florentinus Magiſtratus reſpondit. *Magiſtratus Florentini reſponſio Legatis Bononienſibus data.*

Nos quidem, ô viri Bononienſes! quæcunq; ſignificantur à ſociis de ſtatu rerũ ſuarum, commendare ſolemus. Aut enim proſpera ſunt, quæ ſignificantur, & unà cũ illis lætitiam ſumimus: aut adverſa, & unà cũ illis remedia cogitamus. Sine ſociis autem de re ſociorum conſtituere non licet. Atq; nos hi ſumus, qui ſemper de veſtro Populo magnam & egregiam opinionem habuimus, & ſupra quàm fortem, ac manu ſtrenuum, etiam opulentum exiſtimamus. Maximam enim civitatem ac rebus omnibus affluentiſſimam multis divitiis abundare par eſt. Neq; verò tam facultatem erogandi deeſſe Populo veſtro credimus, quàm voluntatem. Sunt enim pergraves omnibus belli ſumtus, ſed præſertim Populis ac multitudini, quæ futura pericula non diſcernit. *Veruntamen ut medici, quos curant, ægrotos, urere interdum ac ſecare compellunt, & partem corporis cum dolore abjicere, quò cætera conſerventur:* Ita gubernatores Reipubl. futurum periculum, inſtar medicorum, prævidentes, etiam

etiam cum dolore cogere debent Populos, partẽ facultatum ſuarũ pro cõſervatione cæterarum partium erogare, *Amiſsâ enim libertate in poteſtatem victoris omnia tranſmigrant; Et inſuper dedecus & infamia ſervitutis adeſt, quæ etiam morte eſt à generoſis hominibus repellenda.* Atque illud palàm eſt, in hoc bello principaliùs ab hoſte civitatem veſtram impeti, quàm noſtram, non quod odium ſit diſpar, ſed quod Bononiam in poteſtate majorum ſuorum fuiſſe jactat, & quaſi hereditariam illam repoſcit: ex quo fit, ut nos magis vobis auxilium feramus. Paci verò ac promiſſionibus ejus quàm confidere poſſitis, vos ipſi exiſtimare per exempla Patavini & Veronẽſis, ac cæterorum, quos fidei ſuæ credentes fraudulenter pervertit. Nihil tamen cupit magis, quàm vos à nobis disjungere. *Videt enim ſtantibus ſimul civitatibus nocere nõ poſſe: Separatos verò vel decepturum ſe facilè, vel oppreſſurũ cõfidit.* Quid igitur prudẽtes viri facere debent? Nónne in contrarium niti quàm hoſtis affectet? *ut cum ille in ſeparatione interitum; vos in conjunctione unicam ſalutis viam exiſtimetis?* Enim vero non valet Bononiẽſis Populus onera belli perferre? At lõgè majora fere, ſi libertatem amittet. *Quæ enim nunc gravia videntur, tunc levia fuiſſe putabuntur.* Verùm hæc mala infanda ne experiri vos ſinat divina benignitas. Quod autem ad pecunias mutuo poſtulatas attinet, cogitare debetis, quanta ſunt onera civitatis noſtræ. Nos enim, ut ſcitis, totum onus Hetruſci belli ſuſtinemus, ſine ulla participatione ſociorum. Per Galliam verò quis neſcit, quàm incredibilia ſint profluvia impenſarum noſtrarum? Itaque mutuò poſtulare à nobis, nec honeſtum, nec tolerabile eſt. Illud verò nequaquam ſilendum nobis videtur, quod hujuſmodi colloquia per vos inducta inimiciſſima ſunt utilitati veſtræ. Nihil eſt enim quod tam alere bellum poſſit, quàm ſi audierit hoſtis, alteram civitatum noſtrarum jam eſſe defeſſam, ac de omittendis belli oneribus, & de qualicunque pace cogitare. Tunc enim ſpem nimirum ſuſcipiet, tunc ſe attollet, tunc enixiùs perdurabit. Itaque ſupprimendæ ſunt hujuſmodi cogitationes & voces, ac ut hoſtis ipſe pacem appetat expectandum. Multa ſunt enim, quæ vobis ſpem optimam afferre debeant: Recuperatio Patavii, Germanorum præſentia, copiæ inſuper noſtræ citra Padum exiſtentes. Ex Gallia quoque tranſalpina magnas copias eſſe venturas ad ruinam hoſtis irreparabilem expectamus. Victoria profectò in manibus noſtris eſt, niſi per ſocordiam illam abjiciamus. Quare, ut decet fortes viros, utque nomen ac fama civitatum noſtrarum flagitat, celſo & invicto animo incumbendum eſt ad bellum, nec illud tribus menſibus, ſed vel ruinâ hoſtis, vel poſtulatâ ab eo pace, quæ communis civitatum noſtrarum ſit, metiendum. Aliter verò ſi fiat, non tam pacem, quàm ſervitutem ſub nomine pacis expectate.

Bononienſes conſtanter perſeverant in fœdere.

Legati cum hoc reſponſo abierunt. Quæ cùm domi retuliſſent, quaſi rationibus victi, Bononienſes conſtantiùs quàm ante perſeverârunt in fœdere, ac viriliter bello incubuerunt.

Guido & Hoſtaſius.

Póſt hæc Florentini omne ſtudium converterunt ad Patavium conſervandum: quod ut facere poſſent, ſummâ ope nixi ſunt, Albertum Ferrarienſem ſibi conciliare, & à conjunctione Mediolanenſis ſejungere. idque tandem aſſecuti ſunt, operâ maximè Guidonis & Hoſtaſii Ravennæ dominantium. Pace enim inter illum & Bononienſes factâ itinera patefecerunt. Moxque Augus magnâ multitudine Patavium miſſus, opportuno tempore ad opem ferendam affuit. Nam Dux Bavariæ jam abierat: Hoſtis autem coactis in unum viribus Patavio imminebat. Adventu novorum militum, quos Augus adduxit, omne periculum depulſum eſt. Et Dux quidem Bavariæ In Germaniam rediit, nec inimicis neque amicis ſatis probatus. In eo tamen procul dubio utilis, quòd per illius præſentiam factum eſt, ne Patavium ab hoſtibus recuperaretur. Non enim retenta fuiſſet ab initio illa civitas, niſi ipſe cum ſuo exercitu ſuperveniſſet. In cæteris verò cùm multum nocere potuiſſet hoſti, vel noluit, vel neſcivit, vel non auſus eſt.

Ducis Bavariæ acta.

Per extremum ejus anni Johannes Augus militiæ Dux cum his, quæ Patavii convenerant, Florentinorum & ſociorum copiis in hoſtem profectus, per Vicentinum Veronenſemq; agrũ caſtra pluribus locis fecit. Sed urbes jampridẽ cõfirmatæ, & inſuper militũ præſidiis affatim ſtructæ, nullã motus alicujus ſignificationẽ dederunt. Quare aliquod tẽpus per ea loca moratus Dux, cũ fructus nullus appareret, ac ſuſpiciones quædam in caſtris exortæ forent adverſus Faventinum Aſtorgium, qui cum ſuo equitatu erat in eâdem militia, redire Patavium conſtituit. Atque ita in hiberna

Faventinus, Aſtorgius.

berna deducti milites,finem belli eo anno fecerunt.

Altero de hinc anno, qui fuit nonageſimus primus ſupra mille trecentos, maximi inſuper motus, & quanta nunquam prius certamina extiterunt.

ANNO [illegible]

Florentini poſt Ducis Bavariæ receſſum ſpem atque animum converterant ad Gallorum in Italiam tranſitum. Miſerant enim jampridem Legatos in Galliam ſolicitandos proceres gentis, pecuniam abundè pollicentes, ac inſuper maxima præmia futura demonſtrantes. His pollicitationibus & illecebris præſtantem bello virum, ac domi potentem exciverant, Jacobum Armeniaci comitem. Erat verò ſumma ſpes in illius adventu. Qui enim Patavii hibernabat exercitus, ſi ab ea parte hoſtem invaderet; ab alia verò parte Galli urgerent, nullum habiturus remedium hoſtis putabatur. Hac igitur ſpe conceptâ Florentini omni ſtudio accelerabant illius adventum.

Iacobus Arminiaci comes.

Per idem tempus Raggiolum opidum vehementer oppugnabatur à Florentinis. Defecerant enim illius incolæ ad hoſtes, ſecuti antiquas Saconis partes, & Aiãte de ſco acceperant milites: qui cùm latè diſcurſiones facerent, ac per Caſentinam omnia turbarent, obſidere illud placuit. Obſidio longior fuit, & tormentis maximè oppugnatio eſt peracta. Incolæ enim, quia ſupplicium formidabant, omnes difficultates pertulerunt. Tandem verò, cùm jã ferri ampliùs nõ poſſet obſidio, milites, qui erant in opido, incolumes abire pacti, incolas deſeruerunt: opidum verò capitur ac diripitur. Sed cùm rixa exorta eſſet inter victores, quidam ignem injecerunt, quo totum opidum conflagravit. Ex opidanis permultos latitantes incendium abſumſit: cæteri capti ac Florentiam ducti, deq; rebellandi autoribus ſupplicium ſumtum.

Regiolum opidum à Florentinis oppugnatur.

Capitur ac diripitur.

Florentini inter hæc Gallorum Ducẽ vehementer ſolicitare non deſiſtebant. Nec ille quidem ſegnis negotiũ obire. Coacto ſiquidem impigrè exercitu ex Gallia moverat. Cũq; circa Rhodanũ perveniſſet, multa in his locis impedimẽta offendit. Fautores enim Galeatii ꝑmulti ac potẽtes primò dehortationibꝰ & precibꝰ deinde minis & ſeditione exercitus iter illius impedire nixi sũt. Nã Galeatius formidãs illius adventũ ꝑ Legatos ſuos in Galliã miſſos, pecuniã & gratiã proceres gẽtis ſolicitabat ac impedire illiꝰ trãſitũ in Italiã nitebatur. Sed ille in ꝓpoſito manẽs, cùm omnia ſpreviſſet, & ſeditionẽ exercitus per cædem quorundã ſanaviſſet, ad Alpes cõtendit, illisq; demum ſuperatis in Italiam deſcendit. Simulq; Johannes Augus, cùm de adventu Gallorum certior factus eſſet, ipſe Patavio movens magno tumultu alia ex parte hoſtem invaſit. Præfectus enim cum exercitu per Vicentinorum Veronenſiumq; fines Atheſim tranſiit, apud locum, cui Porcile nomen extitit. Inde caſtra per hoſtilem faciens, omnia tumultu trepidationeq; complevit. Dabat verò illi facultatem permaximam, quod Galeatius omne robur exercitus ſui Gallis venientibus oppoſuerat: Per alia verò loca tanta ſolummodò præſidia reliquerat, quanta ſat eſſent opidis tuendis. Itaq; Augus quaſi vacuam regionẽ nactus permagnam habuit facultatem, quacunq; libuerit pervadendi. Qui cùm in Veronenſi aliquot dies caſtra feciſſet, tandem Mincinum amnem primo; Deinde Ollium non procul ab opido Soncino transgreſſus, per Brixienſem & Bergomatem agrum duxit, tandemque ex his locis ad flumen Adduam pervenit. Apud id flumen, quoniam vado transmitti non poterat, cum exercitu conſtitit.

Florentini Gallorum Ducem vehementer ſollicitant.

Rhodanus.

Fautores Galeatii Gallorum tranſitum in Italiam pecunia & gratia impedire nituntur.

Porcile.

Augus facultatem nanciſcitur quacunq; libuerit pervadendi.

Mincius amnis.

Ollium.

Soncinum opidum.

Et accidit, ut octavo Calend. Julii, quo die curſus equorum Florentiæ edebatur, ſecus Adduam foret exercitus. Legati verò Florẽtinorum, qui tunc aderant, Robertus Aldobrandini, Andreas Victori, Nicolaus Uzanenſis, ludicrum equorum civitatis nomine in ripa Adduæ celebrari fecerunt, ſtante trans amnem ingenti multitudine hoſtium ad id ludicrum ſpectandum. Diſtabat autem is locus ab urbe Mediolano non amplius XVI. millibus paſſuum. Augus igitur cum exercitu in his locis exiſtens adventum Gallorum lætus præſtolabatur. Galli autem ſecuti Ducem ſuum, cum in radices Alpium deſcendiſſent, iter per citeriorem Galliam faciebant, ad ſiniſtram habentes Padum amnem, quem ſi tranſirent Ticinus etiam ab illis fuiſſet poſtea transeundus. Id verò quia difficile putabatur, ne inter duo flumina includerentur, ſic faciebant iter, ut dexterâ Apenninum montem, ſiniſtrâ Padum haberent.

Addua flumen.

Robertus Aldobrandini.

Andreas victori.

Nicolaus Uzanẽſis

Legati ludicrum equorum civitatis nomine celebrari faciunt.

Ticinus.

Neceſſariũ nobis videtur hoc loco, ſitũ ejus regionis breviter deſcribere, ut his, q legũt, clariùs innoteſcat. Gallia Ciſalpina à ſeptẽtrione quidẽ habet Alpes: à meridie

Gallia Ciſalpina deſcriptio.

die verò Apenninum montem: ab Oriente, Adriaticum mare. Padus autem fluvius inter Apenninum & Alpes decurrens, mediam planitiem per longum ſecat, & in Adriaticum mare ſe condit. Flumina verò omnia, quæ vel Alpibus, vel ex Apennino deſcendunt, in Padum recipiuntur. Sed incliti maximè amnes ex Alpibus fluunt, Habent enim Alpes locis pluribus maximos amœniſſimoſque lacus, ex quorum ſingulis flumina oriuntur, ut Ticinus ex Verbano, Addua ex Lario, Ollium ex Siblncio, Mincius ex Benaco. Mediolanum igitur inter Padum & Alpes ſitum eſt. Habet verò ex altera parte Ticinum amnem, ex altera Adduam. Galli ergò, ut diximus, ad ſiniſtram Padum habentes, ſecus fluvium iter faciebant. Erat verò eorum propoſitum, cùm eam regionem præteriiſſent, quà Ticinus Padum ingreditur, tunc, quamprimum facultatem nacti forent, Padum tranſire, ac Mediolanum exercitum admovere. Hoc igitur propoſito iter facientes, cum magna ſui ſpe, magnoque terrore hoſtium adventabant. Eſſe verò in Gallorum exercitu ferebantur quindecim millia equitum, pugnaciſſimorum hominum, præterea multitudo ingens peditum, lixarumque & calonum turba, quæ caſtra ſequi conſuevit. Galeatius autem Mediolanenſis Alexandriam opidum tenebant, poſueratque in eo loco Italorum optimum equitatum, Ducesque belli egregiè peritos. Erant cum Gallis Florentinorum Legati duo, Rainaldus Janfiliacti eques Florentinus, & Johannes Riccius. Hi Gallos, ac præcipuè eorum Duces, ab omni dimicatione, quantum poterant, auctoritate ac rationibus revocabant, ſuadentes, ut vitatâ interim pugnâ Mediolano copias admovere properarent: Alterum enim exercitum ibi præſtolari, qui ſe cum Gallis conjungat. Eo facto victoriam certiſſimam eſſe in manibus, nec hoſtem expectaturum. Nec ea quæ dicebantur, vana erant. Incredibilis profectò metus hoſtem invaſerat, adeò, ut ſimulac ſiniſtrum aliquid ſenſiſſet, Papiam (ubi erat ejus aula) deſciturus crederetur. Legati igitur iſta monebant. Galli autem innatâ gentis ferociâ in omne periculum ruere promtiſſimi erant. Itaque expugnato opido, cui Caſtellatio nomen eſt, longè ab Alexandria ſex millibus paſſuum, cùm in eo loco conſtitiſſent, tandem ad ipſam Alexandriam, ubi copias hoſtium conveniſſe audierant, pugnaturi duxerunt. Erant tunc immenſi calores: Nam ad VIII. Cal. Auguſti hæc agebantur. Equites autem hoſtium intra mœnia intenti, equis viriſque recentibus adventum Gallorum expectabant. Illi feſſi & calore fatigati per meridiem advenerunt. Addunt errorem alium. Ubi enim propinquarunt opido, deſcendentes ex equis aciem ſtruxerunt pedeſtrem, denſam quidem, & procul dubio ſuperiorem futuram, ſi pectoribus & lacertis pugnaretur. Ita ſtructi ad hoſtes contenderunt, relictis poſt ſe aliquo intervallo equis, quibus fuerant advecti. Hoſtes verò cum ea conſpexiſſent, emiſſo per alias portas equitatu, tranſverſis itineribus ad equos impetum fecerunt, profligatiſque cuſtodibus equos ipſos seſſoribus vacuos magna ex parte abduxerunt: reliqui palati per agrum longè à ſuis aufugerunt. Ex hoc jam conditio Gallorum deterior reddebatur. Neque enim aderant equi, quibus abire poſſent: & in pugnam à fronte non exibatur. Itali enim ex equis pugnare conſueti, pedeſtrem Gallorum aciem equitatu à lateribus maximè laceſſebant, ac procellas equeſtres interdum dantes, mirum in modum fatigabant. Quod ſi aliquando Galli ſeſe cohortantes in hoſtes facto impetu progrederentur, cedentes equites facilè abibant: mox redeuntes in ordinem Gallos perſequebantur. Per hunc modum cum aliquandiu eos fatigaſſent, tandem omninò deſeſſos, ac ſeſe vix ſuſtinentes, calore ac laſſitudine magis quàm ferro ſuperarunt. Comes ipſe Arminiaci, Gallorum Dux ab hoſtibus captus, ex vulnere in prælio accepto, ac ex animi dolore & corporis ærumna proximâ nocte interiit. Cæterorum verò Gallorum plurimi interfecti: reliqui capti ſunt, nam quia equis carebant, ferè nemo evaſit.

Ticinus ex Verbano, Addua ex Lario, Ollium ex Siblncio, Mincius ex Benaco oritur.

Galeatius Alexandriam opidum tenuit.

Rinaldus Janfiliactus.

Johannes Riccius.

Caſtellatium opidum.

Immenſi calores.

Hoſtes equos abducunt.

Gallorum conditio deterrima redditur.

Galli calore ac laſſitudine magis quam ferro ſuperantur.

Gallorum Dux capitur & interit.

Per hunc modum maximi labores, ac infiniti penè ſumtus Florentini Populi in tranſitu Gallorum facti, in irritum cecidêre: Decies centena & ducenta ſexaginta ſex millia Florenorum auri expenſa, per cos menſes relata ad ærarium compertio. Legati Florentini, qui cum Gallis erant, in manus hoſtium devenerunt. Victoria fuit ingens ac plena, & profectò neceſſaria hoſti, in ſummo tunc diſcrimine conſtituto. Victis apud Alexandriam Gallis, Duces hoſtium in illâ exultatione

Legati Florentini in manus hoſtium deveniunt.

Digitized by Google

tione victoriæ, perquàm celeriter adverſus alium exercitum, qui ad Adduam ſtabat, duxerunt. Johannes autem Augus, quanquam profligatos fuiſſe Gallos audierat, tamen quia ab hoſtibus manabat rumor, non penitùs adhibendam fidem cenſebat. Retrò tamen aliquantò caſtra movit, & in agro Cremonenſi, apud vicum, cui nomen eſt Paterno, conſtitit. In eo loco dum eſſet Augus, hoſtes repentè ſupervenerunt, nec longiùs ab eo mille quingentis paſſibus poſuerunt caſtra. Erat inter utrunque exercitum nuda planities, quam rivus arbuſtis conſitus dirimebat. Hoſtes igitur cùm in propinquo eſſent, frequenter transmiſſo rivo noſtros ita laceſſebant, ut usque ad caſtra impetum facerent. Augus verò ſuos intra caſtrorum monumenta continebat, nec quenquam in hoſtes exire patiebatur. In hunc modum quatuor dies perſeveratum. Cernere verò erat alacres hoſtes ob victoriã nuper de Gallis partam, alteram ſe victoriam in manibus habere exiſtimantes. Et augebantur quotidie adventitio milite, nec abire poſſe Florentinorum ſociorumque exercitum prædicabant. Augus cum aliquot dies inſultum hoſtium pertuliſſet, ac patientiâ ſuâ auxiſſet illorum audaciam, tandem ſuos arma capere, ac intentos ſignum expectare jubet. Cumque hoſtes jactabundi adveniſſent, ac ſuperiorum dierum fiduciâ tumultuoſiùs ſubiiſſent caſtra, ſignum confeſtim dat, emiſſusque bifariam equitatus, dextrâ levâque hoſtes invadit, committitur ingens prælium. Sed quia ſub ipſis caſtris pugnabatur, & quod jam pridem ad hoc ipſum ſtructæ paratæque erant acies, non tulerunt hoſtes, ſed ad extremum fracti, cum ingenti ſuorum ſtrage præcipites aguntur. Cæſi ex his permulti: Capti etiam equites ſupra mille ducentos, & in his præcipui quidam ductores. Hac plagâ, hoſtibus inflictâ cum corũ jactantia perculſa eſſet, movere poſtridie ſigna Augus conſtituit. Quare primâ ſtatim luce ad Ollium duxit. Hoſtes verò, licet non eadem qua prius audaciâ, tamen ſecuti ſunt, ac poſtremum agmen interdum laceſſebant. Cum ad flumen Ollii ventum eſſet, timens Augus, ne tranſitu ipſo ab hoſtibus invadatur, in hunc modum providit. Sagittarios Anglicos, quos in exercitu habebat (ad quadringentos hi fuerunt) flumen transire fecit, & per ulteriorem ripam dextrâ lævâque collocavit, ac exinde ferire hoſtes, cum advenirent, juſſit. In poſtremo autem agmine equites delectos conſtituit, qui hoſtes ſubmoverent. Cæteram multitudinem transire mandavit. Cum omnes jam tranſiiſſent, præter delectos equites, qui agmen claudebant, tunc equites ipſi ad ripam venientes tranſire cœperunt. Hoſtes autem illos perſecuti à ſagittariis in ulteriori ripa ſtantibus ſubmovebantur, qui viros equosque ſagittis ferientes à flumine repellebant. Atque ita, licet magno cum labore, nullo tamen cum detrimento flumen transmiſſum eſt. Poſt eam diem liberior fuit inceſſus. Augus enim celeriter anteveniens, nullo impediente, Mincium amnem tranſivit.

Hoſtes ab Augo ingenti ſtrage præcipites aguntur.

Reſtabat Atheſis fluvius. In eo transmittendo ſumma difficultas, ac periculum maximum fuit. Nam cum appropinquaret Augus, & per ea loca exercitum duceret, hoſtes ruptis aggeribus fluvii regionem totam inundarunt. Ea difficultas ac periculum valde turbavit Florentinorum ſociorumque exercitum. Terram ſiquidem operientibus aquis, quò ſe verterent, neſciebant. Et ſimul hoſtes ſecuti veſtigia ſuper venerant. Quare nec antè proficiſci impedientibus aquis, & hoſtibus à tergo imminentibus, neq; rurſus in eo, quo conſtiterant, loco, ob defectum commeatus diutiùs manere poſſe videbantur.

In his anguſtiis cum eſſet exercitus, periculoſum, cæterùm neceſſarium conſilium Augus capit. Ante lucem repentè movens per aquoſa duxit, diemque totam, ac ſecutam noctem profectus, tandem in arido conſtitit, ac inundationem fluvii inter exercitum ſuum & hoſtes mediam dereliquit. Hoſtes ab initio noſtros deſeruiſſe caſtra nequaquàm intelligebant. Quippe Augus ad ſpeciem vexilla imminenti loco affixa reliquerat in caſtris, quæ hoſtes procul cernentes ibi exercitum eſſe putabant. Sed cùm neque equi ulli prodirent, appropinquantes demùm exploratores deſerta repererunt caſtra. Neque tamen hoſtes ſecuti ſunt, quoniam longè jam abierant noſtri, & ipſi inundationem & inſidias formidabant. Poſt hæc augus ad ripam Atheſis qua ſibi commodiùs fuit, profectus contra Montagnanam Patavinorum opidum (hæc amica jã erant loca) Atheſim navibus tranſiit. Ibi in tuto conſtituti reficere ſe ex longa fluctuatione, & quaſi naufragio perrexerunt. Amiſſi ſunt in eo itinere pedites omnes, equites quoque permulti,

Augi conſilium periculoſum ſed neceſſarium.

Montagnana Patavinorum opidũ.

quicunque videlicet parum robuſti fuerunt. Illud autem cenſuerunt omnes, non alium quenquam Ducum, præter unum Augum, ex tantis difficultatibus ſervare exercitum potuiſſe. Fuit enim Dux rei militaris ætate ſuâ omnium peritiſſimus. Et erat tunc *extremâ ætate, quæ prudentiam & cautionem augere Ducibus ſolet. Nam juvenes plerunq; fervor & audacia præcipites agit.*

Quâ æſtate hæc per Galliam gerebantur, eadem æſtate alius Florentinorum exercitus Senarum mœnia pulſabat. Fuerunt autem in eo equitum quatuor millia, peditum verò mercede conductorum duo millia. Inter hos erant ſagittarii Genuenſes ad mille ducentos, expugnationibus aptiſſimi. Omnes hæ copiæ apud Colle opidum convenerunt: profectique illuc duo ex decemviris vexilla publica, ut moris eſt, Duci tradiderunt. Obſervatum eſt de cœlo in traditione ſignorum.

Loiſius Campanus Dux. Iſola. Roſia.

Dux exercitus fuit Loiſius Campanus, propter egregiam rei militaris famam evocatus. Is ergo armato ſtructoque exercitu, cùm extra portas opidi vexilla ſuſcepiſſet, ſtatim movens in Senenſes duxit, ac primâ die apud Iſolam fecit caſtra: Poſtridie verò in Roſiæ plano. Inde mox in alia atque alia loca tranſiit. Cauſa verò crebræ mutationis caſtrorum illa fuit, quod circa maturationem ſegetum erat.

Senis caritas defectusq; annonæ.

Intra urbem verò Senas caritate defectuque annonæ plurimum laborabatur: & ſi nova perderentur frumenta, irreparabilem inopiam hoſtes ſubibant. Ob eam rem majori ſtudio adhibito cuncta populabantur, ſæpius de induſtria motis caſtris, quo magis omnia deperirent. Commeatus exercitui ex Florentino Aretinoque agro, prout magis huic vel illi propinquabant, præbebatur. Capta ſunt quædam munita loca ab exercitu, & incendio conflagrata: pugnæ inſuper quædam circa urbem commiſſæ, & capti ex Senenſibus nobiliſſimi quidam cives. Cum eſſet in Senenſibus Florentinorum exercitus, ac maxima detrimenta cladesque inferret, nuncii celeres Florentiam attulerunt, profligatos apud Alexandriam Gallos, & alterum exercitum, qui ad Adduam fuerat, circumventum ab hoſtibus evadere non poſſe. Quibus auditis ceciderunt Florentinorum animi, ac futurum horrere cœperunt. Neque enim credibile videbatur, hoſtes poſt tantam victoriam eſſe quieturos. Jamque venire in Hetruriam arbitrabantur. Quibus autem copiis reſiſterent, duobus per Galliam exercitibus amiſſis, nequaquam videbant. Cum tamen paulò pòſt incolumem eſſe Augum, & exercitum, qui cum illo erat, cognoviſſent, ſpem ac vigorem animi reſumſerunt, ac ſe ad bellum parantes Augum & exercitum in Hetruriam revocârunt.

Iacobus Vermis Veronenſis Dux militiæ.

Galeatius autem, cùm ex magno periculo domi reſpiraſſet, quò parem Florentinis cladem inferret, ac Senenſes oppreſſione hoſtium liberaret, victrices copias ſuas in Hetturiam mittere conſtituit. Quare apparatibus celeriter factis, Jacobus Vermis Veronenſis, militiæ Dux, jubente illo, exercitum paulò ante victoriam per Placentinum agrum ad Apenninum duxit: ejusque montis ſuperato jugo circa Macram fluvium deſcendit. Inde tranſmiſſo Lucenſi agro in Piſanos devenit.

Macra fluvius.

Inter hæc Augus Bononiam acceſſerat: Qui cùm iter hoſtium cognoviſſet, ſuperato & ipſe Apennini jugo in Piſtorienſes deſcendit. Nec ullâ ſubinde morâ in Miniatenſes profectus, contra hoſtes conſtitit.

Dux verò hoſtium ex Piſanis in Volaterranos; ex Volaterranis verſus in Senenſium fines cum exercitu tranſiit, volens & confirmare civitatem ſuperiore bello afflictam, & copias, quæ in Senenſibus erant, ſibi adjungere. Ea cùm celeriter confeciſſet, retrò converſus, ad Colle & Bonitium duxit, habens equitum ſupra duodecim millia, peditum verò mercede conductorum tria millia. Præterea ex Senenſibus & Piſanis voluntariorum multitudo ingens ſequebatur. Cum his copiis agrum Florentinum ingreſſus eſt.

Duces Florentinorum convenient Bonitii. Loiſius Campanus.

Bonitii convenerant Duces & milites Florentini Populi. Erant verò Duces duo, Loiſius Campanus, qui eâ æſtate bello per Hetruriam præfuerat, & Johannes Augus poſtea evocatus. Habebant verò præſtantiſſimum equitatum ex Italis & Germanis per Italiam militare conſuetis. Sed erant diſpares numero: Hoſtes enim longè plures potentioresque habebantur. Noſtri tamen opportunitate opidorum freti, equeſtria prælia in his locis multa commiſerunt. Nec ullo in loco conſiſtebant noſtri, ſed apud Colle & Staggiam & Bonitium partiti fuerant. Id eoconſilio fecerant Duces, quod neque ſub divo caſtra facere tutum exiſtimabant, nec uno in opido omnes includere copias poſſibile erat.

Hoſt

Hoſtes igitur poſterâ vel tertiâ die ſtructis aciebus Bonitium prætergreſſi, inter Certaldum & vicum ſuper Elſa flumine caſtra fecerunt. Inde Miniate verſus duxerunt, quo ex vicinis Piſanorum finibus commeatum habere poſſent. In his locis aliquot dies commorati, tandem transmiſſo Arno ſecundis aut tertiis caſtris in agrum Piſtorienſem devenere. Ibi expugnato caſtello, cui Caſale nomen fuit, circa illud conſederunt. Noſtri autem Duces ad Emporium primò conſtiterunt: Mox ubi in Piſtorienſes tranſiiſſe hoſtes cognoverunt, Arnum per Signiæ pontem transgreſſi, ad Titianum duxerunt, ibique juxta opidum poſuerunt caſtra. Diſtabant verò caſtra noſtrorum ab hoſtium caſtris millia paſſuum non amplius duobus.

Certaldum.

Caſale caſtellum.

Inter hæc magna ſociotum auxilia Florentinis ſupervenerunt à Bononienſibus equitum duo millia, ſagittarii quadringenti. Præerat Bononienſium equitibus Johannes Barbiani, comes. Miſerunt & alii ſocii auxiliares copias. Ex agro quoque Florentino & Aretino incredibilis multitudo in caſtra confluxerat. Itaque nec Duces rei militaris periti, neque magnitudo exercitus civitati defuit, adeoque pares erant, ut non detrectarent Florentini pugnam, ſed ultrò ſe fortunæ prælii offerrent. Apparatus certè fecerunt omnes, tanquam haud dubiè pugnaturi. Hoſtes verò deterriti magnitudine copiarum, quæ ſingulis diebus in caſtra Florentinorum confluebant, penuriâ etiam commeatus impediti, abire ſtatuerunt. Quare ante lucem moventes ad Victolinum caſtellum duxerunt. Ibi transmiſſo colle in ſubjectam planitiem circa Nebulam fluvium deſcenderunt. In faucibus autem collis, quâ transeundum erat, præſidia equitum & peditum reliquerunt, qui ab inſecutione noſtros arcerent.

Iohannes Barbianus Comes Dux Bononienſis exercitus.

Victolinum caſtellum.

Hoc poſtquàm auditum eſt, Florentinorum in caſtris arma raptim ſumta ſunt, & clamabant omnes, ruendum eſſe poſt fugientes hoſtes, neminem eorum incolumem abire oportere. Adverſus hunc temerarium motum, præcipitemque militum voluntatem Augus pertinaciſſimè reſiſtebat. Sciebat enim prudentiſſimus Dux, *quàm periculoſum eſſet ad nutum hoſtis circumagi:* Permultæ quidem vel in fuga ipſa inſidiæ conſueverunt eſſe. Quare ſatis eſſe dicebat, ſi hoſtes aufugerent, ſeu id ſimulatum, ſeu id verum eſſet: proinde abire illos ſinerent, ac ſeſe ſuis ordinibus continerent. His verbis ac præſenti autoritate milites regens perſtabat, miſſiſq; omnes in partes exploratoribus, iter ac progreſſum hoſtium ſciſcitabatur.

Temerarius motus militum.

Cùm tandem certior factus eſſet, majorem hoſtium partem circa Nebulam fluvium deſcendiſſe: in collibus verò partem reſtare, validas equitum turmas, ac pedites magno numero præmiſit, ad hoſtes, qui in colle remanſerant, invadendum. Ipſe cum reliquo exercitu ſtructus intentusque ſequebatur. Qui præmiſſi erant equites, celeriter progreſſi, hoſtes, qui in colle reſtabant, invasêre, ſtatimque acer pugna committi cœpta eſt. Sed noſtri auctâ continuò ad clamorem manu, fiduciâque ſequentis exercitus, meliori ſpe dimicabāt. Hoſtib. verò continuo decreſcebant vires propterea quod deſcendebāt aſſiduè, nec ulli regrediebātur. Et jam multitudo peditum noſtrorum ſupervenerat, & undique magno clamore & impetu invadebat. Quare tandem fracti hoſtes, non ſine magna cæde profliguntur.

Hoſtes profligantur.

Capti equites hoſtium ſupra ducentos, inter quos Taddeus Vermis, propinquus Ducis, & Vannes Appianenſis Piſanus, & Gentiles Camerinenſis fuêre. Peditum verò ſupra trecentos cæſi, quorum maximam partem ex Piſanis & Senenſibus fuiſſe tradunt. Ingens præterea multitudo captâ. Eâ victoriâ ſublatis militum animis, neque jam Ducis præcepto, neque aliâ ullâ re contineri potuerunt, quin deſcenderent ex collibus, ac poſtremum agmen hoſtium invadere properarent.

Taddeus Vermis, Vannes Appianus Piſanus. Gentiles Camerinenſis.

Erant jam hoſtes apud plebem Nevolæ, ibique ſtructi atque compoſiti ſuos expectabant. Qui cùm invaderentur à noſtris, converſi è veſtigio hoſtes, incautè ruentes in ſe noſtros, non ſine magno detrimento usque ad colles ipſos, ex quibus deſcenderant, præcipites egerunt. Ita qui non paruerunt Duci, temeritatis ſuæ pœnas dedêre. Hoſtes poſt hæc continuato itinere, cum perſequeretur nemo, transmiſſis Florentinorum finibus, ſe in agrum Lucenſem receperunt. Exercitus autem noſter circa Nebulam fluvium caſtra fecit, lætus atque exultans ob hoſtium fugam, qui pugnam detrectantes, cùm eam petere ſimulaſſent, clàm abiiſſent.

Poſt hæc admodum variè in his locis hoſtes verſati ſunt. Primò enim ex fini-

Caſcina.

bus Lucenſium Serezanam verſus profecti, Galliam repetere videbantur. Mox verò, quaſi mutato conſilio, in Piſanos reverſi, circa Caſcinam, & ea loca conſtiterunt, ac pugnam ſe poſcere iterato jactabant. Ob eam rem auxilia ſociorum revocata properè fuerunt, quæ poſt fugam hoſtium magna ex parte abierant. Nec tamen pugnatum eſt, ſed in longum res protracta. Hoſtes enim per agrum Piſanum & Lucenſem diutiùs caſtra fecerunt: Noſtri autem illis oppoſiti ab ingreſſu finium noſtrorum illos arcebant.

Rancum caſtellum à Florentinis obſidetur.

Per hoc ipſum tempus Rancum Aretini agri caſtellum obſeſſum eſt à Florentinis. Tenebant verò illud Saconis agnati, & bellum Aretio inferebant. Obſidere igitur illud placuit, & quia inexpugnabile erat, cuniculis maximè res tentata. Verùm irritus ad extremum labor apparuit. Stante igitur per Lucenſem Piſanumque agrum exercitu hoſtium, noſtris verò per ea loca adverſus eos oppoſitis: Ranco autem in Aretinis obſeſſo, pacis mentio exorta eſt. Erat jam autumni extremum, frigoraque & pruinæ deducendum in hiberna militem ſuadebant. Belli autem clades hinc inde inflictæ, pacem æquabilem recipere poſſe videbantur.

Mentio pacis inducitur.

Fuerat verò jampridem mentio pacis inducta, primò per Petrum Gambacuttam Piſanum, eo maximè tempore, quo Dux Bavariæ in Italiam venire dicebatur: deinde per Ducem Genuenſium, cùm Gallorum exercitum tranſire in Italiam cognitum eſſet. Utrumque tempus alienum à pace Florentini exiſtimârant. Itaque licet apertè illam non repudiaſſent: tamen differendo ac ſocios allegando rem in longum protraxerunt. Sed jam ceſſante Gallorum ac Germanorum ſpe, Florentinorum animi ferebantur ad pacem.

Quare intercedentibus amicis, & hinc inde ſuadentibus, legati Genuam miſſi ſunt à Florentinis & ſociis, & à Galeatio Mediolanenſi. Affuerunt & Romani Pontificis legati ad pacem ſuadendam adjuvandamque. Magnus enim per Italiam motus fuerat hujus belli, & ad quietem omnium pertinere illius ſedatio videbatur.

Philippus Alamannus Adimar. Ludovicus Albergottus Aretinus. Guido Tommaſi Florentinorum legati.

Florentinorum Legati fuerunt tres, Philippus Alamannus Adimar, Ludovicus Albergottus Aretinus, Guido Tommaſi. In tractanda verò pace difficultates plurimæ oriebantur, maximè pro Patavii negotio. Franciſcus enim Carrarienſis liberationem parentis apud hoſtem capti obſtinatiſſimè flagirabat: Hoſtis verò Patavinum urbem repoſcebat. De Senenſibus quoque non parva erat contentio, quod Florentini Talomeos & Malavoltas nobiliſſimas familias, quæ per id bellum domo pulſæ exulabant, reduci in urbem Senarum petebant. Erat quoque de caſtellis Aretini agri in eo bello captis diſceptatio, ac præſertim de Liciniano.

Franciſcus Carrarienſis liberationem parentis flagitat. Hoſtis Patavium repoſcit. Talomei & Malavolta nobiliſſimæ familiæ. Differentiæ ad arbitrium amicorum referuntur. Ricciardus Carazolus Neapolitanus magnus Rhodi magiſter. Antoniotus Adurnus Genuenſium dux. Pax ab arbitris pronunciatur.

Tandem poſt multas variaſque diſceptationes, cum ſatis jam tritæ res viderentur, & quid honeſtè peti vel negari poſſet, deprehenſum eſſet, & quibus in rebus ſupereſſent differentiæ appareret, quo pax concluderetur, ad arbitrium amicorum differentias retulêre. Fuerunt autem arbitri tres: Ricciardus Carazolus Neapolitanus, magnus Rhodi magiſter: is tùm aderat à Pontifice Romano legatus. Et Antoniotus Adurnus Genuenſium Dux, ſuo privato nomine: Additus eſt his honoris gratiâ Populus Genuenſis, in cujus urbe pax agitabatur, ſed pro una duntaxat perſona: idque expreſsè actum, ut nihil ratum foret, niſi quod ab omnibus concorditer laudaretur. Ante ſententiam verò, cùm de obſervatione futuræ pacis ſermo eſſet, & dicerent ii, qui rem tractabant, fidejuſſores idoneos ab utraque parte eſſe præſtandos: Reſpondens Guido Tommaſi, unus ex legatis Florentinis: *enſis, inquit, fidejuſſor ſit.* Jam enim Galeatius, *& quid nos poſſimus expertus eſt; & nos, quid ipſe poſſit, experti ſumus.* Hanc generoſam vocem adverſarii quoque probaverunt, *turpe exiſtimantes metum oſtendere, cùm alii non metuerent.* Arbitri igitur re maturè diſcuſsâ, demum ex compromiſſo pacem pronunciarunt.

Per eam pacem urbs Patavina cum omnibus opidis, quæ in poteſtatem ſuam redegerat, Franciſco Carrarienſi adjudicata fuit. Damnatus autem, ut penderet Mediolanenſi quingenta florenorum millia, in annos quinquaginta, ſingulis videlicet annis decem millia. De parente autem liberando nihil expreſsè actum; ſpes tantummodò dabatur, Galeatium ex propria libertate illum fore dimiſſurū. Caſtella hinc inde ablata, excepto Liciniano, (id enim in pēdenti remanſit) ut redderentur proviſum, utque exules Senenſium bonorum ſuorum fructus perciperent. Idem actum de Patavinis exulibus. Illud inſuper additum, ne Galeatio Mediolanenſi exer-

citum

citum vel copias ullas, ultra aquam frigidi, verſus Hetruriam mittere, ſeu habere liceret, niſi Senenſes & Peruſini, vel eorum alteri à Florentinis ſociisve, aut complicibus Florentinorum vexarentur: tunc enim mittere & auxiliari licere.

In hac ſententia maximè querelam habuit penſio pecuniarum Patavino impoſita: Nam cætera æquis animis Florentini & ſocii pertulerunt: Hoc unum indignati ſunt. Nec verò clàm fuit, Ducem & Populum Genuenſem pro Galeario ſtetiſſe, & quædam penè violenter à Riccardo Neapolitano contra Legatorum Florentinorum voluntatem extorſiſſe. Attamen laudatis acquieſcere Florentini ſtatuerunt. Per hunc modum pax recepta eſt, & ab armis ceſſatum. *Penſio pecuniarum Patavino imponitur.*

HISTORIARUM FLORENTINARUM,

LIBER UNDECIMUS.

PRincipio inſequentis anni, etſi pax erat, ſuſpiciones tamen nequaquàm parvæ exortæ ſunt, ex hujusmodi cauſa. Actum fuerat in pace, ut provideretur ab alterutris, ne equites & pedites, qui vel apud Florentinos & ſocios, vel apud Mediolanenſem militaſſent, ita dimitterentur, ut in ſocietatem latrocinii coirent. Id duabus cautelis aſſequi poſſe videbantur: una ſi non tota ſimul agmina, ſed paulatim dimitterentur: altera, ſi Duces ad eam rem idoneos penes ſe retinerent. *Conditiones pacis.*

Florentini igitur & ſocii id bonâ fide ſervaturi erant. At enim, qui cum hoſte militaverant, ductores quidam, non diu poſt pacem factam ſecedere ab illo, & in ſocietatem coire cœperunt, iterque à Bononienſibus & Ferrarienſibus poſtulare, quod niſi concederetur, vi ſe tranſituros minabantur. Ea res ſuſpiciones maximas peperit, ne ſimulatâ ab hoſte miſſione vires ſibi reſervaret, ac ſub alterius nomine Florentinos ſociosque adoriretur. Negare igitur iter placuit, & auxilia Bononiam à Florentinis miſſa ſunt, quò illorum conatibus repugnaretur: & ſimul Galeatio ſcriptum pro obſervatione conventorum. Sed cùm Florentinorum auxilia in Bononienſibus erant, ductores illi, & equites, de quorum tranſitu dubitabatur, diverſo itinere per agrum Parmenſem in Hetruriam deſcenderunt. Inde per Lucenſem Piſanumque agrum profecti, ſecus inferum mare in fines Senenſium devenêre. Mox inde vadentes, longo circuitu in Picentibus conſtiterunt, majorem latrocinii ſocietatem augentes. Ibi cùm ſatis aucti roboratique fuiſſent, reverti in Hetruriam, ac civitates vexare minabundi cœperunt, & ad redemtionem ſui Populos compellere. *Galeatio pro obſervatione conventorum ſcribitur.*

Hæc permagnam ſuſpicionem Florentinis & ſociis afferebant. Augebat verò ſuſpicionem obſtinatio Senenſium, qui contumaciter, infenſisque nimium animis poſt pacem remanſiſſe cernebantur. His addebatur inhumana tractatio Legatorum Florentinorum, qui dudum apud Alexandriam capti fuerant. Johanni enim Riccio poſt pacem factam additi compedes, ac triginta millium florenorum indicta redemtio, cum prius quatuor duntaxat millia poſtularentur. Denique Galeatius ipſe per Carolum Zenonem Venetum, & Pasquinum Cremonenſem familiares ſuos edici fecerat Johanni Riccio, quamvis digna mortis ſupplicio commiſiſſet, ob machinamenta veneni ſe adverſum procurata: tamen pœnam mortis remittere, pecunias modò illi, cujus mancipium eſſet, pro redemtione ſua exolveret. At enim tam exceſſiva erat pecuniarum ſumma, ut palàm eſſet, rem impoſſibilem ab eo poſtulari. Itaque macerare illum carceris ærumnâ ſtatuiſſe apparebat, infenſionemque animi & odium in cives Florentinos etiam poſt pacem illi remanſiſſe. Accedebat inſuper, quod Franciſcum Carrarienſem juniorem nihilominus captum retinebat, & quod exules Patavinos ſtudioſius, quàm par erat, fovere videbatur. Hæc omninò erant talia, ut non abjeciſſe illum cogitationem belli depræhenderetur. *Riccio 30000. florenorum redditio indicitur.* *Carolus Zeno Venetus.* *Pasquinus Cremonenſis.*

Ob eas ſuſpiciones Florentini & ſocii fœdus inter ſe renovare conſtituerunt. Quamobrem Bononiæ convenientes ſingulorum Legati ſocietatem eisdem fermè conditionibus, quibus erat prius, renovârunt. Fuerunt in eo fœdere Florentini, *Florentini & ſocii fœdus renovant.*

Bononienſes, Paravinus, Ferrarienſis. Illudque in fœdere aſcriptum, ut cuicunque aut civitati, aut Principi venire in fœdus volenti locus eſſet. Ob quam facultatem haud multò poſt Mantuanus in ſocietatem fœdusque acceſſit. Ita Florentini & ſocii pacem verbis prædicantes optimo conſilio ſe adverſus futuri belli inſidias muniebant.

Mantuanus in fœdus acceſſit.

Commovit tamen maximè Galeatium Mantuani confœderatio, nec verbis querelisque pepercit, ac Florentinos pacem nolle, ſed bellum optare conqueſtus eſt, ſuosque & ipſe apparatus clàm & aſtutè moliebatur, ut poſtea de Piſanis apparuit.

Galeatius apparatum clàm & aſtutè molitur.

Florentiæ ludi eo anno magnificentiſſimè acti ſunt, ob honorem Francorum Regis. Significaverat enim Rex ad gaudium & lætitiam Florentini Populi filium ſibi primo genitum eſſe natum. Hoc igitur ſuſcepto nuncio devota regio generi civitas ob eam rem ludos ſolennes ad diem certam indixit, idque latè per Italiam divulgavit. Genus hoc ludorum Torniamentum vulgo appellant. Eſt autem pugna equeſtris armis & apparatu, & certamine verum prælium repræſentans. Cum ergò dies pugnæ advenisſet, incredibilis multitudo ſpectandi causâ Florentiæ convenit. Luſerunt juvenes obſtupendo penè apparatu. Equi erant bellaces & acres, ſtragula veſte inſigniter ornati. Juvenes autem ipſi pari ornatu equis inſidebant, thorace, & caſſide, & omnibus armis affatim muniti. Verſicolor veſtis auro muriceque inſignis arma contegebat, nec quicquam deerat ad veram pugnam, niſi quod enſes, quibus pugnabarur, nec aciem neque cuſpitem habebant, erant tamen ferrei, & graves, & adferiendum accomodati. Fecerant autem turmas juvenum duas. Singulis autem turmis Dux ſuus erat, ſuaque inſignia, quibus dignoſceretur. Primâ die ſtructi ornatique ſolum modò transmiſerunt: Alterâ verò die pugna mirabili ſpectantium lætitiâ cōmiſerūt, modò cuneatim, modò ſparſim ſeſe mutuo pervadētes, inſectationesque & fugæ, & cōverſiones & dimicationes fuerunt ſpectaculo dignæ, pugnatoresq; aliqui excellenti virtute in ea pugna claruerunt. Hæc apud Regem Francorum & alios Principes relata famam civitatis anteà magnam, grandiùs extulerunt.

Florentiæ ludi aguntur ob honorem Francorum Regis.
Torniamentum ludorum genus.
Turmæ duæ.
Fama civitatis extollitur.

Haud multò poſt ludos editos Legati Mediolanenſis Florentiam venêre. Hi cùm optimam Principis ſui voluntatem erga pacis obſervantiam multis verbis prædicaſſent, ſi qua ſuſpicio ſubeſſet, ad eam ſe reſponſuros, ac ſatisfacturos obtulerunt. Nihil enim gratius illi fore, quàm omnem ſuſpicionem de medio tollere, ut quemadmodum purâ mente incedit, ita exiſtimetur. Cùm adhæc generaliter reſponſum fuiſſet, Florentinum ſcilicet Populum de illius voluntate optima nequaquam ambigere, putareq; ſe pacem firmā certamq; habere; ſuſcipiens verba unus ex Legatis, Non eſt ſatis, inquit, ô Florentini! iſto modo agi. Non enim ideo miſſi ſumus, ut generaliter ageremus; ſed ut reſponderemus his, propter quæ vos ſuſcepiſſe ſuſpiciones Princeps noſter cognovit: ea, quoniam vos tacetis, à nobis exprimentur.

Tria, ut ab oratore veſtro intellectum eſt, ſuſpicionem de illius voluntate apud vos pepererunt. Unum dimiſſio copiarum, quæ mox aucto numero in ſocietatem latrocinii coiêre: Alterum obſtinati Senenſium animi: Tertium, quod Franciſcus Caratienſis ſenior, & Legati veſtri non ſint dimiſſi. Horum ſingulorum excuſationes legitimas audite, ut deſinatis aliquando ſuſpicari.

Tria ſuſpicionem Florentinis de Galeatio pepererunt.
1.
2.
3.

Primò, quantum ad copias attinet, erant apud illum permagnæ equitum copiæ, multique & præclari ductores, quos omnes magno ſuo incommodo apud ſe retinuit, eâ ſolummodò causâ, ne dimiſſi quietem patriæ conturbarent. Tres tantùm ex multis ab eo diſceſſerunt, Brogla videlicet & Brandolinus, quos propter conventiones cum illis ab initio initas retinere non potuit: Et Biordus Peruſinus, qui conducente ac poſtulante Romano Pontifice dimiſſus eſt, cui etiam Bononienſes ſocii veſtri ab eodem Pontifice rogati iter liberum conceſsêre. De Biordo igitur nulla vobis juſta querela eſſe poteſt. Quid autem de ſuperioribus illis duobus? Multo minus. Non enim in terra & locis Galeatii vires ſuas auxerunt ſed cum illis ipſis, quas ab initio adduxerant, copiis abierunt, qui etiam, ne vos ſociosque veſtros attingerent, per longa itinera, ac propè devia, in agrum Picenum, unde conducti fuerant, reverſi ſunt. At enim poſtea in ſocietatem latrocinii coierūt. Quid ad ipſū? Neq; enim præſtare debet, ne hujusmodi genus hominū, poſtquā ab eo diſceſſerint, latrocinetur: nec ſanè id poſſet. Quin etiā ex his, qui vobiſcū durante bello militarunt, magna ex parte ſocietas illa latrocinii conflata eſt. Nec

Brogla.
Brandolinus.
Biordus Peruſinus.
Societas latrocinii.

ſanè

ſanè colluvies illa quenquam magis offendit, quàm Peruſinos & Senenſes illius complices & amicos. Quamobrem querelam facere de copiis dimiſſis alienum eſt à ratione.

Durities Senenſium.

Quid duritiem Senenſium? an quisquàm imputare illi debet, qui ſtatim receptâ pace ad quietem illos cohortatus eſt, ac deprecatus, ut omnem præteritarum offenſionum memoriam deponerent: Et quia duriores ſentiebat, milites omnes ſuos illinc removit, quo illi ademtis viribus mitiores redderentur. Quod ſi ex priſtinis contentionibus adhuc reſidet aliquid vulneris in eorum animis, nec eradicari uſque ad hunc diem potuit, ſperandum eſt, fore, ut brevi tempore conſeneſcat, præſertim cùm ipſi per ſe nihil moliri queant, quod ſit à vobis formidandum.

Non conventum eſt in pace de Legatorum liberatione.

Reliqua eſt querela de Franciſco Caratienſe patre, ac de Legatis veſtris, quæ quidem juſta foret, ſi de illis liberandis in pace convenissent. Sed cùm illorum liberatio non fuerit promiſſa, neque conceſſa, quis nunc admirari, vel imputare Principi noſtro debet, ſi illi non dimittantur: præſertim cum Franciſcus iſte junior, qui Patavii dominatur, non humanitate ac benevolentiâ, quod perfacile illi fuiſſet, parentis remiſſionem ſtuduerit promereri. Legati autem veſtri apud Alexandriam belli jure capti, in eorum, qui ceperunt, manus devenêre, quos nec redimere ipſe debuit, neq; illis, qui jure belli ceperant, auferre. Ex his tamen ſplendidus eques Rainaldus Janfiliactii ſatis humaniter dimiſſus fuit. Johanni autem Riccio fortunâ contigit venisse in manus militis durioris animi, qui infinita quædam ab illo ſperaret. Hæc autem, ut videtis, nihil ad ſe. Nam ipſe quidem, quantum in eo eſt, Johanni Riccio humanitatem exhibuit. Si igitur quisquam fuerit, qui de optimo illius animo ſuſpicatus ſit, eam ſuſpicionem deponere conſtantiſſimè debet. Ipſe certè ſi ſuſpicari vellet, plures probabilioresq; cauſas haberet ſuſpicandi, ob receptionem Mantuani, penè in viſceribus ejus dominii exiſtentis, & ob fœdus tanto ſtudio renovatum & auctum: quæ omnia videri poſſunt non ad quietem reſpicere. Legati Mediolanenſis iſta dixêre.

Florentini autem cùm Legatorum dicta recenſerent, inprimis admirabantur, quod illi dixerant, ex Legato Florentini Populi tria illa ſuſpicionem afferentia cognoviſſe. Conſtabat enim, nunquam de hac re mandatum alicui legato traditum fuiſſe. Tandem verò compertum eſt, Gratiam quendam Eremitanum, inſignem eâ tempeſtate Theologum, qui aliis de rebus ad Galeatium miſſus fuerat, quaſi monendo & hortando illa ex ſe ipſo protuliſſe. Itaque reſponſum legatis datum eſt, nunquam Florentinum Populum de optimo illius animo poſt pacem dubitaſſe. Quod autem de tribus illis querelis dictum ab eis ſit, ſe certiſſimè ſcire, nunquam Legato ſuo talia commiſiſſe: Quare ſi forſitan dixerit quispiam de ſuſpicione concepta, ex ſe ipſo dixiſſe. De facto autem Mantuani nequaquàm admirari eum debere: Non enim amicitiam illius cum Florentino Populo nunc incipere, ſed eſſe perveterem: nec pro bello cuiquam inferendo in ſocietatem fuiſſe receptum, ſed pro pace quieteque ſervanda. Actumque expreſsè fuiſſe in eo fœdere, quod renovatum eſt, ut pax ſervaretur, nec adverſus illius conventa quicquam fieret. Quibus etiam de rebus oratores miſſuri ſunt ad Galeatium, per quos non dubitant, quin planè faciant ſatis. Cũ hoc reſponſo Legati remiſſi ſunt.

Reſponſum Legatis Galeatii datum.

Florentinorum amicitia cum Mantuano pervetus.

Poſt hæc omnia, quæ à legatis dicta reſponſaq; illis fuerant, ſociis ſignificata ſunt, ac oratores ad Galeatium delecti Philippus Adimar, Rainaldus Janfiliactii eques & Guido Tommaſi inclitus eâ tempeſtate vir.

Motus ingens in Piſanis.

Petrus Gambacurta interfectus eſt.

Eodem anno motus ingens in Piſanis fuit, Petrusq; Gambacurta Princeps ejus civitatis interfectus eſt. Quibus de rebus altius repetentes, pro cognitione earum pauca dicemus.

Piſanorum civitas ſub gubernatione Petri Gambacurtæ requievit.

Jacobus Appianenſis ſcriba. Vannes Iacobi filius.

Piſanorum civitas ſatis diu ſub gubernatione Petri Gambacurtæ requievit. Is fuit modeſti vir animi, & Florentino Populo inprimis amicus. Habuit verò adjutorem rerum agendarum Jacobum Appianenſem ſcribam, qui cùm multos annos ei obſecutus eſſet, cunctaque etiam ſecretiſsima arduiſsimaq; tractaret, in eam paulatim aſcendens devenit potentiam, ut dominatori etiam ipſi formidabilis eſſet. Factionem enim ſibi non mediocrem comparaverat in Piſanis, præſertim eorum hominum, qui Mediolanenſi favebant, Florentinis adverſabantur. Nam has quidem partes Jacobus ipſe vehementer auxerat, filiumque ejus Vannem vi-

gente nuper bello ad Galeatium palàm miſerat, adverſus Florentinos militatu-tum. Hic Vannes in fuga illa hoſtium ex agro Piſtorienſi facta captus à noſtris fuit, quæ res facinus jam compoſitum longiùs retardavit. Oſtendit verò Galeatius, quanti faceret hunc juvenem, quamque ſibi placerent illius cogitata, quod Johannem Riccium, de cujus captivitate ac retentione ſuprà diximus, Appianenſi conceſſit, quo filium redimeret. Redemto igitur juvene, ac Piſas reverſo, ſuſpiciones majorem in modum creverunt, multique Petrum monebant, ut ab inſidiis caveret. Nam comparari ab Appianenſi vires, ac ſe præmunire non obſcurum erat. Nec ſanè ipſe negabat, ſed adverſus Janfrancos inimicos ſuos, ne quid mali pateretur, ſeſe munire prædicabat. Petrus autem Gambacurta utpote vir bonus; *qui non de alio crederet, quod non ipſe faceret*, quamvis ſæpè admonitus, fidem non adhibebat. Itaque antevenit Appianenſis, ac Petro Gambacurta cum filiis interfecto, imperium ſibi civitatis arripuit.

Vannes capitur.

Petrus admonetur, ut ab inſidiis caveat.

Janfranci.

Gambacurta interfecto Appianenſis imperium civitatis ſibi arripit.

Hæc res Florentinos vehementer turbavit. Creditum eſt enim, ac pro certo habitum, cuncta illa, quæ Piſis geſta fuerant, ex voluntate atque conſilio Galeatii proceſſiſſe; quo civitas Piſana in favorem ac nutum ejus magis converteretur, ſtudiaque redemtionis juvenis & favores egregiè impenſos ex conſcientia jam cogitati facinoris proveniſſe. Ipſe profectò Appianenſis poſt cædem factam imperiumque civitatis receptum, ita ſeſe Galeatio tradidit, ut cuncta referre ad illius nutum videretur. Ita pro Mantuano penè de gremio Mediolanenſis recepto, ipſe Piſanam urbem non minus in viſceribus Florentinorum exiſtentem in ſuas partes voluntatemque traduxit.

Mantuanus Piſanam urbem in ſuas partes traduxit.

Oratores ad Galeatium, ut ſupra diximus, electi, cùm omnia paraviſſent ad iter, ſuperveniens Piſanorum caſus profectionem retardavit, præſertim cùm Rainaldus Janfiliactii eo tempore Præſes provinciæ per inferiorem Arnum eſſet, ac Piſanorum motus præſentiam ejus in illis locis neceſſariò flagitarent. Differre igitur miſſionem placuit, ac tandem alius in locum ejus ſuffectus eſt. Profecti demùm ad Galeatium Legati Florentinorum ſociorumque placare illius mentem de Mantuano, ac de renovato fœdere conati ſunt. Non enim bellum meditari, ſed pacem: nec mali alicujus gratiâ ſocietatem eſſe initam. Hæc legatorum dicta ille ſe credere ſimulabat: Itaque ſatis placatè tunc diſceſſum eſt.

Rainaldus Janfiliactius Præſes provinciæ per inferiorem Arnum.

At enim non multò pòſt multorum literis ex Gallia ſignificatum fuit, Nicolaum Neapolitanum Galeatii Legatum apud Regem Francorum cæterosque proceres diffamationem graviſſimam adverſum Florentinos vulgaviſſe, aſſerentem, illos contra fidem ac jusjurandum, quod recenti pace præſtitiſſent, bellum moliri, ejusq; gratiâ conſpirationē maximam iniiſſe, nec ullo modo poſſe quieſcere. Quâ de re cùm civitas àpud Galeatium per literas expoſtulaſſet, reſpondit illi per oratores, nunquam id mandatum Legato ſuo dediſſe: Fateri tamen, dum Mantuanum & cæteros conſpirare, ac tantam confœderationē parari videret, ſe pertimuiſſe. Sed poſtquam certior factus fuerit, illa non ad bellum parari, ſed ad pacem, dimiſiſſe timere, ac generum ſuum, regis Francorum fratrem his de cauſis in Italiam tranſire volentem, prohibuiſſe. Quod ſi de ſe quicquam ſuſpicentur Florentini & ſocii, fœdus & ſocietatem, & omnia offerre, quæ pertineant ad ſuſpiciones tollendas. Audientes verò hæc Florentini fidem his ſe adhibere ſimulabant, nec adhibebant tamen. Deniq; res per hunc modum ferè triennio ducta eſt, cùm apertè bellum non eſſet, cuncta tamen hinc inde ſuſpicionibus redundarent.

Nicolaus Neapolitanus Galeatii Legatus apud Regem Francorum diffamationem graviſſimam adverſum Florentinos vulgat.

Altero de hinc anno, qui fuit ſecundus poſt pacem, nihil ferè memoratu dignū eſt actū. Florentini tamen & ſocii, cùm ſe corroboraſſent, Ariminenſes, Faventinos, Ravennates, Imolenſes, Tifernates in ſocietatē fœdusq; ſuſceperunt. Quo autem plures accedebant ad fœdus, eò crebriores moleſtiæ ſequebantur, ob copias in ſocietatem latrocinii pluribus locis per Italiam coactas, quæ confœderatis terrores & damna variè inferebant. Et Mantuanus penè in gremio Mediolanenſis conſtiturus, ac de jure Mincii amnis cum illo diſceptans, magnis in ſuſpicionibus verſabatur. Sociis quoque inter ſe querelæ oriebantur, quæ interpoſitionem Florentinorum perſæpe flagitabant.

Florentini & ſocii in fœdus ſuſcipiunt Ariminenſes, Faventinos, Ravennates, Imolenſes, Tifernates.

Per hujusmodi tertius annus traductus eſt, nullâ inſigni re foris geſtâ. Domi verò eodē ãno motus fuit, ſumſitq; arma Populus, & concionē egit armatus. Per eā cōcionē quidam Albertorum [illegible] ejus familiæ honores in Rep. adēti. Cauſa verò hujus

Alberti pelluntur urbe.

hujus fuiſſe creditur, non tam recens aliquod admiſſum, quàm vetus partium contentio ex eo tempore cœpta, quo Benedictus ejus familiæ Princeps armatus in foro affuit, dum ſupplicium illud indignum de Petro Albicio, ac de cæteris optimatibus ſumeretur: cujus rei indignatio atque dolor in mentibus filiorum agnatorumque reſederat. *Benedictus Albertorum Princeps*

Per eandem concionem certo numero civium delectorum poteſtas data eſt Reip. reformandæ. Hi ſortitiones Magiſtratuum in quinquennium refecerunt.

Eodem anno Johannes Augus militiæ Dux, Florentiæ diem obiit, publicoq; civitatis funere elatus eſt. Fuit autem genere Anglicus, ſed longâ militiâ per Italiam aſſuetus, in multisque verſatus bellis, famam & gloriam rei militaris ſibi præcipuam comparaverat. *Augus militiæ Dux Florentiæ diem obiit.*

Jam tertius poſt pacem intrârat annus. In eo rurſus anno magni rerum motus noviter exorti, & ad bellum reditum eſt. Non tamen adverſus Galeatium Mediolanenſem apertum fuit bellum: ſed adverſus alios eo ſubmittente. Mortuo ſiquidem Alberto Ferrarienſi, Nicolaus ejus filius admodum adoleſcens in principatu ſucceſſit. Accius verò ex eadem familia ob ſuſpicionem affectati imperii Ferrariæ commorari vetitus, primò Venetias, inde Florentiam ſe contulerat. Hic autem moram trahens ſatis honeſtè ac magnificè, & in honore apud cives habitus, cùm aliquod tempus eo modo perſtitiſſet, demùm cupiditate dominandi per ſe ipſum ardens, & ab aliis inſuper quibusdam incenſus, clàm Florentiâ abiit cum paucis comitibus, & in Flaminiam ſe contulit. Inde mox propiùs accedens, per amicos & clientes contractis ſubitò viribus, repentino tumultu cuncta involvit, ut non ſolùm in his locis, quæ ad Argentam & Ravennam converſa exiſtunt; verùm etiam in Mutinenſi defectiones variæ fierent, ac extremo in periculo ſtatus Nicolai poneretur. Cognovit ſtatim civitas, Accium non ſuis viribus, ſed alienis iſta moliri: & quis eſſet autor machinatorq;, & quâ de causâ, non ignoravit. Itaque primò reducere Actium pro amicitiâ familiæ ad arbitrium conata eſt. Mox ubi illum alieniorem ſenſit, ad tutelam Nicolai, utpote ſocii & confœderati ſurrexit. Nec parva quidem fuit contentio, nec exigui temporis. Favebant enim Accio Ravennates & Forolivienſes. Johannes vero Barbiani comes, vir militaris, & magnum habens equitatum, domi ſuæ Accium receperat, & enixiſsimè adjuvabat, defectionesq; opidorũ ab ea quidẽ parte plurimæ ſunt ſecutæ. In Mutinenſi verò aliæ equitũ turmæ, quibus præerant Philippus & Marcovald⁹ Piſani, omnia pervadebãt: nec deerãt etiã accolarũ favores. *Alberto Ferrarienſi Nicolaus ejus filius in principatu ſuccedit.* *Accius Florentia abit, & in Flaminiam ſe confert.* *Iohannes Barbiani comes.* *Defectiones opidorum.* *Philippus & Marcovaldus omnia pervadunt.*

Per idem tẽpus alia multitudo equitum & peditum in ſocietatem coacta, quibus præerant Brogla & Brandolinus, Gargonſam caſtellum Aretini agri furtim occupavit: Diſcurſionesq; hoſtilem in modum per vicina loca faciens, prædis ac rapinis cuncta involverat. *Brogla Brandolinus.* *Gargonſa caſtellum occupatur.*

Ob eas turbationes decem viros publicâ autoritate ad curã belli creare placuit, qui Magiſtratus poſt pacem fuerat intermiſſus. Hi & adverſus Gargonſam militẽ oppoſuerunt, qui à popularionib. hoſtem cohiberet: & Ferrariam magna equitum auxilia miſerunt, quibus præfuit Conradus comes. Ita bellum in Aretinis & Ferrarienſibus eodem tempore concitatur. Utrobiq; verò Galeatii factum ſubeſſe non erat obſcurum. Nam qui Gargonſam occupaverant equites, paulò antè ab eo dimiſſi fuerant, & à Senenſib. ejus amicis commeatu & ſubſidiis palam juvabantur: Et qui rurſus Ferrarienſem premebant, ab eodem autore proficiſci cernebantur. Actium denique ipſum nequaquàm per ſe tanta poſſe, vel auſum fuiſſe manifeſtiſſimè apparebat. Florentini igitur iſta cernentes, ita ſuſceperunt Ferrarienſe bellum, ut non aliena, ſed propria res agi videretur. Nam Bononienſes quidem ſive metu earum copiarum, quæ in Mutinenſi convenerant, ſive amicitiâ Actii, velut medii, quidem perſtabant. Per idem tempus Legati Romani Imperatoris Patavium primò, inde Mantuam venientes ſignificarunt, Venceslaum Imperatorem ac Boëmiæ Regem audiviſſe contentiones, quæ illis & ſociis eorum ſint adverſus Mediolanenſem. Itaque conſtituiſſe, ob eas res, ſi modò confœderati velint, in Italiam transire ad Mediolanenſis potentiam retundendam, quo rebus ſuis contentus ſit, alienas verò nequaquàm invadat. Hæc Legatorum oblata & Patavino & Mantuano peroptima videbantur, illiusq; adventum in Italiam ſuſcipiendũ adjuvandumq; cenſebant. At enim Florentini periculoſum nimis conſilium exiſtimabant, ob metũ ac ſuſpi- *Decem viri ad curam belli creantur.* *Venceslaus Imperator ac Boemiæ Rex ad Mediolanenſis potentiam retundenda transire in Italiam conſtituit.* *Conſilium Imperatoris periculoſum exiſtimatur.*

ſuſpicionem Mediolanenſis, alium majoris faſtigii Principem in Italiam arceſſere. Itaque pervicerunt tandem Florentini, ut Legatis reſponderetur, nullum ſibi ad præſens eſſe bellū adverſus Mediolanenſem, ſed pacem agere, quā ſervaturū eſſe illum confidant. Quod ſi aliquando ſecus fieret, tunc ad Principem confugituros eſſe, ac benignis illius pollicitationibus uſuros. In Galliam tamen haud multò pòſt Legatis miſsis fœdus cum Francorum Rege quæſiverunt, putantes per hanc maximè viam Galeatium contineri poſſe.

Florentini fœdus cum Francorum Rege quærunt.

ANNO, 1395.

Eo, qui ſecutus eſt, anno, qui fuit nonageſimus quintus ſupra mille trecentos, eædem contentiones civitati fuêre. Statim enim ab initio & Aretini & Ferrarienſis belli cura premebat. Erant in Aretinis magnæ hoſtium copiæ, qui Gargonſam tenentes cuncta circum loca præliis & rapinis & cædibus reddebant infeſta. In Ferrarienſibus autem Actius, & cum eo Johannes Barbiani comes omnia pervadebant. Utrumque tamen feliciter confectum eſt bellum. Nam in Aretinis quidem cùm ferveret maximè certamen, præter ſpem ac expectationem depoſitum fuit ab hoſtibus. Galeatius enim Mediolanenſis ductores illos & equites ad alias opportunitates traducere volens, autor fuit, ut Gargonſa Florentinis redderetur. Qua ex re & gratiam iniit, ut mediator, & nihilominus ſuam rem egit. In Ferrarienſibus autem longius bellum, & durius fuit certamen, nec viribus ſolùm, verùm etiā fraudibus certarum. Barbianenſis enim pactus magna pro mercede Actium interficere, alium quendam Actio ſimilem, illius veſtitu indutum occidir, quem cum eis, quibus cum pactus erat, cæſum ac ſanguine fœdatum oſtendiſſet, mercedem accepit ingentem vim argenteorum vaſorum, & duo inſuper Nicolai oppida, Lucum videlicet & Conſelice. Quibus receptis, haud multò pòſt Actius vivens incolumisq; maximo cum riſu & lætitiā ſe multitudini oſtendit.

Aretinum & Ferrarienſe bellum feliciter conficitur.

Alius pro Actio et ſimilis occiditur.

Ex hoc jam deterior Nicolai conditio effecta eſt, ac rebelliones crebriores inductæ. Miſcuerat ſe huic certamini Faventinus Aſtorgius, qui & ſuā ſponte, cùm eſſet Barbianenſis inimicus, & Florentinorum rogatu bellum ſuſceperat, & crebris diſcurſionibus Barbianenſem Actiumque vexabat. Inter hæc multitudo agricolarum & colonorum inter Ferratiam & Argentam inſurrexit, armisq; ſumtis novis rebus ſtudebat. Quorum fiduciā cùm Actius ſine Barbianenſi Padum tranſiiſſet, ac ſeſe illis admiſcere pergeret, ſentiens hæc Faventinus Aſtorgius eum ſuo Florentinorumq; equitatu (ad mille ducentos equites fuêre) cumque peditum multitudine Faventiā profectus, Padum navibus trajecit. Inde Actium ac ſuos repentè aggreſſus, eos ſine magno certamine profligavit. Et, quod maximum fuit, Actius ipſe à Conrado Comite Florentinorum copiarum Duce captus eſt, & Faventiam ductus, ibiq; carcere aſſervatus. Per hunc modū Actii conatus cecidêre, etſi poſtea reliquiæ hujus belli, & in Mutinenſi, & in illis ipſis locis diutiùs permanſerunt.

Nicolai conditio deterior efficitur. Faventinus Aſtorgius.

Faventinus Aſtorgius Actium & ſuos profligat. Actius captus carcere aſſervatur.

Capto Actio rebusq; ejus profligatis, Florentini ductores ſuos & milites, quos per illa loca habebant, ad obſidendum Barbianum miſerunt. Erat enim Florentinis adverſus Johannem Barbiani comitem indignatio, quòd dudum ab initio Actiani tumultus, cùm orator Florentini Populi pro rebus componendis ad Actium veniſſet, ac cum deterreret à bello: Johannem etiam Barbiani comitem, ne adverſus Nicolaum Ferrarienſem bellum inferret, liberiùs commoneret, ac Florentinos nequaquàm id laturos eſſe proteſtaretur: Hic inquietus & militaris vir contumelioſis verborum uſus, Quanta, inquit, hæc veſtra, Florentini arrogantia eſt? Jam enim totā Italiā nemo crepitum facere poterit, cui intereſſe nolitis. Quicquid per Hetruriam, Galliam, Flaminiam emergit, pertinere ad arbitrium veſtrum exiſtimatis; Magiſtri & gubernatores omnium eſſe vultis. Et nunc adverſus Actium ex illa familia ortum, quam vobis amicam prædicatis, quod jura ſua perſequi velit, denunciatis bellum: Ac mihi cæteriſque illius juſtitiæ fautoribus, ſi illi auxilio erimus, comminamini. Ite igitur, & vos me cum equitatu meo intra fines veſtros expectate. Neque enim alibi, quàm in terra veſtra armatus rem vobiſcum tranſigam.

Florentini ductores, milites ad obſidendum Barbianum mittunt.

Johannis Barbiani verba contumelioſa adverſus Florentinos.

Cum ſupra contumeliam facta improba ſequerentur, non tulit Florentinus Populus, ſed copiis ad Barbianum miſsis, jactantiam illius ſic retudit, ut qui ſe armatum expectari in terra Florentinorum minabundus denunciaverat, cum domi, & intra propria mœnia obſideret. Venit etiam Faventinus Aſtorgius, & Nicolai Ferrarienſis copiæ, & circa Lucum & alia illius opida conſederunt.

Tota res tamen atque cœptum magis Florentini Populi videbatur, Quamobrem Bononienſes palàm queſti ſunt, indignantes apertè, quod Florentini illis in locis opida acquirere & poſſidere vellent: ac Johanni comiti adverſus Florentinos non occultè favebant. Idem faciebant Ravennates & Imolenſes, nequaquam amantes Florentinorum vicinitatem.

Militabat per hoc tempus apud Galeatium Mediolanenſem Albericus Barbiani comes, hujus Johannes propinquus. Erat verò Albericus vir magnus, & Princeps militiæ Galeatii. Hic ergò dolens opida ſua obſideri, commeatum à Galeatio petierat, & omnia parabat, quaſi ad opem ferendam venturus. Id Galeatius per oratorem ſuum Florentinis denunciaverat, nec ſe continere poſſe Albericum oſtenderat, quo minus ad ſuccurſum domus ſuæ veniret. Hoc igitur nuncio, & ſimul indignatione Bononienſium, & quod jam ſatis pœnarum ille dederat proterviæ ſuæ, obſidionem ſponte ſuâ Florentini diſſolverunt. In reductione verò aggreſſi ſunt, Caſtrocarum obſidere. Tenebat id opidum Thomas quidam Novianus, à Pontifice ſibi dudum in cuſtodiam traditum: Poſtea mortuo Pontifice propriâ autoritate retentum. Hic amicitiam habens cum Florentinis, ac illorum opibus ſæpè defenſus, tandem in ſermonem venerat, opidum illis tradendi. Non negligenda res viſa fuerat, ſed quò abeſſet querela, antè omnia à Romana Sede illud impetrare placuerat. Id eùm factum eſſet, poſſeſſor opidi, ſive pœnitentiâ ductus, ſive quod non quantum ſperabat pecuniarum ſibi tradebatur, relictâ Florentinorum amicitiâ, & propinquis Tyrannis reconciliatus, opidum in poteſtate ſuâ contumaciter retinebat.

Albericus Barbianus comes commeatum à Galeatio petit.

Florentini obſidionem diſſolvunt.

Caſtrocarum obſidetur.

Thomas Novianus.

His igitur aliquo tempore diſſimulatis, tandem cum illis in locis copiæ eſſent, quæ à Barbiano redibant, Florentini opportunitatem præſentium copiarum ſecuti Caſtrocarum obſidere conſtituerunt. Repenteque circa illud poſitis caſtris, magnâque vi peditum evocatâ, opidum undique cinxerunt, & præſidia contra illud duo, quas Baſtias vulgo appellant, munierunt, in quibus poſiti milites obſidionem urgebant. Hanc quoque obſidionem moleſtiſſimè tulerunt Bononienſes, uſque adeò, ut Legatis Florentinorum tunc Bononiæ exiſtentibus edicerent, non eſſe paſſurum Bononienſem Populum, ut Florentini in Flaminia dominatum acquirant: ſatis illis Hetruriam eſſe debere. Forolivienſes verò maximè hoc indignabantur, quoniam in veſtibulo penè ejus civitatis id opidum eſt ſitum, nec tàm propinquam Florentinorum potentiam ſine horrore cernebant.

Baſtia.

Denique vicinorum omnium par erat indignatio, præterquàm Faventini Aſtorgii, qui favere Populo Florentino & in hoc & in cæteris per id tempus videbatur. Ex hoc apparatus jam fiebant, conſpirante univerſâ Flaminiâ ad obſidionem tollendam, magnaque equitum agmina ex agro Piceno locisque aliis evocabantur. Quæ cùm tandem ad Forum Livii conveniſſent, ac peditatus ex cunctis Flaminiæ opidis penè innumeris equitibus jungeretur, magnitudine copiarum deterriti, qui caſtris Florentinorum præerant, relictis circa Caſtrocarum duobus præſidiis, cum manu militum, qui ea præſidia tuerentur, cæteram omnem multitudinem Mutilianam reduxerunt. Hoſtes autem venientes, quæcunque obſeſſis deerant, intulerunt, & præſidia contra opidum munita vice verſâ obſederunt. Ita neque maturum, neque ſatis conſideratum Caſtrocari cœptum tunc finem habuit non congruentem honori civitatis. Non enim ſolenni deliberatione obſeſſum fuerat opidum: ſed opportunitate copiarum, quæ tùm in Flaminia erant, quaſi extra propoſitum ſuſceptum fuerat bellum. *Itaque levitatem conſilii non bonus exitus brevi redarguit.* Et bellum quidem Caſtrocari intercedentibus Venetis cæteriſque amicis tunc depoſitum eſt, præſidiaque circa opidum à Florentinis communita in manibus Franciſci Cararienſis depoſita. Hæc in Flaminia eo anno geſta.

Levitatem conſilii non bonus exitus redarguit.

Bellum Caſtrocari deponitur.

In Hetruria verò equites illi, qui Gargonſam dimiſerant, haud multò pòſt repentino impetu Lucenſes invaſerunt. Factum hoc eſſe operâ Jacobi Appianenſis exiſtimatum eſt, cupientis Lucam quoque imperio ſuo adjungere. Florentini verò ubi hæc ſenſerunt, ſtatim quantum habebant domi conductorum equitum, Piſciam miſerunt: quod opidum non amplius diſtat à Luca, quàm decẽ millib. paſſuũ, eaq́; auxilia obtulerũt Lucẽſib⁹, ac per Legatũ hortati ſunt illos ad libertatẽ conſer-

Florentini Lucenſibus auxilia offerunt.

conſervandam. Quibus oblationibus & auxiliis confirmati Lucenſes equitatum Florentini Populi in urbem receperunt, ac per eum egregiè ſe tutati ſunt. Qui etiam egreſsi Lucâ equites aliquot prælia ſatis proſpera commiſerunt. Quamobrem deſperantes ad extremum hoſtes ſe quicquam profecturos, abire conſtituerunt. Abeuntes verò palàm captivos & prædam per ipſam Piſanam urbem vadentes duxerunt: quæ quidem res animos Lucenſium exacerbavit magis. Lucenſes igitur tantis affecti injuriis à Piſanis: à Florentinis verò in tantis ac tàm arduis periculis adiuti, poſthac in fœdus & amicitiam Florentini Populi conceſsêre.

Lucenſes in fœdus Florentini Populi concedunt.

Galeatius titulum Ducatus ab Imperatore ſuſcipit.

Eodem anno Galeatius Mediolanenſis titulum Ducatus ab Imperatore Romano ſuſcepit, cùm priùs virtutum comes nuncuparetur. Hoc ille Florentiam ſignificavit, quaſi benevolus & amicus, legatosque mitti petiit ad celebritatem honoris ſuis. Idque à civitate factum eſt. Miſerunt & aliæ civitates & Principes ab illo rogati, magnoque conventu oratorum & procerum peracta ſolennitas fuit.

Donatus Azarolus.

Reſtituere cupit eam partem civium quæ ab honoribus excluſa erat.

Angelus Ricoveri.

Per extremum hujus anni motus in Rep. fuit ex hujusmodi cauſa. Donatus erat Azarolus eques Florentinus ex familia nobili & admodum honorata, ipſe quoque vir magnæ virtutis magnæque autoritatis, & in gubernanda Rep. haud dubie princeps. Hic cùm omni ſuperiori tempore eadem ſenſiſſet, quæ cæteri, qui unà ſecum in Rep. verſabantur, tunc, quæcunque tandem illum cauſa induceret, mentem converterat ad eam partem civium, quæ ab honoribus excluſa fuerat, reſtituendam. Itaque cum Angelo Ricoveri vexilliferi filio, & cum aliis quibusdam agitaverat. Res erat difficilis & ardua, & non ſine contentione tranſitura. tamen confiſus autoritate & potentiâ ſuâ ſe perfecturum ſperabat.

Cùm igitur hæc intellexiſſent hi, qui Remp. gubernabant, confeſtim inſurgentes hujusmodi propoſitum exagitare cœperunt, ac ita ſe comparare, ut nullo modo paterentur tale quicquàm fieri. Jamque Priores commonefacti ſeſe erexerant ad rem, ſi quis eam tentaret, improbandam, & quaſi inimicam publicæ quieti puniendam. Quo metu deterriti Angelus Ricoveri & Guido quidam ſcriba, qui totius ſecreti erant conſcii, impunitate promiſsâ cogitationem & ordinem rei Magiſtratibus aperuêre.

Guido ſcriba ordinem rei Magiſtratus aperit.

Donatus ad Priores vocatur.

Donatus capitur.

In exilium agitur.

Donatus ergo ea de cauſa ad Priores vocatus, ab amicis & familiaribus ſuis quorum ſatis magna erat multitudo, retinebatur, ſuadentibus, ut domi maneret, ac manum ſuorum colligeret, quorum concurſu munitus aut perficiet quæ cogitârit, aut certè nihil mali patietur. Fautores quidem ac ſuaſores ita monebant. Ille verò inter ſpem ac metum ambiguus cùm aliquamdiu ſtetiſſet; tandem parére ſtatuit, plurimum confiſus autoritate ſuâ, & propinquorum favore, quorum aliqui in magiſtratu erant. Cùm in palatium veniſſet, captus ac retentus eſt. Quo facto omnes illius fautores diſſipati nuſquam poſthac comparuerunt. Ipſe biduo cuſtoditus demum tertiâ nocte ſic in exilium agitur, ut de palatio ad portam cum multitudine armatorum deduceretur, ne inimici nocere illi valerent. Acti præterea in exilium ſunt complures ex eo genere hominum, qui reſtitutionem affectabant. Obfuiſſe huic magno viro duo maximè exiſtimantur: Primùm nimia potentia, nec ea ipſa coërcita: Deinde libertas reprehendendi nimia; quarum alterâ invidiam, alterâ malevolentiam plurimorum ſibi comparavit.

Quæ obfuerunt Donato.

Legati ad civitatem miſsi domum illius frequentabant. Et omnes, quibus aliquid negotii cum civitate erat, ad hunc, tanquam ad patronum confugiebant: quæ, quidem res, nec ab amicis quidem illius probabatur: Inimici verò Ducem & dominum per calumniam vocitabant. *Adeò excellentia omnis in liberâ civitate moleſta eſt. Libertas autem reprehendendi nimia ſibi plurimum obfuit.* Ipſe quidem vir integer vitia hominum ferre non poterat, crebroque exagitabat. Ea verò res non tantùm proderat Reip. quantum ſibi nocebat. *Cives enim in libera civitate benignè monendi & dirigendi ſunt, non contumeliâ verborum exagitandi.* Ob hæc ille pulſus ac relegatus patriâ caruit. Cauſam verò relegationis publicæ literæ ad germanum ejus, Romanæ eccleſiæ Cardinalem, ſcriptæ declarant. Inquiunt enim à ſe invitis & dolentibus Principem civem in exilium actum fuiſſe, quoniam extraordinario tempore in ſpem novorum ſuffragiorum, novæq; reſtitutionis

cives

cives quoſdam erexerat: atque ita paraverat, ut, ſi non deliberatione publicâ obtinere poſſent, vi tamen & armis ea facere aggrederetur. Sequitur annus nonageſimus ſextus. In eo rurſus anno, quanta nunquam prius certamina parabantur. Principio enim illi ipſi ductores & milites, qui nuper Lucenſes invaſerant, Aretinum in agrum reverſi, uſque propè ad urbis mœnia, prædis, rapinis & incendiis cuncta fœdaverunt. Inde circa Burgum & Anglare tranſeuntes, ab ea quoque parte omnibus vexatis; tandem inter Cortonam & Aretinum conſederunt, rapinis & incendiis omnia miſcentes. Alia rurſus ingentior robuſtiorque multitudo apud Johannem Barbiani comitem parari nunciabatur, in ſocietatem latrocinii coitura. Futuros autem dicebant qui Barbiani conveniebant, non pauciores ſex millibus equitũ. Ipſeq; Johannes incredibili odio in Florentinos exarſerat, nec verbis minisq; parcebat: ſed jactabundus denunciabat invaſionẽ & bellũ. Adverſus hæc pericula inſurgentes Florentini, eos qui in ſuo jã ſolo inimicè verſabantur, virib⁹ ſuis oppoſitis excedere finibus compulerunt. Adverſus eam verò manum, quæ Barbiani parabatur, non viribus, ſed conſilio & prudentiâ uſi ſunt. Ducibus enim equitum, qui jam Barbiani convenire cœperant largitâ pecuniâ effecerunt, ut inde cum ſuo equitatu abirent. In quorum numero fuerunt Ludovicus Cantelli & Philippus Piſanus, cum equitibus mille quingentis. Sed Philippus deprenſus fugam meditari, captus ac retentus eſt. Ludovicus autem præveniens fugam arripuit cum ſuo Philippique equitatu. Hæc fuga cogitationem Barbianenſis * penitùs irritavit, recuſantibus poſt hæc aliis in eam ſocietatem coire, quæ prius diſſoluta fuerat, quàm penè incepta. Cùm igitur Ludovicus Cantelli cum eo, quem diximus, equitatu in fines Bononienſium ſe recepiſſet, Florentini ſumtâ hinc occaſione, quoniam & ipſi eiſdem artibus oppugnabantur, auctores fuerunt, ut Ludovicus Cantelli cum Bartholomæo Pratenſi & Antonio Obici, qui tunc in Mutinenſi bellum gerebant, in ſocietatem coiret, quo & ipſi pari fallacia inimicos ulciſcerentur. Hi Duces & equites ſimul circa Mutinam convenientes, ac ſocietatem augentes, damna Rheginis & Parmenſibus, cæteriſque finitimis inferre cœperunt. Veniebant Florentinis à Galeatio Mediolanenſi querelæ pro rapinis & maleficiis hujus ſocietatis. Cui reſpondebatur, non eſſe illas copias Florentini Populi: Tantùmmodo eos obligaſſe ad futura ſtipendia; ſi requirantur, interim verò ſui juris eſſe, ac ſuo arbitratu vagari: Quo jure ipſe etiam Galeatius Broglam Brandolinumque & Biordum cum eorum equitibus habeat obligatos. Sed cùm aliquantò in Mutinenſi commorati fuiſſent, ac rebelles Nicolai Ferrarienſis attriviſſent, moventes inde Duces, cum omnibus copiis in Hetruriam tranſiverunt. Ibi quoq; adverſatis quibuſdam afflictis, tandem Piſanorũ fines maximo tumultu ingreſſi ſunt. Conduxerunt autẽ eos in agrũ Piſanum exules Piſanorum, quorum Principes erant Gambacurtæ, & montis Scutarii comites. Hæc apertè ferebantur: Secretò autem Lucenſium operâ fiebant. Superiore enim anno à Piſanis injuriam paſſi Lucenſes, referre in eos perſimiles clades feſtinabant, & pecunias clam Ducibus præbebant, quò Piſanus ager diutiùs vaſtaretur. Florentini verò ſemper inimico animo adverſus Appianenſem fuerant, utpote infeſtum maximè & adverſum Florentino nomini, & tunc gratiâ Lucenſium ſociorum iſta fieri non inviti patiebantur. Cùm ſupra menſem integrum copiæ illæ in agro Piſano commoratæ, omnia longè latéque vaſtaſſent, Johannes Barbianenſis cum equitatu ſuo Piſas advenit. Hunc enim Piſani ſtatim evocaverant, ut poſe inimicum maximè fugitivorum equitum, qui in ſocietatem illam coierant. Iter ejus per Urbinates & Peruſinos & Senenſes fuit. Venerunt etiam cum illo Lucenſium exules, quorum Princeps erat Nicolaus Diverſus, vir apud Galeatium potens, & equitatum habens non contemnendum. Piſani ergò conjunctis cum Barbianenſi & cum exulibus Lucenſium, quas habebant, copiis, ſatis robuſti videbantur. Itaque Bartholomæus Pratenſis, & cæteri ductores in agrum Lucenſem ſe receperunt, & à Lucenſibus, quaſi exules ſuos formidarent, recepti ſunt. Miſerunt etiam Florentini equitum auxilia ad Lucenſes, præcepto eis dato, ut adverſus offendere volentes in Lucenſi ſolo reſiſtant: Piſanorum verò fines nequaquam ingrediantur. Piſani igitur cum omnibus copiis ad Librafactam caſtra faciebant. Lucenſium verò ac Florentinorum equites & pedites inter caſtra Piſanorum & urbem Lucam medii conſtiterunt, ac nonnulla prælia in his locis commiſſa ſunt.

ANNO, 1396.

Prope ad Aretii mœnia cuncta prædis, rapinis, & incendiis fœdantur.

Iohannes Barbianus comes incredibili odio in Florentinos exarſit.

Ludovicus Cantelli

Philippus Piſanus capitur & retinetur.

* Appianenſis M.S.P.

Florentini auctores ſunt ut Ludovicus cum [illegible] ſocietatem coeat.

Brogla Brandolinum, Biordum.

Montis Scutarii Comites.

Iohannes Barbianenſis à Piſanis evocatur.

Nicolaus Diverſus.

Florentini equitum auxilia Lucenſibus mittunt.

Inter hæc Florentinorum Legati, qui Mediolani erant, ſignificârunt, Albericum comitem & Leonardum Maleſpinam cum ingenti multitudine equitum dimiſſos eſſe à Galeatio qui in ſocietatem coirent, & ad tutelam Piſanorum in Hetruriam proficiſcerentur. Quo nuncio commoti Florentini, quaſi medios & ſequeſtres ſeſe inter Piſanos Lucenſeſque interpoſuerunt, miſſiſque ad utroſq; Legatis concordiam ſuaſerunt: quæ tandem recepta eſt eâ conditione, ut Barbianenſis cæteræque adventitiæ copiæ, quæ illum ſecutæ venerant in Piſanos intra decem dies ex Hetruria abirent. Pratenſis autem & ſocii ex finibus Lucenſium excederent, nec Piſanis ampliùs bellum inferrent. Hic finis tunc fuit illius turbationis; Duceſque & milites ſecundum conventa ſeceſſerunt: Barbianenſis quidem in Galliam, Bartholomæus verò Pratenſis & ſocii in fines Senenſium abierunt. Nec tamen poſthac quietæ res. Nam & Barbianenſis per Galliam Ferrarienſi & Mantuano Florentinorum ſociis damna permulta ac maxima intulit: Et Florentini ob hanc ipſam indignationem exulibus Piſanis favebant, quo Appianenſis & Piſani infeſtiùs urgerentur. Stantibus in hunc modum rebus, cùm bellum quidem apertè non eſſet, cæterùm ſuſpicionibus & querelis omnia redundarent: Piſanorum autem exules à Lucenſibus Florentiniſq; occultè foverentur, intelligens hæc Appianenſis, non ultrà tolerare hujusmodi pericula conſtituit. Quare & ipſe parare ſibi vires ſtuduit, & Galeatium hoc ipſum jampridem cupientem meditantemq; magis incendit ad bellum in Hetruria concitandum. Acta res eſt magno conſilio magnoq; apparatu, nec unquàm vires hoſtis tantum, quantum in hoc tempore paruerunt. Cum enim Florentinos invadere ſtatuiſſet, magna undiq; agmina, multiq; ſimul Duces, quaſi ad præſcriptum Piſis convenêre. Ex inferioribus quidem Hetruriæ locis Paulus Urſinus, & Octobonus Parmenſis, & Oecolinos Biordi frater. Eodemq; ferè tempore Brogla cum aliis item copiis Piſas petebat. Hi quatuor ductores ex Hetruria: Ex Gallia verò Johannes Barbiani comes, & Paulus Sabellus, & Lucas de Canali, cum alio item magno equitatu, & poſt hos Albericus Dux militiæ venire nunciabatur.

Leonardus Maleſpina.

Inter Piſanos & Lucenſes Florentini concordiam ſuadent.

Barbianenſis Ferrarienſi & Mantuano ſociis Florentinorum damna maxima infert.

Suſpicionibus & querelis omnia redundant.

Multi Duces Piſis pariſi ad præſcriptum conveniunt.

Paulus Urſinus.

Octobonus Parmenſis.

Oecolinus Biordi frater.

Brogla.

Johannes Barbiani comes.

Paulus Sabellus.

Lucas de Canali.

Albericus Dux militiæ.

In hac tanta redundantia hoſtilium copiarũ Florentini plurimũ trepidare cœperunt, & Bartholomæũ Pratenſẽ cæteroſq; in ſocietatẽ coactos, quaſi diſſolutâ ſocietate, ad ſtipendiũ conduxerunt, eoſq; p opida partiti ſunt. Venerat per hoc tẽpus Bernardon militiæ Dux à Florentino Populo vocatus, ac ſummæ rei præfectus vir, genere Aquitanus, cæterũ longâ militiâ per Italiã cognitus. Is ad ſexcentos equites delectos ſecum duxerat, peditesq; militare conſuetos ſupra ducentos: Cum his copiis apud Miniate & Fucetium conſtitit. Rogati ſunt inſuper auxilia Bononienſes ac cæteri ſocii: ſed parva, & ea ipſa tarda ac lenta auxilia venerunt.

Florentini trepidare incipiunt.

Bernardon militia Dux.

Inter hæc Paulus Urſinus & Octobonus Parmenſis cum ſuo equitatu Piſis moventes, agrũ Lucenſem ingreſſi ſunt. Ibi cum Johanne Barbianenſi conjuncti, Albericum venientem ex Gallia præſtolabantur, ac hoſtilem in modum omnia pervadebant. Lucenſes in periculo conſtituti auxilia Florentinorũ implorabant: Quibus cum auxiliari placuiſſet, Bernardon Dux Miniate ex opido profectus, Fucetium primò, inde in Lucenſes tranſiit. Cùm igitur in Lucenſibus eſſent Florentinorũ copiæ, omnibus ad eas partes intentis, Jacobus Appianenſis, quod jam pridẽ machinatus fuerat, aggreſſus eſt Miniate opidũ per proditionẽ auferre. Benedictus erat Marigiadorus Miniatenſis, vir domi nobilis, & ad eam uſq; diem fidelis exiſtimatus. Hunc Piſis tunc degentẽ Appianenſis magnis præmiis impulerat ad facinus & maximum & audaciſſimum perpetrandum, ut occupato repentè opido, ac tumultu excitato per amicos homines ſuæ factionis, & per auxilia, quæ præſtò ſibi forent, id opidum Florentinis auferret. Res opportuna videbatur, quòd nulla Florentinorũ præſidia in opido remanſerant: Hoſtium verò ingentes ac robuſtæ copiæ Piſis & circum ea loca degebant, paucis horis, ſi expediat affuturæ. Ratio verò tranſigendi hæc inita eſt. Ædes erant Præſidis in extrema parte opidi, ita conſtitutæ, ut extra & intus egreſſum ingreſſumq; haberent. Has occupare conſtituit, ac per eas ædes auxilia hoſtium ſuſcipere. His ita compoſitis Benedictus cum equitibus decem ſeptem Piſis movens, occaſo jam ſole Miniate pervenit. Ingreſſus autem opidum, ſic, ut erat armatus, cum his, quos adduxerat comitibus, quaſi nunciaturus aliquid, quod feſtinato opus eſſet, ad Præſidem contendit: admittitur ſine ulla dubitatione. Ille verò ſtatim ut in conſpectum Præſidis venit, eductis gladiis, nil tale ſuſpicantẽ cum ſuis invadit

Lucenſes Florentinorum auxilia implorant.

Benedictus Marigiatoris Miniatenſis ad facinus audaciſſimum impellitur.

Benedictus Præſidem in Miniate interficit.

invadit atque interficit. Mox ſublato clamore, opidaniſque ad libertatem vocatis, igne ſignificat hoſtibus, ut ad ſe maturent. Opidani attoniti primò atque incerti, cum hoſtes adeſſe cum exercitu putarent, nec alteris alteri confiderent, maximo in metu perſtabant. Procedente autem tempore, cùm nulla hoſtium auxilia adeſſe ſentirent, convenientes in unum, ac ſe cohortantes, invadere occupatores ſtatuerunt. Facto igitur impetu ad Præſidis ædes, quanquam illæ munitæ forent, & ab iis, qui eas tenebant, egregiè defenderentur: tamen cum alii aliunde invaderent, ac ignem foribus injicerent, tandem diffiſi occupatores adverſus tantam vim poſſe reſiſtere, ac nulla venire auxilia cernentes, ad fugam reſpicere cœperunt. Benedictus ipſe per tenebras ſeſe extra opidum abjiciens, per prærupta quædam evaſit. Ex comitibus autem ejus quidam capti ſunt: cæteri fugientes latitanteſque evaſerunt. Expugnatæ ſunt autem ædes demum poſt mediam noctem, cùm primis ferè tenebris occupatæ fuiſſent. *Miniate occupatores ad fugam reſpicere incipiunt* *Benedictus per prærupta quædam evadit.*

Erat nox media, cum Florentiæ nunciatum eſt, cæſum eſſe Præſidem, atque ædes ab interfectoribus teneri, hoſteſque ab iis vocari expectarique. Confeſtimque Magiſtratus exciti eo nuncio, cives trepidi vocaverunt, magnoque in metu civitas eâ nocte fuit. Opidum enim munitiſſimum, & multitudinis maximæ capax, in quo peridoneam belli ſedem eſſe conſtaret, ſi amiſſum foret, actum de libertate putabatur. Ac nimirum tantas hoſtium copias ad hoc ipſum conveniſſe interpretabantur. Cùm igitur de his conſultaretur, agereturque, & amiſſum omnino opidum omnes putarent: alter ſub primam lucem nuncius ſervatum opidum, proditoreſque pulſos fuiſſe retulit. Ex hoc ſecundo nuncio tantam lætitiam civitas ſuſcepit, ut maximo liberata malo videretur. Admirantibus autem, cur auxilia occupatoribus non veniſſent, compertum eſt, cùm venirent per noctem auxilia, peditum incidiſſe primos in inſidias noſtrorum, qui alia de cauſa repoſiti, exules capere volebant. Ex hoc ſuſpicatos hoſtes, rem eſſe detectam, retrò abiiſſe. *Sic fortuna potiùs opidum ſervavit, quàm ulla hominum providentia.* Die autem factâ Oecolinus Biordi frater cum equitatu adveniens pulſos occupatores reperit: Quare è veſtigio converſus Piſas reduxit. *Fortuna Miniate ſervavit. Oecolinus Biordi pater.*

Poſt Miniatis detectam proditionem & fraudem, Dux militiæ Florentini Populi ex agro Lucenſi Fucetium rediit, ac ſuperiori periculo admonitus opida cuſtodire intentus erat. Inter hæc Albericus comes Princeps militiæ Galeatii cum ſuo equitatu Senas petierat, ac cæteros omnes ductores ad ſe vocaverat. Itaque apud Senenſes tandem omnes undique copiæ in unum coïerunt. Ob eam rem Dux etiam militiæ Florentini Populi ab illa quoque parte ſeſe hoſtibus opponere juſſus eò properavit. Sed erat viribus admodum diſpar. Neque enim ſub divo caſtra facere poterat, ab imparitatem copiarum: ſed incluſus per opida fines tueri cogebatur. Fiebatque naturâ loci, ut neceſſariò diſtraheretur, incertus, quo tandem hoſtes forent invaſuri. Aretium enim & Florentia tantidem diſtant ab urbe Senarum, ut quoquo verſus ſe converterent hoſtes, pericula ſubeſſent. Fuit autem tunc fama & opinio, hoſtes Aretinorum in agrum eſſe tranſituros. Quamobrem Dux quoque militiæ Florentini Populi ad eam ſe maximè partem converterat. At enim hoſtes, cùm ſatis omnia parata fuerunt, præter expectationem omnium Florentiam petierunt. Erant autem equitùm ſupra decem millia, peditum verò incredibilis multitudo, in quibus exulum & latronum, facinoroſorum permagnæ erant catervæ. Iter eorum per Chiantium fuit, ſuperatoque monte circa Panzanum prima fecerunt caſtra: idque caſtellum cœperunt: Inde ad Gravem fluvium deſcendentes tranſverſis itineribus ad urbem duxerunt circa Pazolaticum & Certoſam, & ea loca, inſtar diluvii cujuſdam omnia inundantes. Agmina infeſta uſque propè ad mœnia urbis diſcurrebant. Agricolæ pavidi, & improvisò oppreſſi (neque enim indictum fuerat bellum) cum conjugibus & liberis, raptâque ex hoſtibus ſupellectile fugiebant, pecora præ ſe in urbem agentes. Famabant villæ incendiis, agri rapinis fervebant, cuncta tumultu ac trepidatione plena erant. Ad hæc multitudo urbana talium periculorum inſueta ad portas diſcurrebat, & quid fieret, aut ubinam eſſent incendia, ſciſcitabatur. Hoſtes quicquid erat villarum apud Giogoli & Marignolam, & Sophianum populati, multiſque incendiis factis in viam Piſanam *Galeatii omnes copiæ in unum apud Senenſes coeunt.* *Chiantium. Panzanum. caſtellum ab hoſtibus capitur. Graves fluvius. Pazolaticum. Certoſa.* *Incendia.* *Giogoli. Marignola. Sophianum.*

deſcenderunt. Ibi quoque villarum ædificiorumque quicquid ab ea parte fuit populati, contra urbem terribiles imminebant, ut etiam inſtrumenta belli ſuper ipſam portam ad repellendos hoſtes ponerentur. Inter hæc Dux & copiæ Florentini Populi conſpecto jam hoſtium impetu Florentiam redierunt, ac opportunis locis conſiſtentes, quantum fieri poterat, à populationibus cohibebant. Hoſtes transmiſſo Arno, ac ultra citraque populati circa Signiam conſtiterunt, idque caſtellum omni ſtudio expugnare adorti ſunt, quo ſedem belli in eo loco haberent. Eſt autem ad hoc opportuniſſimus Signiæ locus. Aliquot igitur dies ſummâ vi opidum oppugnantes cùm pervincere nequiviſſent, abire demum ſtatuerunt. Ita per Peſam & Elſam fluvios profecti, multis ubique vexatis atque afflictis in agrum Senenſem redierunt. Facta ſunt autem hæc in extremo anni nonageſimi ſexti, ut etiam principium inſequentis anni circa Florentiam hæc copias reperiret. Poſtquàm in agrum Senenſem reverſi ſunt, hoſtes bifariam dividuntur. Pars enim eorum una in Policianenſes Cortonenſesque tranſgreſſa, illic bellum intulit. Altera verò pars cum Alberico apud Senenſes remanſit, ad bellum in his locis continuandum. Sed haud multò pòſt minui vires ac debilitari cœperunt. Nam & Paulus Urſinus ad ſtipendia Florentinorum ſe tranſtulit, & Biordus concordiâ cum Florentinis initâ Occolinum fratrem revocavit, & Barbianenſis Johannes operâ maximè Bononienſium in Flaminiam rediit. Ita magis æquatis viribus bellum gerebatur. Dum hæc in Hetruria agebantur, Galeatius Mediolanenſis, ceu bellum alibi nullum ſibi foret, alio magno exercitu in Mantuanos miſſo urbem illam aquâ terrâque obſedit: maximoque in periculo Mantuanus verſabatur. Florentini verò, quanquam domi premebantur ab hoſtibus: tamen ſaluti deeſſe amici & ſocii noluerunt, ſed auxiliares copias, nec eas quidem parvas, ad Mantuanum miſerunt, quibus præfuit Ugo comes Montis fortis. Certamen hoc apud Mantuam eo anno maximum fuit. Certatum eſt enim aquâ navigiis per Padum & Mincium amnes: terrâ verò binis hoſtium caſtris & magnis exercitibus. In Hetruria verò poſt imminutas hoſtium vires, circa Senas plurimum redierat bellum. Ductores namque & milites Florentini Populi apud Colle & Bonitium conſiſtentes, magnâ virtute conatus hoſtium refringebant, & ipſis pariter Senenſibus Piſaniſque inferebant clades. Per hoc tempus Bernardon Princeps militiæ Bartholomæum Pratenſem ſupplicio affecit, quod quidem ſupplicium rem Florentini Populi penè ſubvertit. Cauſa verò mortis illius fuit, quod contra ordinem ſcitumque Ducis diſcurſione in agrum Piſanum factâ magnas exinde prædas abegerat, quæ jam pridem à Duce proviſæ, ac univerſo exercitui deſtinatæ fuerant. Hinc indignatio exorta eſt, non tam pro emolumento, quàm pro contemtu majeſtatis. Videbantur jam pridem non benè inter ſe convenire. Bartholomæus enim Pratenſis, egregius procul dubio bellator, ac magnarum jam copiarum ductor, non ſatis æquo animo Bernardoni ſuberat, cui ſe non inferiorem virtute bellicâ putabat. Itaque ſe maximè contemtum Dux exiſtimans, & prædas tunc abactas inter omnes partiri juſſit, & ipſum ad ſe vocatum in opido Colle compræhendi atque occidi mandavit.

Signiam hoſtes pervincere nequeunt.

ANNO. 1396.

Vires hoſtium debilitantur.

Paulus Urſinus ad ſtipendia Florentinorum ſe transfert.

Mantua à Galeatio aqua terraque obſidetur.

Ugo comes Montis fortis.

Bernardon Princeps Bartholomæum Pratenſem ſupplicio afficit.

Bartholomæus Pratenſis comprahenditur & occiditur.

Ex hoc Paulus Urſinus & Philippus Piſanus, qui unà cum illo prædatum ierant, ſe à cætero exercitu ſeparârunt, ac ſeorſim degentes nec parére Duci, nec ad eum venire volebant. Multi quoque ex aliis ductoribus mortem Pratenſis indignabantur, ac factum Ducis improbabant. Ex quo evenit, ut exercitus Florentini Populi penè diſſolveretur, ut etiam aliquando à Decemviris cogitatum ſit de Bernardone removendo. Demum compoſitæ res ſunt per aſſecurationem illorum qui ſeceſſerant à Philippo Piſano. Equites omnes, qui ſub Pratenſi militabant, parére juſſi: nec multò poſt Mantuam tranſmiſſi. Venerat enim Florentiam Carolus Malateſta, magnus eâ tempeſtate vir, ac pericula Mantuani oſtenderat. Huic ergò Philippus Piſanus cum equitibus mille traditus eſt, ut & liberaretur metu ſeditionis exercitus, ac ſocio indigenti auxilium ferretur. Cæteri quoque auxiliares equites, quos Florentini cum Ugone comite Mantuam præmiſerant, Carolo parére juſſi ſunt. Habuit autem Florentinus Populus ad ſubſidia Mantuani equitum circiter tria millia. Hujus autem Caroli virtus in illo bello plurimum claruit. Inter hæc per Hetruriam maximum ac periculo-

De Bernardone removendo cogitatur.

Carolus Malateſta.

ac periculoſiſſimum gerebatur bellum, hoſtibus quidem Florentinos & Aretinos & Lucenſes vehementer infeſtantibus: Florentinis verò vel pares vel majores in Senenſes & Piſanos referentibus clades. Per hæc ipſa tempora cum extra maximè ferveret bellum, gravis & horrendus intra urbem caſus emerſit. Qui enim Remp. gubernabant præſtantes quidam cives non pariter omnibus erant accepti. Longitudo belli & inexhauſta tributorum collatio multitudinẽ urbanam gubernatoribus reddebat infenſam. Et accedebat, quod familiæ quædam inſignes ſuſpectæ ac rejectæ à Rep. non ſatis æquo animo id ferre putabantur. In hoc ſtatu rerum juvenes quidam ex præcipuis familiis conſpiraverunt. Initium conſpirationis Bononiæ fuit. Ibi enim Benedictus Spina & Baſtardinus Medix juvenes audaces, ac manu promti, quorum uterque ob cædem Florentiæ dudum factam exulabat, requiſiti atque rogati à Barone Hieronymi, ut ſibi adeſſent ad cædem inimici, quam facere cogitabat, ei conceſſerunt. Adſciti ſunt poſtea & alii ad facinus, inter quos Pichius Adimar, & Maſinus Riccius fuêre, nec de unius modò, ſed de plurium cæde cogitatum. Creſcensque paulatim ſpes eò perduxit, ut cogitarent, mutationem ſtatus Reip. ex facto ſuo ſequi debere: idque deinceps meditati ſunt. Et acceſſiſſe creditur majoris autoritatis hominum conſenſus & opera. Compoſitis tandem rebus Florentiam noctu propter eos, qui exulabant, acceſſerunt. Ingreſſique per Arnum in ædiculis quibusdam recepti delituerunt. Prodeuntes deinde tertiâ die poſt meridiem palàm armati, ac tela manibus gerentes ad cædem patrandam profecti ſunt. Erant verò juvenes octo. Initium cædis facere conſtituerant à ſplendido equite Maſo Albitio, eâ tempeſtate magno viro, & in Rep. admodum potente. Illo enim interfecto faciliorem ſibi viam exiſtimabant fore, ad cætera, quæ cogitaverant, obeunda. Sed Maſus à ſpeculatore illorum obſervatus paulò antè, quàm illi ſupervenirent, inſcius omnium fortè ſeceſſerat in proximam aromaticam tabernam. Atque ita caſu quodam ſervatus eſt. Illi enim venientes ad locum, ubi ſpeculator eum reliquerat, cùm hominem non viderent, nihil commorati præterierunt. Profecti deinde in forum vetus, ac multitudinem opificum ad arma cohortati duos ex diverſâ factione homines ſibi obviam factos interfecerunt. Sed cùm multitudo ad eos viſendos concurreret, nulli tamen arma ſumerent, nec ſe illis conjungerent, abire conſtituerunt. Profecti uſque propè ad Servorum templum, ac poſtmodum datâ ſpe revocati, tandem in ædes ſacras Reparatæ ſe incluſerunt. Ibi demum obſeſſi, ac tandem capti ſunt, deque illis ſupplicium eſt ſumtum: Civesque aliqui eorum confeſſionibus denotati ex urbe aufugerunt, abſentesque damnati ſunt.

Maximum bellũ per Hetruriam.

Horrendus caſus intra urbem Florentinam.

Benedictus Spina. Baſtardinus Medix.

Baro Hieronymi.

Pichius Adimar Maſinus Riccius.

Maſus Albicius.

Iuvenes conſpirantes obſidentur, capiuntur & puniuntur.

Proſpera poſt hæc de bello Mantuano nunciata. Adventu enim Caroli Malateſtæ cum auxiliaribus copiis, victoria parta eſt, hoſtibus aquâ terrâque fugatis. Capta hoſtium caſtra, equitum circiter duo millia in captivis relata. Navigia verò omnis generis ſupra centum viginti, in manus eorum, qui vicerant, devenerunt. Hac igitur percuſſus plagâ Mediolanenſis, militiæ Ducem Albericum ex Hetruria revocavit, ut confirmaret ſuos adverſo prælio conterritos, ac novi Ducis novorumque militum adventu erigeret. Abeunte igitur ex Hetruria Alberico, & ſuum equitatum abducente, Florentini ſuperiores effecti, caſtra per hoſtile ſolum poſthac faciebant, ac Piſanos primò uſque ad mœnia populati ſunt: Deinde traducto in Senenſes exercitu, vaſtitate incendiisque omnia fœdaverunt, ob vindictam incendiorum per Florentinum agrum nuper factorum. Cum proſperæ in Hetruria res eſſent, in Gallia converti rurſus & laborare cœperunt. Qui enim apud Mantuam nuper vicerant, nequaquam victoriam ſecuti ſunt: Quaſi enim totum confeciſſent, vires ſuas diſſolverunt. Itaque hoſtes refecto exercitu, navigiisque paratis fines Mantuanorum aquâ terrâque iteratò invasêre, & intra munimenta, quod illi Serraglum vocant, penetrârunt, multaque caſtella, & omnia navigia ceperunt, ut in magno rurſus periculo Mantuanus conſtitueretur. Nam neque Carolus Malateſta aderat, cujus virtute maximè victoria parta fuerat: neque Florentinorum auxilia, præter admodum paucos equites. Triremes verò ac cætera navigia de Venetis nuper conducta poſt victoriam abierant. Itaque hoſtes ſolitudinem defenſorum na-

Vindicta in Piſanos.

Serraglum.

cti, facilè omnia pervadebant. Socii jampridem Mantuano bello fatigati, cùm illud renatum ignaviâ victoris cernerent, tardè nimium ac lentè auxilia remittebant. Spes quoque pacis ſuperinducta reddebat homines tardiores. Jampridem enim Legatis miſſis pax Imolæ tractabatur, mediis ac diſceptatoribus legatis Romani Pontificis ac Venetorum. Mox ex urbe Imola Venetias fugerat agitatio traducta. Ab hac ſpe homines plurimùm dependebant, præſertim cùm Veneti affectare pacem etiam ſui causâ viderentur.

Ingens motus in Piſanis.

Inter hæc motus ingens exortus eſt in Piſanis. Milites enim Galeatii, qui Piſis erant, maximas Piſanis contumelias inferebant: Quas cùm illi non ferrent, ad verba prius & minas; tandem ad arma ventum eſt, prælioque per urbem commiſſo ſuperante Populi multitudine, milites franguntur, multâque cæde & vulneribus diſſipantur. Vulneratus eſt in ea pugna Paulus Sabellus equitum Præfectus: Nicolaus verò Palavicinus, & Nicolaus Diverſus, & alii ductores capti: arma, & equi, & omnia quæ ipſi habuerant milites, à furenti Populo direpta. Jactabantque Piſani, eâ mente ſumta à militibus arma, ut urbem caperent ac diriperent.

Paulus Sabellus vulneratur. Nicolaus Palavicinus & alii ductores capiuntur.

Pax & auxilia à Florentinis Piſanis offeruntur.

Hæc inimicitia atque diſcordia magnam ſpem Florentinis præbuit, Jacobum Appianenſem & Piſanos totâ mente à Galeatio defeciſſe. Confeſtimq; literæ gratulationis plenæ à Florentinis ſcriptæ: Mox etiam oratores miſſi, qui pacem & auxilia Piſanis offerrent. Et oratores quidem libenter ac honorificè Piſis recepti ſunt, ac ſpes optima tradita fœderis ineundi. Sed fuit Galeatius mirabili ingenio ad Populos & amicos in benevolentia continendos. Fatendo enim errorem ſuorum militum & Ducum, ac eos increpando: Piſanos autem laudando, quod neceſsitate coacti, prælium iniiſſent pro injuriis propulſandis, eos continuit. Appianenſis quoq; Florentinorum antiquus hoſtis, haud facilè eorum fidei ſe committebat. Itaq; demum irritâ expectatione res Piſanorum fruſtrata eſt.

Liburnum.

Redintegrato igitur adverſus Piſanos bello, Dux militiæ Florẽtini Populi cum exercitu profectus, inter urbem Piſanam & proximum litus maris caſtra fecit, & quicquid erat Liburnum inter ac Piſas longè latéque populatus, tandem poſt multos dies onuſtum prædâ militem reduxit.

Per extremum ejus anni Veneti, apud quos de pace, ut ſupra diximus, agebatur, cernentes per Mediolanenſem Galeatium ſtare, quo minus ad pacem æquabilẽ veniretur: propinquitatem verò illius & potentiam nimiam formidantes, ad commune Florentinorum ſociorumq; fœdus & ipſi acceſſerunt: Legatisq; ad Galeatiũ miſsis, ut à bello deſiſteret, hortati ſunt, alioquin ſe pro ſalute Mantuani, bellum ſuſcepturos denunciârunt.

Veneti ad commune Florentinorum & ſociorum fœdus accedunt.

Hoc Venetorum factum maximè conterruit Mediolanenſem, veritum, ne ſi illi quoque bellum ſuſciperent, ipſe impar tantis viribus reperiretur. Itaq; ſtatim de pace tractari efficaciùs cœptum eſt, volente ac poſtulante Galeatio. Hic tractatus Papiæ agitabatur. Interim verò apparatus majores fieri placuit, quibus hoſtis, niſi pacem reciperet, invaderetur. Earum gratiâ rerum Legati in Germaniam & in Galliam miſſi ſunt, ad Duces & exercitus in Italiam conducendos.

Biordus interficitur.

Per eadem ferè tempora Biordus, qui Peruſiæ & aliis quibusdã civitatibus dominabatur, à quodã Peruſino ſuæ factionis interficitur. Putavit interfector, cædem illius pergratam fore civibus ſuis, ob libertatis recuperationem: idq; beneficium præcupidè recepturos exiſtimavit. Sed non eadem, ut videtur, libertatis cura omnibus erat. Itaque nemine tunc civium ſequente, parentes & agnati interfectoris à fratribus & amicis Biordi occiduntur: ipſe verò interfector vix fugâ evaſit. Florentini ad componendas ſedandasque hujusmodi turbas, partem equitũ ſuorum Peruſiã miſerunt, & cum his oratores, qui de caſu Biordi cõdolerent, ac vires civitatis Peruſinis offerrent. Altero dehinc anno, qui fuit nonageſimus octavus ſupra mille trecentos, comites Puppii & Balnei, itemq; Ubertini cum omnib. eorũ caſtellis ad Mediolanenſem defecerunt. Hic rerum motus per ſe ipſum magnus videbatur, & augebat ſuſpicionẽ, quòd diu agitata defectio fuerat, occultis conventibus apud Urbinates & Foroliviẽnſes frequenter actis: ex quibus majora defectionis hujus fundamenta ſubeſſe credebantur. Accedebat inſuper ad terrorem, quod Civitellam, caſtellũ Aretini agri ſatis nobile, & opportuno ad bellum ſitu, hoſtes paulò antè per fraudem occupârant. Itaque pluribus ex locis inſurgere bellum videbatur. Civitas hujusmodi periculis aſsueta conſtanti animo adverſus hos terrores remedia

Interfectoris parentes & agnati occiduntur.

ANNO 1398. Puppius, Balneus comites & Ubertini ad Mediolanenſem deficiunt.

media parabat, nec deſerebat interim Mantuani curam. Inſuper ex Gallia Bernardum Arminiaci comitem, germanum ejus, qui apud Alexandriam interierat, Florentini ad rranſeundum in Italiam excitabant. In Germania verò Duces Auſtriæ potentiſſimi à Venetis ſimul Florentiniſque legatis ſolicitabantur. Nec multò pòſt Civitella obſeſſa eſt à Florentinis, ac tandem non vi expugnata, ſed pactione recepta. Eodem anno induriæ cum Mediolanenſi in decennium factæ ſunt. Cùm enim in tractanda pace difficultates permultæ orirentur, facilior viſa eſt induciarum via. Per hunc modum tunc ab armis ceſſatum eſt, & in Galliam Germaniamq; ad Legatos ſcriptum, ne ampliùs Duces exercitusq; commoverent. Nec tamen quietæ fuerunt induriæ, ſed plenæ ſuſpicionum & inſidiarũ Haud enim multò poſt eas factas, ductores quidam & equires, qui apud hoſtem militaverant, quaſi finitis ſtipendiis ex Gallia in Hetruriam tranſiverunt. Hi fines Lucenſium hoſtilem in modum populari ſunt: ac ſubinde per Volaterranos profecti, in Collenſem agrum diſcurſiones fecerunt, & cum præda & captivis hominibus in Senenſium fines ſe receperunt. Senenſes quoq; haud pacato animo eſſe videbanrur, multiſq; de rebus controverſias renovabant. Comires antem & Ubertini nullo modo quieſcere poterant. Cauſa verò hujus erat, quod pleraque illorum caſtella per Caſentinatem agrum ita circundabantur à noſtris, ut, niſi per ſolum Florentini Populi, ad ea importari nil poſſet: Florentini aurem vetabant, per ſolum eorum commeatus importari. Quod ſi vi & armis freti importare conarentur, vi & armis illis reſiſtebatur. Ita neq; ſal, neq; oleum neq; cætera quibus ad victum opus eſt habere valentes, quaſi obſidebantur. Ob has difficultates compulſi turbare omnia cupiebant.

Bernardus Armeniaco comes in Italiam à Florentinis excitatur.

Civitella à Florentinis obſidetur & pactione recipitur.

Induciæ fiunt cum Mediolanenſi.

Induciæ plenæ ſunt ſuſpicionum & inſidiarum.

Senenſes controverſias renovant.

De his rebus querelæ ad Venetos, qui fuerant indutiarum autores, cùm ſæpius ab alterutris deferrentur, tandem effecerunt, ut illi, tædio victi, ſatis exiſtimarent fore ſi in Gallia nil fieret adverſus indutiarum fidem: In Hetruria verò ſi quid fieret, non multũ curare viderentur. Quæ quidem res ſagaciter animadverſa per hoſtem, denium effecit, ut tota cogitatio ſua in Hetruriam converteretur: ubi & materiã habebat paratam ad agendũ, & ſine indignatione ſociorũ poſſe agere cognoſcebat.

Veneti erant induciarum autores.

Per hæc ipſa ferè tempora Johannes Graſſolini Piſanus, Florentiam veniens, fœdus & amicitiam Piſanorum Florentinis obtulit. Jacobo enim Appianenſi, ac Vanne ejus filio morbo abſumtis, gubernatio ejus urbis ad Gerardum juniorem filium devenerat. Hic autem contrariâ, quàm pater, viâ, ad Florentinos mente & animo inclinare videbatur, & potentiam Mediolanenſis ſuſpectam habere. Itaque Johanne Graſſolini occulrè Florentiam miſſo, per Rainaldum Janfiliactii, & Guidonem Tommaſi, magnos eâ tempeſtare viros, paternos amicos, offerri fœdus & amicitiam fecit. Poſtulabat verò pro rutela ſtatus ſui, ut ſexcentos equites, ac ducentos pedires, Florentinorum impensâ tenere ſibi liceret. Nam & in Piſanis æmulos quosdam habere dicebat, quos comprimere hac potentiâ opus foret, & adverſus vim externam ſe munire.

Johannes Graſſolini Piſanus, fœdus Piſanorum Florentinis offert.

Gerardus Appianenſis filius junior.

Johannes Graſſolini.

Gerardus Florentinis fœdus offert.

Hæc publicè relata in conſilio civium varias ſententias habuêre. Utilis quippe videbatur amicitia & conſœderatio Piſanorum: Cæterùm precio & impensâ illam emere non ſatis decorum exiſtimabant. Erant etiam, qui non perſeveraturos in fœdere Piſanos dicerent, ſed pro innato contra Florentinos odio, ſimul atq; occaſionem viderint, defecturos. *Quamobrem præſtare, ajebant, ab illis cavere, quàm confidere.* Tandem legato reſpõſum eſt: Si velint Piſani & Gerardus in fœdus amicitiamq; venire, læto animo recipienrur, ac promta illis parataq; erunt civitatis auxilia: nec ſexcentorum modò equitum, peditumque ducentorum: ſed omnium copiarum, omniſq; potentiæ Florentini Populi. Mercedem autem pro equitibus peditibusque certâ pactione promittere, id alienum à dignitate Florentini Populi videri, *qui amicitias non conſuevit precio emere, ſed fide ac beneficiis promereri.* Ita res Piſana tunc remanſit infecta.

Florentia non conſuevit amicitiam precio emere.

ANNO 1399.

Altero dehinc anno, qui fuit nonageſimus nonus ſupra mille trecentos, eadem certamina per Caſentinatem agrum, eædemque ſuſpiciones & querelæ civitati fuêre. Induriæ enim nuper factæ valere ſervarique dicebantur: verùm in Hetruria turbabantur omnia, & erant plena inſidiarum. Galeatius enim Mediolanenſis, quantum nunquàm aliàs, conatum omnem ad rem Hetruſcam convertens, Piſas in ditionẽ poteſtatemq; ſuam redigere ſtatuit: idq; paulò pòſt aſſecutus eſt, Gerardo quippe Appianenſi non id animi robur eſſe apparebat, ut tantæ re-

Galeatius Piſas in poteſtatem ſuam redigere ſtatuit.

tum moli ſufficete credetetur: & timebant multi Piſanorum, ne ad Flotentinos declinaret. Eâ occaſione invitatus Mediolanenſis Galeatius, ad Piſas capiendas animum convertit. Quamobrem majotibus copiis in Hetruriam miſſis, modò pollicendo, modò peticula oſtentando pet interceſſotes quoſdam effecit, ut teiento

Plumbinum. Ilua. Galeatius dominus Piſanorum efficitur. Galeatius Senenſes in ſuam ditionem redigere conſtituit.

Plumbini atque Iluæ dominatu, & pecuniâ inſuper acceptâ, Piſas ſibi Gerardus relinqueret. Per hunc modum dominus Piſarum factus Florentinis terribilior imminebat. Augebat terrorem, quod alia ſubinde moliturus fetebatur. Nam poſt redactos in ſuam ditionem Piſanos, de Senenſibus idem facere conſtituiſſe illum, fama erat. Licet enim Senenſes odio Flotentinorum ſe cum illo conjunxerant: tamen fœdus etat & amicitia, & voluntaria quædam obſecutio, non autem ſubjectio. Retinebat enim Senenſis Populus uſque ad id tempus & verbo & opere libettatem. Hanc igitur ille tollere, & in ſuam poteſtatem arbittiumq; Senas tedigere animum induxerat. Id arcanè per amicos quoſdam Florentinis nunciabatur.

Ad Peruſinos etiam Galeatius ſpem extendit. Pontifex Bonifacius Peruſiam repetit.

Ad Peruſinos quoque ſpem animumque extenderat. Exagitabat Peruſinos eo tempote metus ingens, quod Bonifacius Pontifex Romanus, quaſi poſſeſſionem Romanæ Eccleſiæ, Petuſiam repetebat. Jamque per Fulginatem Ugolinum moveri bellum advetſus Peruſinos effecetat, quo illi metu adhærere majori alicui potentiæ cogebantur. Florentinos nuper ab eis tequiſitos Bonifacii reſpectus, ne fœdus cum illis coirent, detinuerat. Itaque neceſſitate compulſi, ad Galeatium Legatos ſuos Peruſini miſerant, ac per ejus potentiam ſe tutos fore ſperabant.

Bononienſes in Galeatii amicitiam conceſſiſſe putantur. Lucenſes etiam ad Galeatium inclinant.

Per hæc ipſa tempora Bononienſes, Galeatii legationibus deliniti, in ejus amicitiam conceſſiſſe purabantur, ac veterem Florentinorum ſocietatem quodammodo antiquaſſe. Lucenſes quoque, Piſanis finitimi, ſive metu, ſive benevolentiâ, poſt occupatas ab illo Piſas, magis ad eum inclinare cœperant.

Cùm tanta ac tam multa undique parari conſpicerentur, Flotentini magnis in ſuſpicionibus verſabantur, & quo ſe verterent, neſciebant. Denique Magiſtratus vocatis in conſilium civibus, his de rebus ad eos retulit, ac ut ſaluti ſuæ cōſulant, hortatus eſt. In dicendis autem ſententiis omnes uno ore ſumma pericula adeſſe fatebantur: Sed de remediis non idem omnes ſentiebant. Alii jam tunc creandos Decemviros publicâ autoritate ſuadebant, qui conatibus Galeatii obviatent: Alii creationē Decēvitorum nihil aliud eſſe, quàm maniſeſtè bellum ſuſcipere ajebant: Id vetò non concuttentibus ad bellum ſociis periculoſiſſimum eſſe. Quare potiùs diſſimulandum, & aliis remediis obviandum cenſebant. Tandem plerique omnes

Rainaldi Janfiliactii oratio.

ſententiam Rainaldi Janfiliactii ſecuti ſunt. Subjiciam in hoc loco, quam tunc dixit, orationem. Nam cùm Magiſtratus pericula, quæ Reip. parabantur, oſtendiſſet, & ad conſulendum hottatus eſſet, aſſurgens ille, magnâ expectatione & attentione factâ, in hunc modum locutus eſt. Maximas vobis gratias, præſtantiſſimi Præſides, & agere & habere debemus omnes, qui pet hoc difficillimum tempus, cùm omnia ſuſpicionibus redundent, & pericula undiq; ſe oſtendant, teferre ad cives veſtros de ſalute Reip. decreviſtis. *Pericula enim ſine conſilio à Magiſtratu neglecta ruinam plerunq; irreparabilem pariunt.* Dicam vetò fideliter, quæ ſentio, & ſi licentiùs quædam loquar, mihi peto ignoſci. *Non enim omni tempore veritas ſilenda eſt.* Equidem peticula iſta, quæ nunc civitati parantur, quanquam illa magna eſſe fateor: tamen non tantum propter ſe ipſa, quantum propter mores noſtros expaveſco. Video enim, quantum ipſe memoriâ teneo, nos ſemper omnibus in tebus ob tarditatem & negligentiam noſtram providendi agendique tempora ignaviter perdidiſſe. Hujus autem mali cauſa eſt, *quod Populus ac multitudo futurum non proſpicit: nec ferè prius ſentit mala, quàm incurrit.* Excellenres autem viti, ſi qui apud nos in Reip. gubernatione verſantur, quanquàm ptoſpiciant pericula: tamen illis obviare nec audent, neque poſſunt. Tanta enim in hac urbe noſtra calumniandi licentia eſt, ut ſimul atque oſtendetit quis pericula, & obviandum ſuadet; continuò illum cupere bellum, & quietem pati non poſſe, multi proclamant, ac malignis legibus omnia tepiunt, & mille difficultatibus prohibitionibusq; involvunt, ut etiāſi velit quis ſaluti Reip. providere, nulla ſibi via relinquatur. Ex hoc autē fit, ut nihil agentibus tēpora nobis effugiant. Cum verò in limine ſunt pericula, nec vitari poſſunt, tunc demum trepidi conſultamus, tunc ducentorum conſilium, & centum triginta unius rem &

negotium

negotium inextricabile convocamus. Atque ego non graviter iſta ferrem, ſi cum alio Populo nobis eſſet certamen. Utrobique enim vel propè conditio foret. Nunc autem non cum Populo aliquo certamen eſt nobis, ſed cum Tyranno, qui & vigilat aſſiduè pro re ſua: neque calumniatores formidat, neque malignis legibus impeditur, neque multitudinis decretum, neque Populi deliberationem expectat. *Itaque mirandum non eſt, ſi ille in rebus agendis antevenit: nos autem poſt res perditas remedia cogitamus.* Johannem Graſſolini Piſanum, ſocietatem & fœdus Piſanorum nobis offerentem, malo admodum conſilio quidam noſtrorum civium rejecerunt, ſpretâ illorum ſententiâ, qui periculum, ne illa civitas in poteſtatem Galeatii deveniret, oſtendebant. Ei periculo ſi tunc obviatum fuiſſet, non in iſtis, in quibus nunc ſumus, periculis verſaremur. Nuper etiam profectos ad nos Peruſinorum Legatos in fœdus ſocietatemque recipi flagitantes, ac pericula ſua docentes, malo item conſilio quidam rejecerunt eos, qui recipiendos cenſebant, novum ordiri bellum adverſus Pontificem inclamantes. At illi ad Galeatium converſi, jam, ut opinor, ab eo ſuſcepti ſunt. *Nos periculum inde impendens nunc demum conſideramus.* Non igitur alios accuſare debemus, quàm nos ipſos. Nec ullâ re magis per Hetruriam crevit Mediolanenſis potentia, quàm tarditate & ignaviâ noſtrâ. Verùm hactenus quæ facta ſunt, mutari non poſſunt. Inpoſterum verò niſi hujuſmodi calumnias, & nimiam obtrectandi licentiam, & impedimenta tarditatem inducentia corrigatis, nullum rebus veſtris remedium expectetis. Quod ſi corrigere hujuſmodi mores, ac rectè nobis conſulere volemus, ſpes magna ſupereſt, non libertatis modò, verùm etiam dignitatis conſervandæ. Habemus enim civitatem magnam & opulentam, latum dominium; multa inſuper opida, plurimam ac validam noſtrorum hominum *Florentia laus.* multitudinem innumerabiles penè munitas arces. Duriorem ſibi rem ſentiet adverſarius noſter in opprimendis nobis, quàm ipſe opinetur, ſi viri eſſe voluerimus, ac dignitatem libertatemque à majoribus nobis relictam tueri. Sed ante omnia, quæ ſupra commemoravi, mala, per hoc tempus ex civitate removere neceſſarium eſt. Sint aliqui vigiles in Rep. & poteſtatem habeant agendi, ne ſingula ad multitudinem referre, ac expectare illius decretum compellantur. *Res enim plerunq; celeritatem & ſilentium poſcunt, quibus decreta multitudinis inimiciſſima ſunt.* Ceſſent calumniatorum in præſtantes viros maledicta & crimina. Intelligant omnes, magnâ multâque virtute, & induſtriâ, & impensâ opus eſſe ad illa repellenda. His domi conſtitutis, foris jam providendum cenſeo. Milites parandum & Ducem, qui præſto ſint expeditionibus noſtris. Pluris enim fiemus & ab inimicis & amicis, ſi ſufficientē circa nos potentiā conſpexerint: Quòd ſi potentia non aderit, omnes contemnent. Hæc de toto genere dixiſſe volo. De Senenſium verò & Peruſinorum formidatâ occupatione, ac de cæteris in conſultatione propoſitis, quid mihi videatur, nunc breviter ſubjiciam. Primum ne Senas occupet adverſarius, ego jam nullum eſſe remedium puto, præſertim cùm illi nobis infenſi, omnem noſtram exhortationem, & auxiliorum pollicitationem aſpernarentur. Quamobrem neque literas neque Legatos mittendum ad illos publicè ſentio. Privatim autem ſuadeo, cum potentioribus quibuſdam civibus experiri, pollicendo auxilia, ac eos cohortando ad libertatem retinendam. Et de Senenſibus quidem non multum videtur mihi à nobis eſſe laborandum. Sive enim dominus, ſive non dominus, tamen omnia, ut libitum erat, de illis hactenus diſpoſuit. Itaq; parum lucrabitur nunc ſi dominus fiat.

Peruſinos verò amicos ac benevolos nobis utinam non rejeciſſent quidam noſtrorum civium, apud quos reſpectus Bonifacii plus valuit, quàm reſpectus propriæ civitatis. Fuit autem tunc meum conſilium, & eſt etiam nunc, in fœdus ac ſocietatem Peruſinos eſſe recipiendos. Poſtquam verò recepti fuerunt, tunc demum Bonifacio Pontifici, & quid egerimus, & qua de cauſa ſignificandum, ſibique oſtendendum, melius ſecum agi, ſi à Peruſinis civibus, quàm ſi à Galeatio Mediolanenſi Peruſia teneatur. Quare celeriter mittendum cenſeo, qui fœdus & ſocietatem ab eis poſtulatam offerat, & ad conſervationem ſtatus ac libertatis ſuæ omnes opes noſtras polliceatur. Verùm in his duobus non multum ſpei collocandum mihi videtur, propterea quod Senenſes jam pridem à nobis totis animis abierunt: Peruſini autem, verendum eſt, ne jam cum adverſario tranſegerint.

Quod

Quod igitur tu remedium affers? dicet quiſpiam, an movendum à nobis bellum putas, & conatibus Galeatii obviandum? Nequaquam. *Periculoſum enim nobis foret, ſi abſq; ſociis bellum moveremus.* Sed in quo maximam ſpem habendam puto rem, quæſo diligenter attendite. Ad Venetos legationem prudentum virorum mittendam cenſeo, illiſque oſtendendum, quanta & qualia Galeatius per Hetruriam molitur, ut continuo apprehendendo loca nos includere ac circumdare pergit. Cum verò hæc oſtenderint Legati, nihil Venetos rogent, ne dignitatem civitatis noſtræ imminuant, ſed verbis ac rationibus doceant, non minus ad illos quam ad nos hujuſmodi pericula pertinere. Neq; enim credendum eſt, Galeatium *Longinqua ac remota cupere: propinqua verò non cupere.* Sed nunc arte quâdam nos circumvenire atq; invadere cogitat, quo nobis oppreſſis, & à communi ſocietate ſubtractis, ceteros [illegible] adoriatur. Cogitandum ab eis eſſe, utrum præſtet [illegible] conatibus, vel expectare, ut ille per otium, ſine impedimento ullo, [illegible]: Præſertim cùm ſint contra inducias & pacem, quæ ille per Hetruriam [illegible] quidem, ſi concurrant ſocii, paratos eſſe in ejus [illegible] autem tepeſcant ſocii, Florentinos ſibi ipſis, ut in rem ſuam fore putaverint, [illegible] Hæc eadem apud Bononienſes & Patavinum & Ferrarienſem [illegible] Legatos exponantur. Spero autem, neque fruſtra hæc dicentur à Legatis, neque fruſtra audientur. Dixi quæ mihi videntur providenda. Vos quoq; [illegible] futurum ſit, conſilium ſumatis.

Magiſtratus Conſilium Rainaldi ſequitur.
Peruſini ſe totos Galeatio permiſerunt.

Hujus ſententiam ſecuti Magiſtratus & cives, multa domi & foris, quemadmodum ille cenſuerat, providerunt. Sed quantum ad Peruſinos, tarde: Illi enim citò receperant, Galeatio jam ſe totos permiſerant. Apud Senenſes quoq; irrita Florentinorum opera fuit. Itaq; Galeatius paulo poſt propoſitum ſuum perſecutus, Senas ac Peruſiam ſuæ ditioni imperioq; [illegible] ſubegit. Hæc omnia ſic ab eo fiebant, quaſi adverſus induciarum conventa nihil protenus ageretur. Nam Piſani & Senenſes illius com[illegible] in pactione induciarum fuerant, & Peruſini neutrius partis per id tempus habebantur.

HISTORIARUM FLORENTINARUM

LIBER DUODECIMUS.

Res nova & inaudita per totam Italiam contigit.

INter bellorum vel jam cœptorum, vel imminentium curas, nova protinus res, & ante id tempus inaudita per univerſam Italiam, contigit. Omnis quippe multitudo Populi, quæ ubiq; erat, veſtes induit albas, & piaculis quibuſdam factis, incredibili devotionis ardore [illegible] dealbatorum agmina ad vicinas urbes commeabant, pacem [illegible]ericordiam clamore ſupplici deprecantia. Protus miranda res [illegible] credibile [illegible]orum. Peregrinatio erat ferè dierum decem: Cibus verò ut plurimum panis & aqua. Nulli per urbes alio veſtitu conſpiciebantur. Acceſſus verò in alienaa oppida, etiam parum antea pacatorum, liberi fuerunt. Nemo per id tempus dolo tollere tentavit: Nemo advenarum oppreſſus. Tacitæ quædam induciæ cum hoſtibus fuere. Duravitq; is motus ferè menſes duos, cùm & proficiſcerentur Populi in alienas urbes, & alii in ſuas adventarent. Mira hoſpitalitas ubiq; , & benigna ſuſceptio. Unde vero initium cœperit, obſcurum eſt. Ex Alpibus certem Ciſalpinam Galliam deſcendiſſe ferebatur, mirabilique diſcurſu Populos apprehendiſſe. Florentiam primi omnium Lucenſes populariter advenêre. Quibus conſpectis tantus confeſtim devotionis ardor conſecutus eſt, ut etiam illi ipſi, qui antea rem audiam maxime deriſerant, primi omnium ſuorum civium veſtes mutarent, & quaſi Deo correpti, motu ſimili vagarentur. Florentini quadrifariâ partito Populo, duæ ex his partes innumerabili multitudine virorum, mulierû, puerum Aretiu petiere: Reliquæ verò partes ad alia loca profectæ ſunt. Quocunq; perveniebant Albatorum agmina, eorum locorum incolæ exemplo ſimili movebantur. Ita ex Gallia in Hetruriam, ex Hetruria in Umbriam, ex Umbria in Sabinos & Picentes &

Devotionis ardor.

Marſos

Marſos cæteraſque ſubinde gentes progreſſa commotio, ad extremas Italiæ oras pervenit, nullos in Populos non pervagata.

Dum religio tenuit animos, de periculis belli nihil cogitabatur: Sed poſtquàm finis fuit dealbatorum fervori, ad primas rurſus curas animi redierunt.

Religio tenet animos.

Piſas, Senas, Peruſiam eſſe in poteſtate Mediolanenſis periculoſiſſimum videbatur: comitum verò & Ubertinorum caſtella ex parte alia regionem clauſiſſe. Acceſſit inſuper ad hæc, quod Ugutius Cortonæ dominator deſciviſſe à Florentinis credebatur, ac Mediolanenſi adhæſiſſe. Signa certè peſſima erant, quod ille nova quædam & intolerabilia à Florentinis poſtulabat, ac frumentum deferti ad Policianenſes per ſuæ ditionis loca prohibebat, & in paludibus, quas Clanes vocant, impedimenta poſuerat, ut nihil per aquam deferri ſe invito poſſet. Lucenſes verò Piſanis finitimi, ſive ſponte, ſive metu coacti, ad Mediolanenſis amicitiam magis reſpicere videbantur, nec fœdus renovare cum Florentinis voluerant. Hæc erat conditio rerum cum annus milleſimus quadringenteſimus ſupervenit. Initio ejus anni nihil prius quàm adverſus Cortonenſis Ugutii ſuſpicionem proviſum.

Ugutius Cortonæ dominator à Florentinis defecit, Clanes.

Lucenſes fœdus cum Florentinis renovare nolunt.

ANNO 1400.

Montanina eſt arx, in extremis Aretinorum finibus poſita, Cortonæ proxima. Hāc tenebant quidā nobiles: Erant verò Uguitii Cortonēſis ita familiares, ut omnia facturi illius gratiâ putarentur. Natura verò ejus loci talis erat, ut multum noſtris nocere poſſet, ſi inde bellum inferretur: multum etiam Cortonenſibus, ſi nobiſcum eſſet. Igitur quibusdam Aretinis commiſſo negotio, Montanina per fraudem occupatur. Venatorum enim ſpecie profecti, cùm eos, qui intus erant, in colloquium vocaſſent, atq; illi nihil veriti deſcendiſſent, repentè ingreſſi arcem, qui venerant, fumo, ut conſtitutum erat, ſignificârunt, ſubitoque eò concurſum eſt. Per hunc modum Montanina, poſſeſſoribus adempta, ſuſpicionem ab ea parte imminuit.

Montanina arx.

Montanina per fraudem occupatur.

Deinde per Fabianum Boſtoli Florianum miſſum, impedimenta, in Clanibus poſita, delere curaverunt. Et ſimul Nicolao Albergoti negotium datum, ut cum equitibus intentus circum ea loca eſſet, ac ſi Ugutius accurrens tolli impedimenta vetaret, illum invaderet, ac interficere ne cunctaretur. Verùm Ugutius neque accurrit ad prohibendum, neque exire Cortonâ auſus eſt. Ita ſublata impedimenta ſunt, nullo repugnante, ac præſidium, quod ille juxta paludes munierat, crematum.

Fabianus Boſtoli Florianus. Impedimenta in Clanibus poſita delentur.

Peridem tempus equites Galeatii Mediolanenſis circiter quadringentos in Caſentinatem agrum venerunt. Variis enim querelis ac difficultatibus intricata Caſentini loca, ob eas, quas ſupra diximus, rationes, materiam belli cupientibus opportuniſſimam afferebant. Bellum quoq; per hoc ipſum tempus inter Bononienſes & Faventinum Aſtorgium fuerat exortum, pro caſtello Salarolo nuper occupato: Hujus quoq; turbationis Galeatius autor nutritorq; credebatur. Albericus certè comes vir Galeatio deditus, ſocietatem cum Bononienſibus contra Faventinum Aſtorgium coierat, ſimulque conjunctis copiis bellum graviſſimum inferebant.

Bellum inter Bononienſes & Faventinum Aſtorgium exoritur Salaroſum caſtellum.

Peſtis ſigna quædam ab initio hujus anni terrere homines incœperant, quæ mox per æſtatem plurimum deſævit, cum incredibili ſtrage cujusq; ſexus atq; ætatis. Unicum hujus mali remedium in fuga repertum eſt. Fugerunt itaq; cives populariter, Bononiam plurimi demigrantes. Et tamen in vacua deſertaq; urbe triginta hominum millia peſtis abſumſit.

Peſtis deſævit.

Eodem anno multa per Hetruriam innovata ſunt. Nam & apud Lucenſes Paulus Guiniſius imperium civitatis arripuit: & Ugutius Cortonenſis, de cujus fide dubitabatur, è vita migravit: Et Robertus Pupii comes, qui apertè à Florentinis defecerat, diem obivit. Hæc omnia varios effectus pepererunt. Cortonæ imperiū ſuſcepit Franciſcus de Caſali Ugutii propinquus, melior profectò ac civilior quàm Ugutius fuerat. Robertus verò Pupii comes, pœnitentiâ ductus, quod à Florentinis defeciſſet, extremo vitæ tempore filium ſuum Florentino Populo commendavit, ac tutores ex civibus complures illi reliquit. Per hunc modum recuperatâ gratiâ puer à Populo Florentino fideliter ſuſceptus, ac benignè tractatus eſt, multaq; in Caſentinati pro ſalute pueri, & conſervatione opidorum ejus proviſa. Paulus autem Guiniſius poſt imperium Lucæ ſuſceptum, medius quidam haberi volebat: Magis tamen ad Mediolanenſem inclinare putabatur. Miſerat enim ſtatim ad eum Galeatius pro ſuſcepto imperio gratulatū, ac magna quædam illi pollicitus fuerat. Itaq; à Florentinis de renovando fœdere requiſitus, bonis verbis poſtulationē rejiciebat.

Paulus Guiniſius Lucenſis civitatis imperium arripit. Ugutius Cortonenſis & Robertus Pupii comes è vitâ migrarunt.

Franciſcus de Caſali.

Roberti filius à Florentinis fideliter ſuſceptus.

Eodem

Eodem anno magna cõjuratio adverſus Rẽp. inita fuit, quæ mox patefacta turbationes maximas in civitate peperit. Cives enim Florentini magnâ multitudine ob terrorem peſtis Bononiam petierant. Ibi cùm eſſent omnis generis homines, quidam ex his, qui præſenti civitatis ſtatui infenſi erant, colloquia & tractatus habere cœperunt: creſcenſq; indies multitudo ad grandem numerum pervenerat. Conſilium eorum fuit Remp. invadere, pulſiſq; potentioribus gubernationem civitatis arripere. Jamq; Priores ac cæteros Magiſtratus, quos ſtatim conſtituerent, deſignaverãt, partim ex ſuo corpore, partim ex mediocri genere hominum. Cùm hæc ita compoſita eſſent, ac tempus jam rei patrandæ veniſſet; Minias Riccius, unus ex conjuratis, Silveſtrum Adimarem aſſciſcere volens, totam rem illi patefecit, & conſcios nominavit. Ea cum Silveſter audiviſſet, ambiguus atq; anceps illum dimiſit. Ipſe ad Bartholomæum Valoris profectus, negotium refert: Ille ſtatim atq; audiit ad Magiſtratum deducit. Per hunc modum patefactâ conjuratione, de quibuſdam ſupplicium eſt ſumtum: Multi præterea abſentes damnati exulârunt.

Minias Riccius.

Conjuratio patefit.

Johannes Bentivogla in Bononienſibus dominationem ſuſcepit.

Per extremum hujus anni Johannes Bentivogla Bononienſis, magnus in civitate ſua vir, ac ſummæ apud multitudinem gratiæ, in Bononienſibus dominationẽ ſuſcepit. Hoc ubi Florentiæ auditum eſt, confeſtim oratores ad eum miſſi ſunt, qui civitatis nomine gratularentur. Quoq; res inſignior acceptiorq; foret, ex collegis decemq; viris novo exemplo oratores delegerunt, homines tunc in Magiſtratibus ampliſſimis conſtitutos. Hi Bononiã profecti magnâ atq; lætâ verborum ſerie pro ſuſcepta poteſtate gratulati ſunt, ac vires omnes Florentini Populi obtulerunt, ad ſtatũ dignitatemq; illius conſervandã. Miſit & Galeatius Mediolanenſis legatos ſuos ad hæc eadẽ facienda. Magna quippe utriſq; cura erat, novum ejus urbis dominatorẽ ſibi conjungere, magnumq; rerum agendarũ momentũ in conjunctione illius utrique reponebant, propter magnitudinem potentiæ, ſituſq; opportunitatem, quas quidem res utraque pars ſummo ſtudio ſibi vendicabat.

Carolus Imperator filios reliquit duos.

Cùm eſſet hic ſtatus rerum per Hetruriam, novæ quædam ſpes, novaq; conſilia ſupervenerunt. Initium verò rerum hinc fluxit. Carolus Imperator, de cujus tranſitu in Italiam ſupra diximus, filios reliquit duos, Vincislaum & Sigiſmundum: Vincislaum, quod erat major natu, ante obitum ſuum Cæſarem appellavit, ac ſucceſſorem ſibi in Imperio delegit. Eidem quoque regnum Boëmiæ per manus tradidit. Mortuo igitur Carolo, cùm Principatum multos per annos Vincislaus tenuiſſet, nullaque illius actio cerneretur Principatu digna, cùm neque in Italiam tranſire, neque cætera imperii munera obire curaret, duæque tantummodò artes illius circumferrentur; una voluptatibus ſe dedere, altera cumulationi pecuniarum intendere: cætera verò omnia negligere, ſegniterq; ac diſſolutè ſe gerere. Ea cum diutiùs faceret, ac nomen autoritasq; Romani Imperii in illo deperiret, Electores imperii his rebus permoti de conſilio & aſſenſu aliorum procerum, illo antiquato ac remoto, Robertum Bavariæ Ducem magnæ ſpei virum, magnæque autoritatis ad imperium delegerunt.

Vincislaus ab imperio per Electores removetur & Robertus Bavariæ Dux deligitur.

Robertus favorem Sedis apoſtolicæ ſibi procurat.

Robertus igitur, ſicut diximus, ad imperium electus, confeſtim oratoribus ſuis in Italiam miſſis, favorem & gratiam Sedis Apoſtolicæ ſibi procurabat. Nam ſuberat controverſia, nec omnes pariter Alamaniæ proceres ac Populi Vincislaum deſeruerant, ſed erant, qui nihilominus illum Imperatorem appellarent. Hinc ergò noviter electo, quia proſpera ejus fama erat, ac magna facturus credebatur, Florentini mentem intendere cœperunt. Circundati enim undique à civitatibus & oppidis, quæ in poteſtate atq; arbitrio Mediolanenſis erant, magnitudine inſuper potentiæ, ac multitudine copiarũ ejus deterriti, ad extremas opes reſpicere cogebantur. Itaque & oratores illius Romam petentes omni ſtudio proſecuti ſunt: & ipſi Legatis confeſtim ad novum Principem in Germaniã miſſis, tranſitum ejus in Italiam hortari cœperunt, & opes auxiliaq; Florentini Populi venienti offerre. Ille verò Legatos Florentinorum libenter audivit, ad pecunias maximè reſpiciens, atque inde ſperans, ſe multa poſſe conficere.

Turbationes in Bononienſibus.

Altero dehinc anno, ſtatim vere primo turbationes in Bononienſibus graviores exortæ ſunt. Johannes enim Bentivogla adverſus Faventinum Aſtorgium à Bononienſibus jam pridem cœptum continuabat bellum: Ad hoc Florentinorum ſimul ac Mediolanenſis auxilia contraxerat. Incubuerat quoque huic bello Albericus comes, qui acerbas cum Aſtorgio inimicitias exercebat. Sed cum

Aſtorgius

Digitized by Google

Aſtorgius quoque deſenſores ſuos haberet, & inprimis Carolum Malateſtam, virum potentem, ac bello inſignem, pax tandem fit inter Bononienſem & Faventinum. Eam pacem Albericus comes indigniſſimè tulit, cùm eſſet Bononienſibus fœderatus, ac ſe invito cum communi hoſte recepta pax eſſet. Itaque ſeſe deceptum prædicans, atque deluſum, iram & indignationem adverſus Johannem Bentivoglam convertit, exulibus Bononienſibus poſt hac favens, atq; eos promovens, & adhortans ad bellum novo dominatori inſerendum. Habebat verò Albericus equites ad mille ducentos: cum eo equitatu exulibus conjunctus omnia pervadebat. Ex hoc jam defectiones opidorum fieri ſunt cœptæ, tumultuq; & trepidatione omnia miſcebantur. Dominator autem ipſe voluntate quidem ac ſtudio partium ad Florentinos ferebatur: ſed formidabat Mediolanenſis potentiam, & ob hoc medius quidam eſſe cupiebat, nec Florentinis petentib⁹ fœdus renovare conſenſerat. Cùm tamen poſtea bello ac magnis ſuſpicionibus premeretur, neceſſitate compulſus, equitum ſubſidia à Florentinis poſtulavit. Florentini autem, quo manifeſtiùs ille ſuarum partium detegeretur, non ſolùm equites, quos petierat; verùm etiam Bernardonem militiæ Ducem ad eum miſerunt. Ex hoc jam bellum in Bononienſibus propalàm erat, nec occultâ Galeatii operâ adverſarii ſovebantur. Per Hetruriam verò manifeſtum non erat bellum: ſed ita indies creſcebat Mediolanenſis potentia, ut tandem appræhenſura omnia videretur. Florentini verò iſta cernentes, magis ac magis ad Robertum Imperatorem noviter electum reſpicere pergebant, ſperantes per illius adventum in Italiam Mediolanenſis potentiam, vel omnem, vel maxima ex parte eſſe perituram. Nam & odia inter eos ſuberant acerba, & veneno ſe à Galeatio petitum Robertus publicè civitatibus ac Regibus ſignificârat. Denique in hac ſpe conſtituti magnâ pecuniarum largitione adventum ejus in Italiam Florentini paciſcuntur. Ducenta enim Florenorum millia polliciti ſunt: hujus ſummæ partem prius quàm domo proficiſceretur, dare illi convenerunt: Reliquam verò partem cùm in Italiam veniſſet, ac hoſtile ſolū Galeatii intraſſet. Ex hoc jam apparatus fiebant ab illo, ut transiret: à Florentinis quo pecunias exolverent: Crebriq; oratores & nuncii ad alterutros commeabant. Ad perſolvendas verò pecunias, quoniā immodica erat ſumma, miſſus eſt Johãnes Biceii, vir prudens & integer, ac ſingularis apud mercatores fidei, qui ſolutionem Venetiis curaret. Is ſumma cum fide ac diligentia omnia peregit.

Pax inter Bononienſem & Faventinum.

Iohannes Bentivogla dominator Bononienſium fœdus cum Florentinis renovare recuſat.

Mediolanenſis potentia creſcit, Florentini ad Robertum Imperatorem reſpiciunt.

Eius adventum in Italiam magna pecuniarum largitione paciſcuntur.

Iohannes Biceii.

Fama per Italiam vulgaverat, magnos exercitus circa Rhenum parari, novo cum Imperatore in Italiam transituros, erectique cunctorum animi in expectationem erant. Nec minor apud Mediolanenſem providentia vigebat equites parare, pecunias cogere, civitates & opida in poteſtate ſua continere, aditus locorum & flumina diligentiùs cuſtodire. Converſis in expectationem novi Principis animis, ingens ſeditio in Piſtorienſibus oritur. Sunt enim apud illos non in urbe modò; verùm etiam per agrum factiones duæ, magnis contentionibus inter ſe diſſidentes. Ricciardus igitur eques Piſtorienſis, Princeps alterius factionis, in ſuſpicionem venerat res novas moliri. Cùm ergò inimici eum exagitarent, amici verò tuerentur, tandem metu adverſariorum, & favore ſuorum inductus, caſtellum in Apennino, cui Sambuca nomen eſt, occupavit, venientes adverſus ſe inimicos egregiè fudit. Ex hoc jam concurſus erat ad illum, non ex Piſtorienſi ſolum agro, verùm etiam ex Bononienſi & Mutinenſi. Sunt enim finitima loca, & factionum ſtudia jampridem per clientelas amicitiasque contraxerant. In urbe verò Piſtorio diviſis civium animis, & diverſiſſima inter ſe ſentientibus, periculum erat, ne civitas illa vel cladem aliquam pateretur, vel inferret. Miſſæ igitur Piſtorium equitum ac peditum copiæ urbem cuſtodiebant. Circa Sambucam verò præſidia quædam communita ſunt, ne diſcurſari licentiùs obſeſſi valerent. Sed tanta erat Ricciardi providentia, tantaque eorum, qui cum illo erant, audacia, ut ſæpè fuſos fugatosque obſeſſores præcipites ageret, nocturnisq; ac diurnis inſultibus cuncta circùm loca redderentur infeſta: maximumque ex ea re nomen Ricciardus eſt conſecutus.

In Piſtorienſibus ſeditio oritur.

Ricciardus eques Piſtorienſis.

Sambuca occupatur.

Ricciardi providentia.

Roberti verò in Italiam adventus, ut plerunque evenire ſolet, tardior fuit, quàm ab initio crederetur: Per extremum enim autumni Tridentum venit. Cùm igitur Tridentum perveniſſet Robertus, quo celeriùs conditionem pecuniæ ſolvendæ appoſitam adimpleret, Brixienſem agrum cum exercitu ingreſſus eſt.

Roberti adventus retardatur.

Brixia urbs à Galeatio tenetur.

Brixia enim urbs à Mediolanenſi Galeatio tenebatur. Ipſe verò tunc pecunias de Florentinis habere pactus fuerat, cùm ſolum Mediolanenſis intraſſet. Sunt autem finitimæ urbes Tridentum & Brixia, maximè circa Benacum lacum territoria commiſcentes.

Galeatii Duces adverſus Imperatorem conveniunt.

In his locis cùm eſſet novus Imperator, Duces Galeatii cum ingentibus copiis adverſus illum convenerunt. Habebat verò Galeatius vel optimum equitatum ex Italicis viris confectum. Poſtquam contra Germanos equites Italici conſtiterunt, ac levia prælia iniri cœpta ſunt, mirabile quantum Italici præſtare videbantur.

Germani utuntur frenis levibus, & ſimplicib.

Germani enim frœnis utuntur levibus ac ſimplicibus: hujuſmodi autem frœna ut ad celeritatem & curſum aptiora ſunt, ita ad flectendum in girum equos, verſandumque in præliis inutilia exiſtunt:

Italicis ſunt frenati equi

Italicis verò frænati erant equi, in girum flecti ac verſari conſueti: Itaque & laceſſere hoſtes, & redire ad ſuos, ac ex medio curſu deflecti facillimum erat. Præterea Italici equites, armis affatim protecti, nullum periculum recuſabant: At Germani deteriùs armati erant; plerique eorum pectoralia duntaxat & loricas habebant, haſtas verò amentatas. Nam qui leviter armati ſunt, urgere pectoribus haſtas non valent. Quare jaculatione magis confidebant. Ob hæc illi citò ſpreti ab Italicis atque contemti ſunt, ut auderent pauci Italorum equites multos Germanorum invadere. Tandem verò majori vi caſtra Imperatoris aggreſsi, ita Germanos

Imperatoris caſtra cedere coguntur.

turbârunt, ut trepidaretur totis caſtris, multisque ſuorum amiſsis, cedere demum, ac retrò ſigna referre cogerentur. Ita proſtratis ſuorum animis ac metu dejectis Tridentum Imperator ſuos reduxit. Et quoniam res malè ſuccedere videbantur, & alteri alteros incuſabant,

Colonienſis præſul, & Leopoldus Auſtriæ Dux ab Imperatore abeunt.

Colonienſis Præſul, & Leopoldus Auſtriæ Dux ab Imperatore abeuntes, cum maxima copiarum parte domum redierunt: Imperatorque ipſe Tridenti relictus pudore ſolummodò tenebatur, nec quid agendum eſſet faciliter conſtituebat. Nam & redire trans Alpes irrito cœpto permagnum dedecus ſui nominis: Et remanere in Italia debilitatis viribus vanum exiſtimabat. Inter hæc

Franciſcus Carartenſis.

Franciſcus Cararienſis, & alii quidam Proceres, qui circa illum erant, & cum his Florentinorum Legati, Patavium ut ſe conferret, hortati ſunt: Sic enim & famam ejus ſervari poſſe, & ſupereſſe adhuc ſpem magnarũ rerum per Italiã oſtendebant. Ille verò, quanquàm redire trans Alpes cupiebat: tamen partim pudore, partim ſpe retentus, ſequi illorum conſilium ſtatuit.

Imperator Patavium accedit.

Quare Tridento profectus, Tarviſium primò, inde Patavium acceſsit. Patavii dum eſſet, nova Florentinorum legatio ad eum pervenit.

Rainaldus Ianfiliactii. Maſus Albitius. Philippus Corſini. Thomas Sacheti. Sfortia. Baldaſar Mutinenſis.

Fuerunt autem Legati quatuor equites Florentini, inprimis nobiles: Rainaldus Janfiliactii, Maſus Albitius, Philippus Corſini, Thomas Sacheti. Adduxerunt verò equites Italicos ſexcentos, vel optimè ſtructos, quibus præerat Sfortia & Baldaſar Mutinenſis. Suſcepti igitur ab Imperatore benignè Legati cùm de reparandis rebus tractaretur,

Imperatoris mentem Legati deprehendunt non ſatis alacrem neque magnæ fiduciæ plenam.

depræhenderunt mentem illius non ſatis alacrem, neq; magnæ fiduciæ plenam. Inquit enim, neq; ſibi neq; Florentinis tantas eſſe vires, ut ſuffecturæ videantur adverſus Mediolanenſem evertendum: Quare Pontificem Romanum ac Venetos accedere ad ſocietatem belli neceſſarium fore. Pecunias verò tantas poſtulabat, ut palàm eſſet, ipſum nihil de ſuo afferre: ſed omnia Florentinorum ſumtibus fore peragenda.

Ea cum depræhendiſſent Legati, ſtatuerunt, ut Maſus Albicius & Andreas Victori (Is enim in prioribus Legatis apud Imperatorem fuerat) Florentiam rediret, ad ſingula, quæ audiſſent, quæque vidiſſent edocenda: Neque enim ſatis commodè literis oſtendi poterant. Hi ergò cùm rediiſſent, ac ſingula retuliſſent in conſilio civium, debilitârunt omnium mentes. Nam & facere, quæ poſtulabantur, impoſsibile quodam modo videbatur: & rurſus ſi abiret Imperator, manifeſtum periculum ab hoſte remanebat, qui auctus exiſtimatione, ac ſuperbus victoriâ, nihil non auſurus meritò credebatur.

Florentini omnia facere pro Imperatore in Italia retinendo pollicentur.

Deniq; in conſilio re diſcuſsâ, decreverunt omnia facere pro Imperatore in Italia retinendo. Itaque per Legatos, qui Patavii remanſerant, magna auxilia Italici equitatus, & magnam inſuper pecuniam polliciti ſunt in Italia remanenti, & per hiemem quacunque poſſet bellum inferenti: vere autem primo hoſtile ſolum intranti, ac illic bellum gerenti: Illud inſuper promittenti, neque pacem, neque inducias, neque concordiam ullam cum hoſte facere, niſi requiſito & conſentiente Florentino Populo: Procuraturos ſe interea omni nixu, ut Pontifex ac Veneti cum eo jungerentur: quod non difficile factu ajebant fore, ſi bellum proſperè ſuccederet.

Hæc per

Hæc per legatos Imperatori nunciata, tractatus varios apud illum habuêre. Nam ſe his obligare non ſatis honeſtum videbatur, & erant alioquin difficilia factu. Oriebantur etiam controverſiæ quædam pro pecuniis in adventu ſuo promiſsis, quarum partem aliquam adhuc ſibi deberi contendebat. Eam verò eſſe ſummam nonaginta millium florenorum, quam ante omnia ſibi tradendam eſſe ajebat: poſtea verò ſi ita videretur, de novis conventionibus agitandum.

Controverſia inter Imperatorem & Florentinos pro pecuniis promiſsis.

Florentini promiſsas quidem pecunias ſub conditione dicebant, quæ conditio ab Imperatore impleta non ſit. Itaque nec pecunias deberi: & tamen ex ea ſumma viginti quinque millium jam eſſe perſoluta. Per hujuſmodi altercatione cùm menſis ferè conſumtus eſſet, ac ſolutio pecuniarum penitùs negaretur, indignatione acceptâ Imperator abire conſtituit. Equitatu igitur per terram ad Tarviſium præmiſſo, ipſe Venetias petiit, viſendique causâ mirabilem civitatem, atque ſibi illam, ſi qua poſſet conciliandi.

Imperator abit.

Suſceptus autem à Venetis inſigni magnificentiâ, cunctisque exhibitis, quæ ad honorandos Principes exhiberi ſolent, cum de facto ſuo poſtridie loqueretur, graviter & infensè adverſum Florentinos conqueſtus eſt, quod eum ſolicitaſſent, impuliſſentque tranſire in Italiam, feſtinanter nimium, ac non ſuo tempore, & nunc promiſſa conventaque facere recuſent. Ex quo fit, ut deſtitutus ac deluſus contra decus ſui nominis redire in Germaniam compellatur.

Imperator infensè adverſum Florentinos conqueritur.

Erant tunc Venetiis Florentinorum Legati duo, Philippus Corſini, & Rainaldus Janfiliacti, viri prudentes ac benè morati, qui ea de cauſa Imperatorem ſecuti Venetias fuerant. Hi querelis reſpondentes, inſtar mortis acerbiſsimæ ſibi dixerunt eſſe, adverſus ea loqui, quæ Princeps dixiſſet: Veruntamen dandam veniã, primò quod non ſpontè, ſed coacti: deinde quod pro excuſatione civitatis ſuæ, non pro cujusquã accuſatione ſint locututi. Omnẽ igitur accuſationẽ & querelã circa pecunias verſari. Se fateri, promiſsas fuiſſe pecunias à civitate, verùm quomodo promiſſæ fuerint attendendum: Nam in eo judicium juſtæ vel injuſtæ querelæ verſari. Primò enim ejus ſummæ, quæ promiſſa fuerit, plus quàm dimidiam partem, antequam domo ſe moveret Imperator, pro parando ornandoque exercitu ſolvere conveniſſe: Eamq; partem ex fide fuiſſe perſolutam. Itaque de ea conqueri Imperatorem nec poſſe, nec debere. Reliqua verò pecuniarum pars ita promiſſa fuit, ut annexam conditionem haberet, tunc demum eſſe ſolvendam, cùm ipſe potenti cum exercitu in hoſtilem Galeatii terram veniſſet. Harum duarum conditionum (quod bonâ veniâ dictum ſit) nulla penitùs impleta eſt. Nam neque veniſſe dicitur, qui non ſtetit: neque potenti cum exercitu venit, qui exercitus formidine hoſtium tam ſubitò retroceſſit. Verba quidem recto ſenſu, non cavilloſè ſuſcipienda ſunt. Nec verò Florentinus Populus tantam pecuniarum vim promiſit, ut tacto protenus hoſtili ſolo recederet, ſed ut ad ruinam hoſtis in ſolo perſtaret. Quid ergo quiſquam conqueri valeat de Florentino Populo, non videmus. Ipſe certè Populus, ſi vellet, juſtè conqueri poſſet, pro tantis pecuniarum diſpendiis, quantas jam erogavit, falsâ ſpe inductus.

Florentinorum Legati querelis Imperatoris reſpondent.

Veneti cùm hæc audiſſent, cauſam civitatis probare viſi ſunt, concordiam tamen pro communi utilitate ſuadebant, quæ cùm haberi non poſſet, Imperator abiit. Profectus verò unius diei navigatione, cum apud Cravolas conſtitiſſet, Veneti majori conatu adhibito, tandem aſſecuti ſunt, ut Florentinorum Legati remiſſionem in eis facerent. Id cùm factum eſſet, miſſis ad Imperatorem ampliſſimis viris, eum Venetias reduxerunt. Hic jam pecuniis ſuſceptis equitatuque revocato, cum aliquot dies Venetiis conſtitiſſet, aſſumtâ meliori ſpe Patavium rediit, & quod reliquum erat hiemis, in ea urbe conſumſit, ac modò expectationem dedit, quaſi Romam petiturus, modò ademit. Tandem verò cùm neque Pontifex Romanus neque Veneti in favorem auxiliumque ejus palàm deſcenderent: Florentini autem ea poſtularent, quæ difficilia factu videbantur, differre cœptum ſuum in aliud tempus conſtituit. Atque ita menſe Aprili Patavio movens, magnis itineribus trans Alpes abivit.

Veneti cauſam civitatis probant. Cravola.

Per hoc ipſum tempus Legati Mediolanenſis ad Venetos profecti, querelam & incuſationem adverſus Florentinos poſuerunt. Veneti autem cum ea audiviſſent vocatis Florentinorum Legatis, qui tunc alia de cauſa Venetiis erant,

Mediolanenſis Legati ad Venetos profecti incuſationem adverſus Florentinos poſuerunt.

cuncta illis nota facere, & reſpondendi, ſi qua vellent, facultatem præbuerunt. Subjiciam verò, quæ tunc objecta ab adverſariis, & quæ reſponſa ſunt, ut juſtitiæ cauſa à legentibus examinari poſſit. Mediolanenſes igitur legati à Venetis introducti, orationem hujusmodi in Florentinos habuere.

Mediolanenſis Legatorum oratio in Florentinos.

Vobis potiſſimum, ô Veneti! qui indutiarum & pacis autores ſuaſoresque fuiſtis, querelæ faciendæ ſunt adverſus eos, qui contra fidem ac jusjurandum indutias & pacem violârunt. *Qui enim alicujus concordiæ autor ac ſuaſor eſt, is & onus quodammodo ſuſcipere videtur, eam ſervatum iri.* Ex quo fit, ut ſi non aliud, at ſaltem quam meremur opinionem de utrisque noſtrum ſuſcipere debeatis. Dicimus ergò illos homines eſſe maximè deteſtandos, quibus neque fidem ſervare cura eſt, neque promiſſa conventaque tueri. Cumque ſit omnis defectio promiſſorum & fidei turpiſſima, maximè tamen abominanda & nefaria exiſtimari debet, quæ contra pacis conventa bellum & turbationem per fœdifragium inducit. *Nam ſi fides ac jurisjurandi ſanctitas ex hominibus auferatur, quod tandem reſtat vinculum inter homines, quo alter alteri confidere queat? Itaq; quicunq; fidem ac promiſſa in pace frangit is communem hominum ſocietatem diſſolvit.* Nota ſunt vobis, ô Veneti! quæ nuper acta fuerint in conventione indutiarũ & pacis, & quàm ſolenniter promiſſa illa juratque fuerunt: Ut autem Florentini ea ſervaverint, vos ipſi vidiſtis. Stante enim pace, nulloque tale aliquid ab eis expectante, Robertum, qui ſe Romanorum Imperatorem facit, per Legatos ſuos in Germaniam miſſos concitârunt, ut adverſus Galeatium Mediolanenſem, cum quo pacem fecerant, ac ſolenniter juraverant, in Italiam tranſiret. Eamque ob rem magnam vim pecuniæ tradere illi pacti ſunt, conventione expreſsè initâ, ut tunc pecunias traderent, cum ſolum illius, cum quo paulò ante pacem fecerant, hoſtiliter ad ejus ſubverſionem ac ruinam ingreſſus fuiſſet. Legatosque palàm apud illum iſta de cauſa habere non dubitarunt, ut admirari debeant omnes, tantam doloſitatem & fraudem in illis extitiſſe. Atqui iidem Florentini non per Italiam modò, verùm etiam per Galliam ſæpenumero ſuis nunciis & literis vulgârunt, ſe pacis & quietis avidos imperi ab aliis atque vexari. Nunc autem apparuit per effectum, non pacem, ſed bellum, non quietem, ſed turbationem atque vexationem aliorum ipſos quærere, nec ullo modo poſſe quieſcere, propter inquietudinem animi, & ſuperfluitatem pecuniarum. Hæc eadem civitas, contra majorum inſtituta & mores, Gallos & Germanos, exteras & barbaras nationes, & Italico nomini infeſtas & inimicas, tranſire in Italiam procuravit, ut quos natura ipſa oppoſitis Alpibus ab Italiâ excluſit, eos in Italiam ac in cervices Italorum induceret. Tantaque eſt conſilii cœcitas, ut non intelligant, ſi Galli & Germani in Italiam traducantur, communem omnium Italorum eſſe perniciem, nec minus in cervices ſuas, quàm cæterorum illos traduci. Atqui Populus Romanus ex eo maximè laudem & gloriam promeruit, quod Cimbros & Teutones Italiam invadere parantes, magnâ ſuorum exercituum dimicatione delevit: Quodque Gallos multis ac maximis præliis fractos à cervicibus Italorum removit.

Cimbri Teutones.

Hi autem novi, ut ſeſe ipſi prædicant, Romani, illas ipſas barbaras immanesque nationes, etiam pecuniâ traditâ in Italiam traducere curaverunt: tanta eſt horum hominum inquietudo ac perverſitas, & Patriæ gentisque ſuæ deteſtanda oblivio. Enimverò *qui patrium ſolum inimicis produnt, quomodo ſint appellandi nemo ignorat.* Odium certè Italorum omnium promerentur, qui exteras inimicasque nationes ad conculcandam Italiam datâ pecuniâ traduxerunt. Dicent adverſarios ſuos per Hetruriam à Galeatio foveri: Quibus reſpondemus, non indigerent Piſani & Senenſes cujusquam ope, niſi ab iſtis petulantiſſimè vexarentur. Nunc autem ob pericula rerum ſuarum ad Galeatium confugerunt. Nec ſanè eum pudet, ſi Piſanos & Senenſes paternos amicos ab injuriis Florentinorum ſuperiori bello defenderit. Illud certè plusquàm manifeſtum eſt, non ſponte ſuâ Galeatium ſeſe rebus Hetruriæ miſcuiſſe, ſed vocatum & rogatum ab iis, qui magna ex parte ſpoliati, ac rebus exuti, ferre amplius horum injurias & contumelias non valebant. Quare illorum ſuperbia in vicinos deteſtanda eſt, non Galeatii ſubventio repræhendenda. Ut autem breviter

concludamus,

concludamus, tribus de cauſis ad vos, ô Veneti! miſſi ſumus, una, ut queramur de pace contra fidem violata: altera, ut pœnam in contractu appoſitam à violatoribus poſtulemus: Tertia, ne admiratio vobis ſit, ſi contra fractores pacis bello reſiſtemus. Quorum primum honeſtatem, ſecundum juſtitiam continet; tertium neceſſitatem. Ea cum dixiſſent Mediolanenſis Legati, finem dicendi fecerunt. *Cauſæ cur Galeazii Legati ad Venetos miſſi ſunt.* 1. 2. 3.

Florentinorum autem Legati, cum hæc omnia intellexiſſent, parumq; inter ſe collocuti, cum ad ſingula objectorum capita quid reſpondendum foret ſtatuiſſent, demum pro honore civitatis in hunc modum locuti ſunt. Nobis quidem, ô Veneti! lucrum ingens videri debet, per adverſarios noſtros hujusmodi ſermonem inductum fuiſſe. Nam ſi illi tacuiſſent, veritas forſan in obſcuro lateret, quæ nunc illorum verbis excitata in lucem emerget. Indutias & pacem cum Mediolanenſi Galeatio, vobis autoribus ac ſuaſoribus, ita fecimus, ut putaremus, illum nocendi inſidiandique nobis animum abjeciſſe: Eâ nos credulitate inducti, non modò ex manibus arma, verùm etiam ex mentibus omnem belli cogitationem poſueramus. At enim ille, ut pote qui nunquam, niſi bella turbationesq; cogitavit, etiam poſt pacem hoſtili mente ſe geſſit. Omittimus ductores equitum ſuorum, paulò poſt pacem factam Lucenſium ſociorum noſtrorum agrum hoſtiliter populaſſe, diripuiſſe Volaterranos, de Geminianenſibus & Collenſibus hoſtilem in modum prædas & captivos abegiſſe, & apud Senenſes ſuæ ditionis cum ea præda captivisque ſe recepiſſe: Quæ omnia contra jusjurandum, contraque promiſſorum integritatem & fidem ab eo ſunt facta. Omittimus, inquam iſta, ac præterimus. Veruntamen illud quo tandem ſpectat, quod poſt eandem pacem majoribus copiis in Hetruriam miſſis, Piſas finitimã nobis urbem, omniaq; ejusdem urbis opida caſtellaque occupavit, ac ditioni poteſtatique ſuæ ſubegit? Senas item finitimam nobis urbem in ſuum dominatum traduxit? Peruſiam & Aſſiſium ſibi ſubditas fecit? An hæc qui faciebat, pacem aut jusjurandum ſervabat? *Neque enim is ſolùm inferre bellum dicendus eſt, qui mœnia ictu percutit: verùm etiam is, qui parat ac fabricatur machinas ad expugnandum, licet nondum illas muro admoverit.* Non enim oportuit Galeatium pace factâ bellum meditari, neque poſitis è manibus armis, mentem nihilominus armatam retinere. An cùm circundabat nos appræhenſione tot opidorum & urbium, cum quaſi obſidionem parabat, & veluti machinas ad expugnandum fabricabatur, non pacem frangebat? non adverſus fidem ac jusjurandum ſuum veniebat? Negari non poteſt. Quare illa, quæ de violatoribus indutiarum & pacis ac fidei promiſſorumque defectione adverſarii dixerunt, nos quoque magis aſſeveramus, illumque violatorem pacis, fractorem promiſſorum, defectorem fidei, ac jurisjurandi contemtorem oſtendimus, nosque reſtitiſſe adverſus illius fœdifragium, neceſſitate compulſos, veriſſimè allegamus, niſi forſan quisquam uſque adeò mente captus eſt & hebes, ut, cum ille miſſis in Hetruriam copiis Piſas capiebat, Senas poteſtati ac ditioni ſuæ ſubjiciebat, Peruſinos & Aſſiſinos ſibi ſubditos faciebat: cum Lucenſem omni ſtudio ad ſe traxerat, atque idem de Cordonenſi facere nitebatur, non intelligat, hæc omnia ad opprimendum Florentinos, cum quibus paulò antè pacem fecerat, comparari: Illumque dum hæc agebat, contra fidem ac jusjurandum, promiſſaque ſua pacem violaſſe. Quare ſi per Italiam & alia loca publicavimus aliquando, nos pacis & quietis avidos ab illo imperi ac vexari, veriſſimè publicavimus. *Qui enim poſt pacem ac jusjurandum contineri non potuit, quin ad oppreſſionem noſtram omnia pararet, quid feciſſe credendum eſt ante pacem & jusjurandum?* Nam quod inquit, nos quieſcere non poſſe, ſinat quæſumus, ut alii iſta dicant, qui ipſi quieti ſint. Ipſi certè, à quo non gentiles, non agnati, non propinqui, non ſocii, non vicini eſſe tuti unquam potuerunt, qui Veronam & Patavium ſibi per fraudem ſubjecit; qui nunc Hetruriam ſubdere totam meditatur, nec ullo modo ſatiari ejus cupiditas poteſt, iſta dicere de nobis nequaquàm congruit, qui cupimus quieſcere, modò ſineremur. Nam quod de Gallis & Germanis in Italiam traductis Legati ejus dixerunt, quis quæſumus hujus traductionis cauſa fuit, niſi illius inquietudo & violentia? qui non contentus in Gallia dominari, Hetruriam inſuper ac Flaminiam ſibi ſubdere, incredibili cupidine dominandi pergit, ac eò uſque cupiditatis ambitionisque proceſſit, ut Regnum Italiæ ſibi repromittat: cujus nulla

Legatorum Florentinorum reſponſio.

Aſſiſium.

verba niſi ſimulata; nullum factum, niſi doloſum; nulla fides, niſi maculata vitiataque exiſtit: De quibus, ſi nobis non creditur; Veronenſis ac Paravinus interrogentur, quos dolo ac fraude pervertit. Interrogentur Piſani & Senenſes, quorum tyrannidem concupivit, ac doloſè arripuit. Nam in ſuos quid egerit, commemorare erubeſcimus. Adverſus tantam cupiditatem atque perfidiam ſi reſiſtere conamur, ac ex eo turbationes aliquæ per Italiam oriuntur, vel gentes aliquæ externæ adveniunt, quis harum turbationum eſt cauſa? illène, qui movet atque impellit, an nos, qui neceſſitate coacti, pro tutela noſtra ſubſidia quorumcunque procuramus? Quanquàm Imperatorem Romanum in Italiam tranſire alienum videri non debet. Cæteri autem, qui tranſierunt, non ſexcenta millia, ut Cimbri & Teutones, nec tales aut tanti fuerunt, ut ab Italia univerſa fuerint formidandi. Ad extremum, quam ipſi pœnam pro violata pace & induciis poſtulant; eam nobis deberi à Mediolanenſi dicimus, pro violatione ac fœdifragio per eum commiſſo, deque ea te cognitionem veſtram, & aliorum quotumcunque flagitamus. Nam quod ajunt, *neminem admirari debere, ſi nobis bellum inferat: jampridem certè omnes deſierunt admirari, cum illius conſuetudo ſemper fuerit, per fas & nefas bellum inferre.* Cujus violentiæ reſiſtemus, in Deo ac juſtitia noſtra ſpem habentes. Hæc tunc à legatis dicta ac reſponſa ſunt.

Florentini in Deo ac iuſtitia ſpem habent.

Veneti autem hæc audientes, Florentinorum Legatos valde probaverunt: eumque ſatisfactum honori civitatis putarent, ipſi, tanquam medii quidam, lenire iras gravibus ac prudentibus verbis conati ſunt.

ANNO. 1402. Circa Bononiam belligeratur.

Eo, qui ſecutus eſt, anno, qui fuit ſecundus poſt mille quadringentos, circa Bononiam magnis contentionibus belligeratum eſt. Ante receſſum enim Imperatoris Galeatius ſucceſſu rerum elatus, partem copiarum in Bononienſes miſerat, ad novum ejus urbis dominatorem, ſi fieri poſſet, opprimendum. Sed cum Imperator abiiſſet, tunc majores omninò copias palàm ac ſuo nomine in Bononienſes miſit. Præerant verò his copiis Mantuanus Princeps, nuper in gratiam & amicitiam Mediolanenſis reverſus, & Pandolphus Malateſta, & Octobonus Parmenſis; aliique ductores complures. Ac ſtatim ob adventum hoſtium maximò in periculo ea civitas verſabatur. Exules enim extra urbem ſatis potentes ad defectionem caſtella & opida compellebant: Cives autem intra urbem non omnes dominatu illius lætabantur. Florentini verò hæc pericula intuentes, confeſtim ab ipſo initio Bernardonem Ducem cum magno equitatu in Bononienſes remiſerant. Addiderunt poſtea & alias copias, cum hoſtium creſcere exercitum cognoviſſent. Venerunt & à Patavino & ab aliis ſociis ſatis magna auxilia: Sed Patavinus præcipuè duos ex filiis ſuis unà cum auxiliaribus copiis ad ſubſidia Bononienſis transmiſit: Ut tandem omnes vires Florentini Populi, ac ſociorum, omneſque vires hoſtium circa Bononiam cogerentur. Utrique verò circa urbem faciebant caſtra, ſed hoſtes longiùs; noſtri verò propiùs, ut eſſent medii inter hoſtium caſtra & urbem. Præerant autem noſtrorum exercitui Bernardon Dux militiæ Florentini Populi: Hoſtium verò exercitui Albericus comes: Cum in hunc modum aliquandiu ſtetiſſent, tandem hoſtes, quoniam plures ac potentiores erant, invadere Florentinorum ſociorumque caſtra conſtituerunt. Erant verò tunc noſtrorum caſtra apud Caſaleclum vicum, procul Bononiâ quatuor millibus paſſuum: videbaturque ejus loci neceſſaria defenſio, propterea quod inde aquâ ex flumine Rheni Bononiam ducitur, quam ſi derivaſſet hoſtis, permagnæ difficultates in urbe ſequebantur. Hoſtes igitur è caſtris ſuis profecti, ſtructo agmine caſtra noſtrorum repentino impetu invaſerunt. Concurſum eſt acriter à noſtris, ac egregiè repugnatum: & aderat Bernardon militiæ Dux adhortator & moderator. Sed tantus fuit hoſtium impetus, ac tàm vehemens ac repentinus, ut pontem, qui eſt ſuper flumine, dejectis noſtris, occuparent: Simulque non ex ponte modò, ſed pluribus ex locis adverſum noſtros penetratum. Nec poſthac prælium fuit, ſed cædes paſſim ac fuga. Captus eſt Bernardon exercitus Dux, & ductores alii ferè omnes, præter eos, qui fugâ arreptâ in urbem Bononiam ſe receperunt. Duo Patavini filii fortiter dimicantes, tandem Mantuani Principis ſe in manus permiſerunt. Caſtra ab hoſtibus capta ſunt, cum inæſtimabili præda.

Mantuanus Princeps. Pandolphus Malateſta. Octobonus Parmenſis.

Hoſtes Florentinorum caſtra invadere conſtituunt. Caſaleclum vicum.

Bernardon exercitus Dux capitur.

Traxit

Traxit mox poſt ſe hujuſmodi caſus ruinam majorem. Cives enim Bononienſes adverſo prælio erecti, arma ſumſerunt, diverſæque factionis homines audaciores facti, cervices adverſus dominum erexerunt, prælia q; nocturna per urbem commiſſa ſunt, in quibus Johannes Bentivoglia incredibili virtute pugnans, omnium judicio commendationem maximam eſt conſecutus. Primus enim ac princeps bellator & amicorum & inimicorum confeſſione exiſtimatus eſt. Sed cum tota civitas eſſet in armis, & hoſtes extra mœnia victores omnia tenerent, pars illa civium quæ adverſabatur, unâ portarum captâ, exules, ac partem copiarum hoſtilium intra urbem receperunt. Tunc demum redundante inimicorum multitudine, Johannes Bentivoglia ſuperatur, ac tandem occiditur. Duo erant Bononiæ Florentinorum Legati, Nicolaus Uzanenſis, & Bardus Rectafides. Horum Bardus in ipſo tumultu captæ urbis vulneratus, paulò pôſt interiit. Nicolaus verò captus ab hoſtibus ac Papiam ductus, miſerabili ærumnâ detentus eſt.

Iohannes Bentivoglia.
Iohannes Bentivoglia ſuperatur & occiditur.
Nicolaus Uzanenſis.
Bardus Rectafides.

Bononiæ poſt reverſionem exulum Magiſtratus civium creati ſunt, & forma quædam Reip. libertatiſque reducta. Hoc enim Galeatius exulibus promiſerat. Sed hoc bidui aut tridui lætitiam habuêre. Quidam enim ex Ducibus cum robore militum per urbem diſcurrentes, ac nomen Galeatii inclamantes, exauctorato civium Magiſtratu, dominatum omnem in Mediolanenſem redegêre. Ita Populus ſimul exulesque deluſi, ſubdere tandem colla ac jugum ſervitutis ſuſcipere coacti ſunt.

Magiſtratus civium creantur.
Omnis dominatus in Mediolanenſem redigitur.

Florentini cùm & profligatum exercitum, & captum Ducem cognoviſſent, maximo in metu ac trepidatione fuerunt. Cum verò inſuper Bononiam in manus hoſtium deveniſſe auditum eſſet, multò magis trepidârunt, hoſtes ſingulis horis adeſſe putantes. Amiſſo autem Duce ac militibus, cuncta deſperationis plena videbantur: Quod ſi hoſtes ſequi victoriam properaſſent, irremediabile periculum civitas incurrebat. Sed illi ſive ignaviâ, ſive diſcordiâ, tempus agendi inutiliter labi paſſi ſunt. Itaque cum multi ſubinde dies interceſſiſſent, nec hoſtes cum exercitu venirent, civitas, reſumtis paulatim animis, inſurgere, ac reparare vires pertexit: Et adverſus Ubaldinorum clientes, qui poſt victoriam hoſtium rebellaverant, & adverſus Ricciardum Piſtorienſem, cujus ſectatores poſt adverſum prælii caſum multa invaſerant loca, miſſæ auxiliares copiæ illorum conatus repreſsêre.

De remediis verò tantorum periculorum conſultantibus, duo potiſſimum
occurrebant: unum, ſi Bonifacius Pontifex Romanus; alterum, ſi Veneti bellum 1.
ſuſciperent. Et ſuberat certè ſperandi ratio: Nam Pontifex quidem Romanus 2.
occupatas urbes, Peruſiam & Bononiam, graviter ferre, non erat obſcurum: Et Veneti creſcere Mediolanenſis potentiam, nequaquam ſibi placere jampridem oſtenderant. Apud utroſque igitur ſummo ſtudio quæſita ſocietas eſt. Sed ſubſiſtebant ambo, ac veluti horrebant bellum excipere. Pacta certè non ſatis æqua Veneti poſtulabant, & ut majori impenſâ Florentinorum, quàm Venetorum bellum gereretur: Et nihilominus in poteſtate arbitrioque Venetorum eſſet, pacem, quandocunq; vellent, ſine ullo Florentinorum conſenſu facere. Hæc dura ſanè videbantur, & aliena à Florentini Populi dignitate.

Remedia tantorum periculorum.
Societas quæritur apud Pontificem & Venetos.
Veneti non ſatis æqua pacta poſtularunt.

Inter hæc ſpes ſupervenit pacis. Hoſtis enim poſt captam Bononiam pacem optare videbatur, atque ea de cauſa Venetias miſerat Legatos, & conditiones ſatis æquas proferebat. Quæ audientes Florentini, deceptionem & fraudem verebantur: Pacem tamen ſimul & confœderationem recipere decreverant, putantes, ſi pax ſimul & ſocietas iniretur, durabiliorem fore pacem, & poſtulata illâ Venetorum poſt factam pacem nequaquam multi fore exiſtimanda. Itaque Legatis ſuis ſcripſerant, ut paucis correptionibus additis, pacem cum hoſte, ac ſocietatem cum Venetis firmarent.

Spes pacis ſupervenit.

Cùm his rebus intenta civitas eſſet; fama ſupervenit de Galeatii morte. Ea mors primum à Paulo Guiniſio Lucenſium Principe nunciata fuit; non tamen ab initiò certa: deinde rurſus certa & affirmata: cæterùm admodum arcana. Itaque ſtatim ad Legatos, qui Venetis erant, ſcriptum eſt, ne paci, néve ſocietati conſenſum præſtarent. Veneti à Florentinorum Legatis mortem illius primùm cognoverunt, cum nihil antea de ea re ſenſiſſent. Et ſigna conſpecta ſunt, quòd copiæ quædam per Placentinum & Lunatem agrum in Hetruriam deſcendentes medio repentè itinere revocatæ fuerant, & quod Ducibus exercitus, Bononiæ exiſtentibus,

Fama de Galeatii morte.
Paulus Guiniſius Lucenſium Princeps.

præceptum venerat, ne ſe ex loco commoverent. Veritate demum compertâ, cognitum eſt, Galeatium non multò poſt Bononiam captam ægrotare cœpiſſe, morboq́; demum interiiſſe apud Marignanum caſtellum Mediolanenſis agri. Hæc ab initio occultata fuerunt: Tandem verò patefacta, cùm jam celari amplius non poſſent, ac funebris pompa magnificentiſſimè perſoluta. Illud etiam cognitum eſt, Galeatium, dum ægrotaret, pacem cum Florentinis ſummo deſiderio affectaſſe: Indeq́ue miſſionem Legatorum ad Venetos, & procurationem novæ pacis fuiſſe exortas. Conſiderabat enim, filios à ſe relinqui admodum parvulos, in medio periculorum maximorum. Itaq́ue feſtinabat pacem facere, prius quàm è vitâ decederet: Idq́ue aſſecutus fuiſſet, ſi vel parum amplius ſupervixiſſet. Ex illius confeſtim morte tanta rerum converſio ſecuta eſt, ut qui prius vix ullam ſalutis ſpem reliquam habebant: hi maximè confiderent: qui autem ſe viciſſe putabant, omnem ſpem amitterent reſiſtendi.

Marignanum caſtellum.
Galeatius dum ægrotaret, pacem affectavit.

HISTORIARUM FLORENTINARUM FINIS.

LEONARDI

LEONARDI ARETINI RERUM SUO TEMPORE IN ITALIA GESTARUM COMMENTARIUS.

QUi per Italiam homines excelluerint ætate meâ, & quæ conditio rerum quæve ſtudiorum ratio fuerit: libuit in hoc libello diſcurſu brevi colligere. *Hoc enim temporibus debere videor meis, ut eorum (qualiacunq; tandem fuerint) per me in poſteros tradatur notitia.* Quod utinam feciſſent homines ſuperiorum ætatum, qui aliquam ſcribendi peritiam habuere: non in tantis profectò tenebris ignorantiæ verſaremur. Mihi quidem Ciceronis, Demoſthenisque tempora multo magis nota videntur, quàm illa, quæ fuerunt jam annis ſexaginta. Tanta illi clariſſimi viri ætatibus ſuis lumina infuderunt, ut etiam poſt tam longa decurſa tempora, quaſi ante oculos poſitæ diſcernantur. At enim quę poſtea ſecuta ſunt ſecula, mirabilis premit occulitque inſcitia. Eandem quoque in Platone, qui fuit ætate ſuperior, diligentiam fuiſſe video: cujus libros, epiſtolasque dum legimus, quaſi picturam quandam illorum temporum viventem adhuc ſpirantemque, intuemur. Sic enim ille ſtudia adoleſcentiæ ſuæ, cupiditatemque Reipub. adeundæ, & converſiones temporum, & profectiones ejus in Siciliam, & Dionyſii, Dionisq; controverſias illas inextricabiles, & utriusque ſecutas exinde clades enarrat: ut immortalitati commendare voluiſſe eorum notitiam videatur. Vellem cæteris quoque libuiſſet idem efficere: quò ſuæ quisq; ætatis cognitionem, ac memoriam nobis quàm celebrem reliquiſſent. *Sed puto nulli voluntatem, plurimis verò facultatem defuiſſe ſcribendi. Literæ quidem, niſi ſunt illuſtres, atque diſertæ, claritatem rebus afferre non poſſunt, neque memoriam earum in longum extendere.* Nos igitur quod ab aliis deſideramus, id exhibere poſteris conati ſumus: ut ſiqui fortè legere curabunt, noſtrorum tempotum non deſit cognitio.

ME quidem puero (ut hinc narrare incipiam) duo Pontifices Romani per diſcordiam creati, diverſo favore Populos ſciderant: aliis Urbanũ, aliis Clementem (hæc enim illorum erant nomina) ut verum Pontificem aſſerentibus. Imperii verò nomen ac titulum Vincislaus obtinebat: is in extrema Germania morabatur. Per Italiã autẽ Johanna regina Calabriã, & Apuliã, ac cæteras quæ regno illi accedunt partes gubernabat. Florentini magnis ſeditionibus agitati præſtantiſſimos cives urbe pepulerãt. Aretini & inteſtinis diſcordiis, & lõgo difficiliq; bello ſuorũ exulũ vexabãtur. Cum hæc eſſet cõditio rerũ, Carolus, qui poſtea Rex fuit, in Italiã venit, vocante Urbano Pontifice: quò Johannam Reginam ulciſceretur. Illa enim Clementi favere, & Ludovicum Andegavenſem Francorum quondam Regis filium adoptaſſe ad ſucceſſionem regni ferebatur. Hæc itaq; indignãs Urbanus Carolũ ex Ungaria vocavit, jam pridem cognitum, Tarviſino bello: in quo magnas copias adverſus Venetos, juſſu Regis Ungariæ, per Italiam ductaverat. Vocabat autem eum Urbanus, quò regnum Reginæ auferret. Carolus igitur ſatis magnis Ungarorũ copiis per Tarviſinũ, Vicentinumq; agrum deſcendens, cùm transmiſſo medio ſpatio Ariminum perveniſſet: Aretini ſtudio partium, & fiducia generis permoti, illum in Hetruriam vocantes ſeſe, ac urbem ei dedere velle obtulerunt. Erat enim Carolus regio genere, à Carolo illo, qui Manfredum ſuperavit, Guelforumque partes per Hetruriam reſtituit, exortus. Qua quidem ſpe Aretini crediderunt exules ſuos diverſarum partiũ homines (qui lõngo difficiliq; bello civitatem premebant) fundit ùs everti poſſe. Venit igitur Aretium: & ſummâ omnium lætitiâ ingreſſus, dominationem ſuſcepit civitatis. Cum eſſet Aretii Carolus, Florentini exules eadem fiduciâ generis, ac ſtudio partium inducti, ad eum populariter convenerunt. Nam qui Florentiam gubernabant ad contrariam factionem declinare ferebantur. Eorum precibus motus Carolus, Florentiam petere contendit, quaſi eos in patriam vi & armis reducturus. Nec re ſtrenuiter tenuit: ſed per agrum Senenſem profectus, circa Staggiam, & Bonitum Florentini agri fines ingreſſus eſt. Inde ſeu nõ ſuccedente conatu, ſeu pecunia delinitus, re infectâ, Aretium rediit. Romam poſt hæc ad Urbanũ profectus cum aliquandiu ibi conſtitiſſet ad belli apparatus faciendos, mox Neapolim

Pontifices Romani duo creantur per diſcordiam, Urbanus & Clemens.

Vincislaus Imperator.

Florentinorum Seditiones.

Caroli adventus in Italiam.

Ludovicus Andegavius à Johanna regina adoptatus.

Manfredus Rex.

Carolus Aretium ingreditur.

Florentini exules ad Carolum confugiunt.

Iohanna Regina à Carolo ſuperatur & necatur. polim petens, Reginam ſuperatis ejus Ducibus cepit, regnumque obtinuit: nec multo pòſt Regina obiit, Caroli juſſu (ut putatur) necata: non tam odio (erat enim genere ſibi in primis conjuncta) quàm ut ſpem omnem fautoribus ejus aufferret.

Aretini ſeditionibus agitari cœperunt. Inter hæc Aretini magis, quàm unquam prius, inteſtinis ſeditionibus agitari cœperunt. Præfectus enim Caroli in ea urbe relictus formidans eorum civium potentiam, qui Regi tradiderant civitatem, quò eos debilitaret, diverſæ factionis homines in urbem reſtituit. Hæc quanquam ſub ſpecie reconciliationis civilis agebantur: tamen confeſtim graviores diſcordias, ac extremum penè interitum civitati peperere. Unà ſiquidem intra mœnia receptis diverſiſſimarum voluntatum hominibus, confeſtim & ſuſpitiones, & ſtudia partium increvêre Augebat verò id malum Præfectus ad favorem eorum, quos ipſe reduxerat, totus declinans. Denique captis Principibus alterius factionis, & in carcerem conjectis, nonnullis etiam necatis, ad exulum nuper reductorum nutum cuncta miniſtrabat. *Gibellinorum factio.* Ita Gibellinorum factio, quæ amplius quadraginta annis exulaverat, & tunc per adventum Caroli peritura ſperabatur, favore Præfecti reducta in urbem, prævalere manifeſtiſſimè cœpit: *Cõiectura fallit in rebus humanis.* *adeò in rebus humanis conjectura fallit.* Quæ cum Regi nuntiata eſſent (cives enim ipſi à Præfecto dejecti querelam ipſi detulere.) improbitatem Præfecti deteſtatus, *Iacobus Caracciolus.* illo revocato atque remoto, Jacobum Caracciolum Neapolitanum ad gubernandam urbem transmiſit.

In adventu novi Præfecti, quoniam ille ſecum cives nuper ejectos reducebat, *Tarlati. Vbertini.* & de mutatione rerum timebatur, arma ſumpta ſunt præliaque per urbem commiſſa. Durius id certamen faciebat, quòd Tarlati, & Ubertini Principes Gibellinarum partium aliquot millia armatorum hominum ex opidis, clienteliſque ſuis in urbem contraxerant: paratique, & compoſiti ad arma devenerant. Eo præſidio muniti ſuperiores habebantur, ut compellerentur noſtri in arcem refugere. *Albericus comes.* Ibi cum de remediis agitaretur, placuit Albericum comitem, qui magnas habens *Albericus Aretii recipitur.* copias in finibus Peruſini, Cortonenſiſque agri per id tempus degebat, in auxilium vocare, adverſariorumq; bona prædam ſibi polliceri. Ea conditione Albericus cum magno equitatu venit: receptusque per arcem ſimul cum ea parte civium, quæ in arcem refugerat, in adverſarios erupit. Nec magnum fuit certamen: illi enim ipſi, ubi ſuperveniſſe auxilia equitum intellexere, relictâ urbe in proxima ſeſe caſtella ſuarum partium receperunt. Equites verò ad prædam converſi, totam diripuerunt urbem: nec minus amicorum quàm inimicorum bona in prædam vertêre. Et ſuper- *Villanucius.* venit properè alia manus equitum, non ſanè minor, quam Villanucius ductabat. Ea quoq; manus in urbem recepta, quicquid ſuperfuerat prædæ, abraſit. Additur huic acerbitati ſcelus aliud: Cum enim extremum eſſet autumni, hibernare Duces intra *Cives cum conjugibus & liberis Aretio pelluntur.* urbem cum omnibus copiis ſtatuêre. Ita crudeliter pulſi cives cum conjugibus, & liberis, patriam relinquere coacti ſunt: miſerandaq; multitudo inops rerum omnium, ac bonis exuta, longis agminibus finitimas civitates, opidaque replevit.

Thomas Strozius. Georgius Scala. Per hæc eadem ferè tempora Florentiæ motus in Repub. fuit: pulſoque Thoma Strozio Principe illius factionis, Georgio autem Scala altero Principe ſupplicio affecto, exules in urbem ſummo conſenſu civium revocati gubernacula Reipub. ſuſcepere. Quæ Aretium occupaverant copiæ, hiemem totam, ac partem æſtatis in ea urbe commoratæ, cùm tandẽ abiiſſent, cives, qui à tanto naufraugio ſuperfuerant, in vacua, ac ſemiuſta tecta redierunt. Nec in ipſo tempore quies à bello. Exules enim finitima urbi caſtella poſſidentes usque ad mœnia per ſingulos ferme dies infeſtabant. Itaque nullus civis intra urbem non armatus conſpiciebatur: omnis cura, & opera bellicis artibus incubuerat, cum & repellerent illatam vim, & paulò pòſt confirmati, ultrò ipſi exulibus omnifariam belli clades inferrent.

Ludovicus Andegavenſis in Italiam venit. Inter hæc Ludovicus Andegavenſis (quem adoptatum ab Regina diximus) in Italiam venit. Hujus adventus Florentinos, Aretinosque maximè conterruit. Veniebat enim inimicus Carolo: cui & Aretini parebant, & Florentini poſt reverſionem exulum mirabili favore obſequebantur. Copias verò tantas ſecum adducebat Ludovicus, ut non facilè majores tranſiſſe Alpes quiſquam meminiſſet. Equitum enim circiter quadraginta millia habere in exercitu ferebatur: à quibus, ſi per Hetruriam iter facerent, extremæ formidabantur clades. Sed ille cum tam innumerabili exercitu aliud iter ſecutus, cum citeriorem Galliam dimenſus fuiſſet, Bononiam tandem, Ariminumq; prætervectus, per Picentes & Marſos in Neapolitanum

Bellum inter Carolum & Ludovicum.

politanum regnum pervenit. Ibi rebelliones crebrò factæ ab iis, qui Reginam à Carolo necatam indoluerant: bellumq́; inter duos Reges acerrimum eſt concitatum: Quod cùm longiùs traheretur, nec alterutra pars ad ſummum prævaleret: Ludovicus etiam equitum manum ex Gallia evocavit. Fuerant autem hæ copiæ circiter millia quindecim militum ſelectorum.

Enghiramus Gallus.

Ducebat verò eas copias Enghiramus quidam Gallus, vir domi potens, ac bello clarus. Is ergo cum transmiſſis Alpibus in Italiam deſcendiſſet, receptus hoſpitaliter à Bernabove Mediolanenſium Principe, commeatuque, & pecuniis adjutus, non per Ludovici veſtigia proſecutus eſt iter: ſed ad dexteram flectens, per Placentinorum, Parmenſiumque fines Apennino monte transmiſſo, in Hetruriam deſcendit.

Bernabos Mediolanenſium Princeps.

Iter ejus per Lucenſem, Florentinum, & Senenſem fuit agrum. In his locis cùm eſſet, Aretini exules, de quibus ſuprà dixi, illum adeunt: Aretium Caroli eſſe docent: occupari verò eam urbem facilè poſſe, quoniam permagnus murorum ambitus ſit, defenſores autem pauci, ob ſuperiores ejus Populi calamitates: Eſſe prætereà nonnullos intra urbem, quos ſibi fautores haud dubiè ſperent. Ita pollicendo, atque inſtando Gallos pellexerunt, ut Aretium aggrederentur. Re occultè compoſitâ, exules per noctem ſcalis mœnibus admotis per remotiſſima urbis loca partem murorum ceperunt, ſtatimq́; Gallorum aderant copiæ, civesq́; ſimul exciti accurrunt. Galli per refractam ab exulibus portam ingreſſi, non unâ modò viâ, ſed pluribus invadere urbem cœperunt. Quo factum eſt, ut multis ſimul locis prælia unum ſub tempus cōſererentur, nox atq; tenebræ terribiliora omnia faciebant. Deniq; vicatim propè expugnatâ urbe, poſt multas cædes, ac varias prælii fluctuationes, ſub primam tandem auroram capitur tota, præter arcem: hanc enim pars juventutis in eam refugiens egregiè defendit. Ad prædam poſthæc converſi victores omnia diripuerunt, & cives, qui exulibus egregiè inimici fuiſſent, captivarunt.

Aretium à Gallis capitur.

Johannes Epiſcopus Aretinus captivatus.

Leonardus Aretinus abducitur.

Eâ nocte acerbiſſimâ quidem omnium, quas unquam meminerim, parens meus ab exulibus captus, & in caſtellum Petræmalæ ductus, ibi carcere maceratus eſt unâ cum Johanne Epiſcopo Aretino, & aliis quibusdā præcipuis viris exulū inimicis. Ego quoq;, licet puer, ab alia manu exulum captus, in caſtellū Quaratæ (nā id quoq; exules tenebant) abductus ſum, & quia puer eram, non cùm aliis captivis, ſed honeſtiore quodā carcere cubiculo aſſervabar. Erat in eo cubiculo picta Franciſci Petrarchæ imago, quā ego quotidiè aſpiciens, incredibili ardore ſtudiorū ejus incendebar.

Ludovici Andegavenſis mors.

Qua nocte Aretiū intrarunt, eâ ipsâ nocte Florētiā crebris negotiatorū literis nuntiatū eſt, Ludovicū Andegavēſē in Apulia diē obiiſſe: Itaq; Gallis paulò pòſt ꝑ ironiā quaſi læta nūtiātibꝰ ſe Aretiū cepiſſe: reſpōſum à Florētinis eodē figmēto eſt, nō tā lætari ſe Aretio capto, ꝗ dolere Ludovici morte, quē certiſſimū cognoverāt interiiſſe. At Galli hæc falſa ducētes, læti, atq; alacres Aretii cōſiſtebāt. Expugnare verò arcē adorti, cū multis vulneribus repellerētur, ad obſidionē ejus ſe cōpararunt, crebraq́; per ſingulos dies prælia ante arcē ipſam incredibili certamine cōmittebantur, ut amarent etiā Galli eorū, q obſidebantur, virtutē. Juvētus autē obſeſſa tāto belligerādi ſtudio flagrabat, ut unica ſibi voluptas foret manus cōſerere. Tres menſes circa arcē Galli occupati, cū tandē de obitu Ludovici certiores facti eſſent, omiſſo proficiſcēdi in Apuliā conſilio, redire in Galliā ſtatuerunt. Ad hunc ipsū reditū cū pecuniā opus eſſet, vertere mentē ad conditiones cœperunt, ac Florentinos pecuniā rogare, & ſibi relinquere urbem polliceri. Florentini verò quanꝗ ſummopere affectabant, tamē ante omnia putaverunt mittendū eſſe in arcē ad ſciſcitandū civiū animos. Nec ſanè obſeſſis aliud refugiū videbatur, præſertim ne exulibus urbs à Gallis relinqueretur formidantibus.

Gallorum diſceſſus.

Aretium in Florentini Populi devenit poteſtatem.

Ita ex conſenſu civiū res tranſacta, urbsq́; abeuntibus Gallis, & arx dedentibus civibus in Florentini Populi devenit poteſtatem. Caſtella deinde prius occupata repetentibꝰ Florētinis, bellū adverſus Tarlatos, cæterosq́; exulū Principes ſuſcitāt: Petramalaq́; perpetua Gibellinorū ſedes obſeſſa, poſt longā oppugnationē tādē capitur, & ſolo æquatur: & Aretinæ qdē turbationes per hūc modū requieverūt.

Ludovici Ungariæ Regis mors.

Carolus Ungariæ Rex creatur.

Carolus interficitur.

Carolum autem in Apulia omnino victorē alterius ſpes regni in Ungariā traxit. Mortuo enim Ludovico Ungariæ Rege propinquo ſuo, quoniā prolē nullā virilē reliquiſſet, ipſe cōſenſu Procerum ad id regnum poſtulabatur. Profectus igitur magnâ manu, cū regnū ſuſcepiſſet, inter ipsā gratulationē dolo Reginæ veteris interficitur.

Bernabos Mediolanenſis capitur.

Per hoc ipſum ferè tēpus Bernabos Mediolanēſis, cujus & autoritas, & potentia ꝑ Galliā maxima fuerat, à Galeatio fratris filio capitur ac dominio ſpoliatur. Cujꝰ ruina

quanquam

quanquam grata erat Florentino Populo, tamen paulò pòſt conſiderans ad priorem nepotis potentiam, quæ erat per ſe maxima, Bernabovis inſuper opes, ac potentiam acceſſiſſe, horrere jam inde tantas vires, ac formidare immodicas opes incepit. Quam mox ſuſpitionem auxit Verona primo, deinde Patavium, urbes magnæ ac potentes, ad imperium additæ. Itaque creſcente ſuſpitione, parare jam inde remedia, ac ſe præmunire Florentini pergebant. Et illæ vice verſâ cavere diligentiùs, ac Florentinos verſari in ſuis opidis prohibere. Jàm per Hetruriam quicunque aut formidabant Populi Florentini potentiam, aut oderant, ad hunc reſpicere, ac refugere, & in Hetruriam àccerſere: Et in primis Senenſes tunc infenſi maximè Florentinis ob Politiani receptionem. Id opidum in fide Senenſium cùm eſſet, ortâ inter Principes ſeditione, pars eorum pulſa confugerat ad Senenſes, quam cum reducere illi vellent, renitens altera pars, ſe ſe, atque opidum Florentinis tradidit, adeo quidem obſtinatè, ut non recipientibus ab initio civibus ob Senenſium reſpectum, oratores, qui ad delendum opidum venerant, ad ærarium profecti in bona Florentini Populi id opidum retulerint, ac transſcribi monumentis publicis effecerint.

Verona & Patavium urbes ad imperium adduntur.

Per hunc modum recepto Politiano, Senenſes veluti contumelia tacti, res novas affectare palàm cœperunt, & ad Mediolanenſes opes ſe totos convertere, magnumque illius equitatum intra urbem recipere. Ita creſcentibus ſuſpicionibus, atque odiis, tandem bellum exarſit. Id bellum multis duravit annis: quanquam interceſſit nonnunquam pax, verùm ita ſuſpitioſa, ut vix ab armis diſcederetur, ac reſumeretur confeſtim bellum. Nec per Hetruriam modò, ſed per Galliam quoque variè fuit id bellum implicatum, ſubmittentibus eò copias Florentinis, ac magnos equitatus ex Tranſalpina Gallia, & Germania commoventibus.

Bellum inter Florentinos & Senenſes.

Arma per hoc tempus in manus Italorum penitùs redierant, cùm ſuperiori tempore per equites exterarum nationum mercede conductos bella geri per Italiam conſuevìſſent. Veniebant enim viri domi nobiles comitatum equitum in Italiam trahentes, mercede vel apud civitates, vel apud Principes militaturi, plurimique ex Germania aut Gallia, ſed & Hiſpani generis permulti, & Ungari, & Britanni per Italiam militabant. Apud hos gloria equeſtris habebatur. Noſtri aut perpauci militiæ ſe dedebant. Me puero primum noſtri veterem equeſtris militiæ gloriam recuperantes, magnis Italorum turmis militare cœperunt, creſcensque paulatim multitudo usque adeò peritia, & audacia præſtitit, ut nemo jam exterum equitem habere vellet, victoria & ſpes omnis bellantium in Italico equitatu reponeretur.

Militaris diſciplina ad Italos rediit.

Per hæc ipſa tempora mirabilis accidit Populorum motus. Omnis quippe multitudo veſtes induit albas, & piaculis quibuſdam factis, incredibili devotionis fervore longa dealbatorum agmina ad vicinas urbes commeabant, pacem, ac miſericordiam clamore ſupplici deprecantia: prorſus miranda res, & incredibile negotium. Peregrinatio erat ferè dierum decem, cibus verò ut plurimum panis & aqua, nulli per urbes alio veſtitu conſpiciebantur. Acceſſus verò in aliena opida etiam parum antea pacatori in liberi fuerunt. Nemo per id tempus dolo fallere tentavit, nemo advenarum oppreſſus, tacitæ quædam induciæ cum hoſtibus fuere. Duravitque is motus ferè menſes duos, cùm & proficiſcerentur populi in alienas urbes, & alii in ſuas adventarent. Mira hòſpitalitas ubique & benigna ſuſceptio. Unde verò initium cœperit, obſcurum eſt. Ex Alpibus certè in Ciſalpinam Galliam deſcendiſſe ferebatur, mirabilique diſcurſu Populos apprehendiſſe. Florentiam primi omnium Lucenſes populariter advenere, quibus conſpectis, tantus confeſtim ardor conſecutus eſt, ut etiam illi ipſi, qui antè rem auditam deriſerant, primi omnium ſuorum civium veſtes mutarent: * & quaſi Deo correpti motu ſimili vagarentur. Florentini quadrifariam partito Populo, duæ ex his partes innumerabili multitudine virorum, mulierum, puerorũ, Aretium petiere, reliquæ verò partes ad alia loca profectæ ſunt. Quocunque perveniebant dealbatorum agmina, eorum locorum incolæ exemplo ſimili movebantur. Ita ex Gallia in Hetruriam, ex Hetruria in Umbriã, ex Umbria in Sabinos, & Picentes, & Marſos, cæterasq; ſubinde gentes progreſſa commotio, ad extremas Italiæ oras pervenit, nullos in Populos non pervagata.

Dealbatorum religio & frequentia.

** aliis: & quaſi œſtro, ut dicitur, correpti.*

Literæ quoque per hujus belli intercapedines mirabile quantum per Italiam increvere, accedente tunc primum cognitione literarum Græcarum, quæ ſeptingentis jam annis apud noſtros homines deſierant eſſe in uſu. Retulit autem Græcam

Bonarum literarum incrementum. Græcæ literæ in Italiam reducuntur.

Chryſoloras Byzantius.

tam diſciplinam ad nos Chryſoloras Byzantius, vir domi nobilis, ac literarum Græcarum peritiſſimus. Hic obſeſsâ à Turcis patriâ Venetias mari delatus primò, mox auditâ ejus famâ invitatus benignè, ac poſtulatus, & ſalario publico affectus Florentiam venit, ſui copiam juvenibus exhibiturus. Ego per id tempus juri civili operam dabam, non rudis tamen cæterorum ſtudiorum. Nam & naturâ flagrabam diſciplinarum amore, & dialecticis, ac rhetoribus non ſegnem operā impenderam. Itaq; in adventu Chryſoloræ anceps equidem factus ſum, cùm & ſtudium juris deſerere flagitioſum ducerem, & tantam occaſionem literarum Græcarum ediſcendarum prætermittere ſcelus quodāmodo arbitrarer, ſæpiusq; ipſe ad me juvenili motu inquietabam: Tu, cùm tibi liceat Homerū, Platonē, Demoſthenē, cæterosq; poetas, & philoſophos, & Oratores, de quibus tanta ac tam mirabilia circumferuntur, intueri, atque unà colloqui, ac eorū mirabili diſciplinâ imbui, te ipsum deſeres, atq; deſtitues? Tu occaſionē hanc divinitùs tibi oblatā prætermittes? Septingentis jā annis nemo per Italiā Græcas literas tenuit, & tamen doctrinas omnes ab illis eſſe cōſitemur. Quāta igitur vel ad cognitionem utilitas, vel ad famā acceſſio, vel ad voluptatem æmulatio tibi ex linguæ hujus cognitione proveniet? Juris quidem civilis doctores paſſim complurimi ſunt, nec te deficiet unquam diſcendi facultas. Hic autem unus, ſolusq; literarum Græcarum doctor, ſi è conſpectu ſe auferet, à quo poſtmodum ediſcas, nemo reperietur. His tandem rationibus expugnatus, Chryſoloræ me traditi, tanto diſcendi ardore, ut quæ per diē vigilans percepiſſem, ea noctu quoq; dormiens agitarē. Condiſcipulos habui plures, ſed qui maximè profecerint, duos ex nobilitate Florentina Robertū Ruffum, & Pallā Honofrii filium Stroziā. Erat inſuper in eadē diſciplina Jacobus quidam Angeli, qui autor inprimis fuerat Chryſoloræ arceſſendi. Acceſſit quoq; poſtmodū Petrus Vergerius Juſtinopolitanus, qui cū Patavii ſtudio floreret, ſecutus Chryſoloræ famā, ſeſe Florentiā contulerat ad eū audiendū. Ex his Robertus, & Vergerius, & Jacobus Angeli me lōgè anteibāt ætate. Pallas erat fermè æqualis. Apud hunc ego magiſtrum ſupra bienniū fui, inſtitutus ſanè probabili, atque optimâ diſciplinâ. Tandē Imperatore Cōſtātinopolitano in Italiā advecto, revocāteq; ad ſe Chryſolorā, abiit ille Florentiā, & Mediolanū ad Imperatorē ſuū ſe cōtulit.

Robertus Ruffus. Pallas Honofrii filius Strozia. Petrus Vergerius Iuſtinopolitanus. Iacobus Angeli.

AMNO 1400. Florentia Peſtis deſevit.

Jam milleſimus quadringenteſimus erat annus, & peſtis ſigna quædā terrere inceperant, quæ paulò pòſt Florentiæ deſevit cū incredibili ſtrage cujusq; ſexus, atq; ætatis. Unicum ejus mali remediū fuga repertum eſt. Fugerunt itaq; cives populariter, Bononiam plurimi demigrantes. Et tamen in vacua, deſertaq; urbe ſuprà XXX. hominum millia peſtis abſumſit. Cum finem peſtis tandem feciſſet, bellum, quod aliquandiu intermiſſum fuerat, majus quàm anteà inſtauratum eſt. Congreſſæq; utrinq; copiæ apud Caſaletium Bononienſis agri vicum conflixere. In ea pugna noſtri ſuperati profligantur. Bononia, quæ ad eam diem in ſocietate Florentini Populi fuerat, Mediolanenſe jugum ſuſcepit. Copiæ Florentinorum omnes eâ pugnâ perierant, capto etiam Bernabove Duce. Itaq; plurimum Florentiæ trepidatum eſt, nec ulla reſiſtendi ſpes relicta videbatur, amiſſo exercitu toto, Duce inſuper capto, Bononiâ ſubactâ. Per Hetruriam verò Piſani, Senenſes, Peruſini, in poteſtate Mediolanenſium erant; Lucenſes quoq; haud multum aberant, nec ulla ſalutis ratio cernebatur. Mors Galeatii Mediolanenſis inſperatò ſupervenit. Deceſſit enim morbo in curſu ipſarum rerum maximarum. Ejus interitu turbata ſunt omnia apud hoſtes, cùm & filios reliquiſſet parvulos, & militiæ Duces ſtatim inter ſe de potentia certantes, ruinā Principum machinarentur. Ita mirabiliter converſâ re, qui prius terrebant, metuere cœperunt, & quibus deſperata videbantur omnia, in tuto cōſiſtere, ac plurimum fidere. In Hetruria tamē haud multò pòſt data pax Senenſibus eſt, & cum Piſanis tacito quodam conſenſu à bello ceſſatum. Peruſia, & Bononia è manibus hoſtium ereptæ in poteſtatem Bonifacii Romani Pontificis (is enim Urbano ſucceſſerat) devenere. Mortuo Galeatio Mediolanenſium Principe, ac ſubindè paucis pòſt annis Bonifacio vitâ functo, Ladislaus Rex formidabilis per Italiam eſſe cœpit. Hic à patre Carolo, quem in Ungaria necatum oſtendimus, puer admodum ſub tutela matris in Italia relictus, inter mille difficultates adoleverat. Suſcepta primùm ab eo in Ungariam expeditio, cùm parum proſperè ſucceſſiſſet, in Italiam regreſſus purgato Apuliæ regno, ac ſub manus ejus redacto, in id potentiæ crevit, ut jam & Pontifici Romano, & Florentinis, cæteriſq; Populis ſuſpectus ſanè, ac formidabilis haberetur. Præſertim cùm in eodem Rege ſumma calliditas eſſet cum ſumma dominandi cu-

Caſaletii pugna. Bononia Mantuano ſubiicitu r Florentini victi.

Galeatii mort.

Senenſibus pax datur.

Peruſia & Bononia in poteſtatem Pontificis deveniunt.

Ladislaus Rex.

In Ladislao ſumma calliditas.

piditate conjuncta. Nec domi ſedens per præfectos, ſed ipſe præſens exercitum ductare, ac expeditiones obire conſueſſet. Adjuvabat inſuper eum incredibilis Populorum favor, quòd ipſe ſolus ex regia ſtirpe reliquus unicè colebatur.

Innocentius ſuccedit in Pontificatum.

Bonifacio Innocentius in Pontificatu ſucceſſit, patriâ Sulmonenſis, vir ætate grandævus, ac multarum, magnarumq; rerum experientiam callens. Ad hunc igitur Pontificem Ladislaus inter primas gratulationes Romam profectus, cum honeſtiſſimæ ſalutandi, gratulandique prætexeret cauſam (eſſet autem reverà augendi regni cupiditas) Romanos nec prius quietos ſuâ præſentiâ in Pontificem concitavit. Ipſe verò mentem erexit ad urbem Romã capiendam. Nec tamen apertâ vi moliebatur Rex, nec in præſens urgebat rẽ, ſed clàm irritando cives Romanos, ac Pontifici reddendo infeſtos, putavit fore, ut Pontifex illorum petulantiam non ferens, ex urbe migraret, Romani autem ad ſe converterentur. Hæc ergo machinatus Rex, domum rediit, Pontifex autem Romæ conſiſtens magnis in difficultatibus verſabatur.

Roma contra Pontificem à Ladislao concitatur.

Leonardus Aretinus à Pontifice vocatur.

Romæ conditio.

Ego per hoc tempus ab Innocentio vocatus, Romam veni, & quidem in medio turbationum maximarum, ſuſceptusq; benignè à Pontifice, ac honoribus, titulisq; affectus inter intimos illius familiares haberi ſum cœptus. Romæ conditionẽ rerũ hanc offendi: Populus Romanus paulò antè receptam immodicè quidem exercebat libertatem. Ex Principibus autem Columnenſes & Sabelli * plurimũ poterant. Urſini verò dejecti, atq; ſuſpecti Populo, quod Pontifici favere putabantur. Curia ſanè plena atq; locuples, Cardinales & multi & magnæ dignitatis. Pontifex apud Baſilicã Vaticani degebat cupidus ocii, & præſente contentus ſtatu, modò frui ſineretur. Sed tanta perverſitas erat quorundam potentium in Populo Romano, ut nullus quieti relinqueretur locus. Tandẽ nõ creſcentibus ſuſpicionibus, & equitatu à Rege ſubmiſſo, Pontifex quoq; auxilia ſuorũ arceſſere coactus eſt. Secutæ dehinc majores turbationes, civiumq; Romanorũ cædes, & Pontificis fuga. Quæ, quoniã ſingulis interfui, nõ pertranſeã, ut cætera, ſed paulò ſerioſiùs juvabit perſcribere. Pons eſt Milvius ſuper amne Tyberi extra urbẽ Romam, per quẽ ex Hetruria in Latiũ tranſitur. Hunc noſtri præſidio militũ impoſito tenebant. Romani verò cupientes eum quoq; pontẽ in ſuã redigere poteſtatẽ, ne quando inde damnũ inferri Latio poſſet, noctu vadẽtes ſubitâ vi capere pontẽ adoriuntur. Reſiſtunt milites, qui erant in præſidio, ac magnâ vi utrinq; pugnatur. Sub primã tandem lucem re ex fumo cognitâ miſſi celeriter equites noſtri Romanos in fugã verterunt paucis interfectis, frequentibus vulneratis. Illi in urbem reverſi Capitolio conſiſtunt, multitudinẽ convocant, Feſtus erat dies, plebs otioſa, & vino calẽs, concurſant, ſumuntur raptim arma, vexilla promũtur, ad oppugnandas Pontificis ædes ire pergunt. Noſtri cõtrà inſtare, parare tela, cohortari, inſiſtere, expectare forti animo Populi impetum, ante molẽ Adriani, quæ mala pacata nobis erat, vallũ jacere. Nox deniq; certamẽ diremit, eâ nocte vigiliæ utrinq; in armis actæ. Secutis deinde mox diebus, de concordia agitatum. Cujus rei gratiâ Romani quidam cives ad Pontificem venere. Hi poſt multa cum Pontifice agitata domum redeuntes, paulò ſupra molem Adriani invaduntur. Capti ex his undecim (nam cæteri in ipſo impetu dilapſi evaſerant) ad Ludovicum Pontificis nepotem, cujus juſſu capti fuerant, adducuntur. Deniq; omnes undecim crudeliter interfecti ſunt. Inter hos, duo fuerant ex ſeptemviris, quos ad gubernandã Rempub. Populus Rom. creaverat. Cæteri autẽ novẽ ex primariis civibus, & (quod dolendũ fuit) nonnulli ex his, qui eas moleſtias nobis inferri permoleſtè ferebant. Hujusce autẽ rei cũ celeriter fama per urbẽ vulgata eſſet, itur confeſtim ad arma, cõplentur omnes aditus clamoribus & vociferationibus omnia reſonabant. Ipſe quoq; permagnũ eâ die periculũ adii. Nam paulò ante fiduciâ eorũ civium, qui ad Pontificem venerant, flumẽ tranſgreſſus, ierã in urbem. Itaq; mox audito tumultu recipere me ad noſtros propero. Cætera igitur dimenſus cũ ad pontẽ Adriani perveniſſem, armatorũ ingentẽ catervam, qui pontẽ occuparant, oſtendo. Erant autẽ hi cæſorum agnati, & propinqui. Stabatq; ferri acies mucrone coruſco, ſtricta parata neci. Quod ego ſimul ac proſpexi, averſo celeriter equo, in proximum angiportũ deſilio, ac veſte miniſtri aſſumptâ, pedes me turbæ admiſcens, ſtationes armatorũ incognitus pertrãſii. Mihi verò poſtquã ad noſtros perveni primùm ſpectaculum fuit cæſorum acervus. Jacebant enim media in via ſanguine fœdati, magniſq; vulneribus confoſſi. Steti horrẽs, luſtraviq; omnes oculis, quoſdam etiam ex his mihi notos & amicos lachrimãs recognovi. Inde ad ædes Pontificis ire pergo. Ille miro dolore angebatur. Res enim tota eo inſcio

Columnenſes Sabelli.
* alii Gibellini.
Urſini.

Potentium perverſitas in Populo Romano.

Milvius pons.

Romani in fugam vertuntur.

Cives Romani XI. interficiuntur.

Leonardus Aretinus magnum periculum adit.

Pontifex dolore angitur.

transacta

trãſacta fuerat. Vir pacificus, & mitis, à cujus lenitate nihil magis abhorrebat, quàm cædes, & humani ſanguinis effuſio: mœſtus ſeſe ac fortunã deplorans ſuam, oculos interdum ad cælum tollens, quaſi Deum invocaret teſtem ſuæ erga Populum Romanum innocentiæ. Pontifex igitur his curis anxius, nec quid ageret, aut ubi conſiſteret præ nimio dolore ſciebat. Circumſtantium autem variæ erant ſententiæ: Alii confeſtim abeundum cenſebant, nec impetum Populi Romani tam inſigniter læſi, irritatiq; expectandũ. Eſſe inſuper haud procul ab urbe regias copias, quas pro Romanis ſtare nõ ambiguũ erat: Alii nullo modo abeundũ, ſed obſidionẽ tolerandã, auxiliaq; ex amicis opidis acceſſẽda cẽſebãt: Erãt etiã qui poſtera, vel altera die abeundũ putarẽt, ut ſimul colligẽdarũ rerũ ſpatiũ eſſet, ſimul ut nõ fuga, ſed migratio illa videretur

Duo erant aditus, quibus ex urbe Romana ad nos pervadi poſſet. Unus per pontem cui moles Adriani ſuperimpoſita eſt: alter per transtyberinam partem & Janiculi collem adverſus molẽ Adriani, quoniã de fide ejus qui arcẽ tenebat, dubitabatur, ſtationes noſtrorũ militũ oppoſitæ fuerant, valloq;, & aggere in modũ caſtrorũ munitæ. Adverſus Janiculũ mœnia erant nonnullis locis vetuſtate collapſa, hæc quoq; loca armatis complebantur. Reſiſti ſine dubio poterat contra omnem Populi vim, verùm quia commeatus paucorum admodum dierum aderat, & regiæ turmæ nobis infeſtæ adventare nunciabantur, vicit eorum ſententia, qui ſuadebant e veſtigiò abeundũ. Igitur ſarcinas colligere, & impedimenta componere noſtri contendunt. Quod ubi per anguſtiã temporis factum eſt, prima turma equitũ, unà deinde impedimenta, peditesq; proficiſcuntur, poſt hos Pontifex cum omniũ curialiũ turba, extremum fuit equitum agmen, qui aliquo intervallo ſequuti, vim, ſi qua immineret à tergo, repellerent. Supererãt quatuor diei horæ, cũ urbe egreſſi ſumus, profecti non ſine magno timore, circiter ſecundã noctis horã ad vicũ Ceſianũ XII. millia paſſuum ab urbe conſedimus, ibi per eam noctem cõmorati. Poſtridie primâ luce caſtra movimus, & circiter ſextam diei horam Sutrium pervenimus. Sutrini omni multitudine extra portas diffusâ alacri vultu Pontificẽ receperunt. In hac urbe, quod reliquũ erat diei, ac ſecutam noctem cõmorari, poſterà die Viterbum contendimus. Viterbi autem cum eſſet Pontifex jam aliquot menſes cõmoratus, Romani pœnitẽtiâ ducti dominationẽ urbis illi reddiderunt, ac multis legationibus eũ revocarunt. Itaq; reverſus Romã Pontifex, miro applauſu Populi Romani ſuſcipitur. Non tamen adhuc erant quietæ res, quoniam moles Adriani, in qua Regis præſidium erat obſidebatur telaq; & machinæ per urbem volitabant, & metuebatur à regiis copiis. Demũ poſt aliquot mẽſes, & arx recepta eſt, & pax cũ Rege ex ſuperioribus incurſationib' facta.

Moles Adriani. Ianiculi colles.

Pontificis fugã.

Sutrium.

Viterbum.

Pontifex à Romanis revocatur.

Pax cum Rege.

Per hoc ipſum tempus Florentini Piſas ceperunt, jam pridem ab eis obſeſſas & ad extremã famẽ perductas, de qua quidẽ re altius repetẽtes pro illius cognitione dicemus: Piſanorũ civitas ſatis diu ſub dominatione Petri Gãbacurtæ requieverat. Is fuit modeſti vir animi, & Florẽtini Populi, ut in Piſanis, valde amicus. Habuit verò adjutorẽ rerum agẽdarũ Jacobũ Appianum ſcribã, cæterũ aſtutũ hominẽ, q cum multos per annos fideliter ei obſecutus eſſet, cunctaq; etiam ſecretiſſima, maximeq; ardua tractaret, in eã paulatim aſcendẽs devenit potentiã, ut etiã domino ipſi formidabilis eſſet. Factionẽ enim ſibi non contẽnendã cõparaverat in Piſanos, præſertim eorũ q nõ ſatis cõtẽti præſente civitatis ſtatu videbãtur. Cũ itaq; ſuſpitiones majorẽ in modũ creviſſet, antevenit Appianus, ac Petro Gãbacurta cũ filiis interfecto, dominationem ſibi civitatis arripuit. huic poſt paucos annos defuncto Gerardus filius ſucceſſit. Qui cũ nõ ſatis cõfideret Piſanos continere poſſe, eã urbẽ Galeatio Mediolanẽſi tradidit, retentâ Plumbini, & Ilvæ inſulæ dominatione. Ita Piſana urbs in poteſtatẽ Mediolanẽſis devenerat. Moriens deinde Galeatius, Piſas Gabrieli filio ex cõcubina genito reliquit. Qui, quãq eſſet admodũ puer, ac ſub matre nobili muliere degeret, tamen triennio ferme poſt obitũ patris eã urbẽ retinuit, tacito quodã cõſenſu pace cũ Florentinis receptâ. Demum verò diffidens illã tenere poſſe, grandi pecuniâ de Florẽtinis ſuſceptâ, Piſas tradidit: ita ſecretò, ut prius in arcẽ præſidiũ Florẽtini Populi receptũ ſit, quàm quicq ſentiretur. At Piſani ubi hæc reſciverunt invadentes cõfeſtim arma in arcem ipſam impetum fecere, tantaq; fuit vis, atq; procella, ut expugnatam celeriter arcẽ in ſuam redigerent poteſtatẽ, & Populi Piſani nomine gubernare civitatẽ cœpere. Florentini autẽ delere ſuſceptã ignominiã volẽtes, cõfeſtim eis intulerũt bellũ. Majoribus deniq; paratis copiis, Piſas obſederũt. Poſt aliquot tandẽ menſes fame domita civitas, jugũ ſuſcipere coacta eſt, Johanne Gãbacurta, quẽ Piſani ab exi-

Florentini Piſas capiunt.

Iacobus Appianus Scriba Piſarum Dominus efficitur.

Petrus Gambacurta cum filiis interficitur.

Gerardus Appianus.

Piſana urbs in poteſtatem Mediolanenſis devenit.

Gabriel Galeatii filius.

Piſana urbs Florentinis traditur.

Iohannes Gambacurta.

lio revocatum ſibi præfecerant,ob extremam famem urbem dedente. Eo facto tantum crevit Florentini Populi nomen,quantũ non omnibus bellis ſuperioribus creverat. Urbs enim æmula dudum potentiſſima, bello, obſidioneque perdomita in ejus devenerat poteſtatem.

Innocentii Pontificis mors.

Gallia Propontifex.

Paulò poſt captas à Florentinis Piſas, Innocẽtius Põtifex Romæ diẽ obivit. Cardinales autẽ peractis circa funus ſolennibus, ambigui fuerunt, num Pontificẽ aliũ ſufficerent in demortui locũ, an magis ſuperſederent electione: Faciebat verò ambiguitatẽ, quòd Principes Galliæ veriti ne diviſio Eccleſiæ perpetua efficeretur, propontificẽ ſuum obligaverant ad pontificatũ deponendũ, ſi vel noſter Pontifex ſe abdicaret: vel eo vitâ functo Cardinales noſtri electione ſuperſederẽt. Hæc enim via redintegrãdi, uniẽdiq; certiſſima viſa fuerat. Nã juris qdẽ diſceptatio nec judicẽ habebat ullũ, qui ſuperior eſſet, & inextricabiles alioqui continebat difficultates. Hac igitur viâ placente, cupiebant Patres in electione Pontificis ſuperſedere.

Diſſenſio in eligendo Pontifice.

Sed altera ex parte pericula magna, ſi ſuperſederetur, timebantur, cũ & dilatio lõga neceſſariò interventura foret, & nullo interim præſidẽte cõfuſio, atq; ruina rerũ formidaretur. Itaq; mediã quandã viã ſecuti Patres eligere quidẽ ſtatuerunt, verũ ita obligare eum, qui eligeretur, ut ſe magis procuratorẽ ad deponendũ pontificatum, quàm Pontificẽ factũ exiſtimare poſſet. Cautio in hũc modũ adhibita: promiſit, juravit, & vovit unuſquiſq; Patrũ idq; chirographo ſolẽni inſcripſit, ſi Pontificẽ eligi ſe cõtingat, depoſiturũ ſe põtificatũ, ſi adverſarius Põtifex idẽ faceret, idq; ſtatim illi per literas ſignificaturũ, & invitaturũ ad hoc ipſũ faciendũ, procuraturũ inſuper omni viâ, & modo, unitatẽ, idq; bonâ fide, & ſine ulla fraude, promiſſionẽ, & votũ, & jusjurãdum, quod ipſe præſtitiſſet, omnibus Regibus, Principibusq; per ſuas literas primo quoq; tẽpore ſignificaturũ, quò eos teſtes haberet obligationis ſuæ. Ea multis, ſolennibusq; verbis cũ in unum redegiſſent, & chirographa ſingulorum cõfecta eſſent, agitare poſthac de electione cœperunt. Vir quærebatur non tã peritiâ rerũ gerendarũ q̃ fide, integritateq; idoneus. Quippe ad bene agendũ in ea quidẽ re nõ calliditate cõſilii, neq; profundo arcanoq; pectore, ſed bonâ voluntate opus fore videbatur. Ita animati cũ ſingulos examinarent, tandẽ in Angelũ Corrariũ natione Venetũ, mentẽ, conſenſũq; omnes verterunt.

Angelus Corrarius Pontifex creatur.

Is fuerat paulò antè operâ Innocẽtii Pontificis inter Patres adſcitus, cũ antea titulo tenùs Patriarcha Conſtantinopoleos haberetur, vir priſcâ ſeveritate, & ſanctimoniâ reverendus. Is ergo cõclavi egreſſus promiſſionẽ, votũ, & juramentũ, qui privatus fecerat, tunc in poteſtate conſtitutus iterato novavit. Atq; ita loquebatur de unione primo illo tẽpore, ut ſi cętera deeſſent, pedibus, & baculo ſe iturum ad eã conficiendã aſſeveraret, ſtatimq; adverſario ſcripſit benignè illũ ad pacẽ invitans, & abdicationem mutuã offerens. Adverſarius autem tantiſdẽ ferme ſyllabis ad eum reſcripſit, eadem invitatio fuit, eademq; cohortatio. Locus deinde neceſſarius viſus eſt, in quo & Pontifices ipſi, & collegia cõvenirent.

Saona receptio.

Ad hoc Saona pari conſenſu recepta fuit, urbs medio fermè ſpatio cõſtituta, & tã mari, quàm terrâ acceſſibilis. Proſperè huc usq;, & planè ex ſentẽtia. Deinde paulatim res labaſcere cœperunt, & cuncta indies deteriora fieri. Volũtas enim illa Pontificis recta, nequaquã ſatis habere firmitatis reperta eſt ad pontificatum deponẽdum, cujus rei culpã multi in propinquos ejus referebant. Ab his enim formidines inanes, & adumbrata pericula, quotidie fingi, ac inſtillari ejus auribus prædicabant. Quibus ille deterritus nec Saonam accedere voluit, altero Pontifice ad conſtitutum tẽpus illic ſe exhibente, & abſentiã ejus incuſante, & in cæteris, quæ facienda erant, difficilẽ ſe præbuit, & moroſum. Româ tamẽ profectus eſt Senas, ibiq; longiora mora protracta, cùm ab univerſis incuſaretur, Lucã ſe tandem contulit, datâ rurſus inani ſpe, quaſi cum adverſario Pontifice coiturus. Erat in altero Pontifice nõ melior ſanè mens, ſed occulebat callidiùs malã voluntatẽ, & quia noſter fugiebat, ipſe obviã ire videbatur.

Spedia.

Itaq; Saonã profectus in Veneris portum, atq; inde (quò propior eſſet) Spediã venerat. Sed cum de congreſſu eorũ per internuntios ageretur, noſter tanquã terreſtre animal ad littus accedere, ille tanquã aquaticũ, à mari diſcedere recuſabat. Cùm per hunc modum deſideria Chriſtianorum, qui pacem, unitatemq; optabant in longũ ducerẽtur, nõ tulerunt Cardinales noſtri, ſed deſerto Pontifice Piſas abiere. Idq; auditũ cũ eſſet, alterius quoq; Pontificis Cardinales, deſerto illo, atq; relicto, Liburnũ aufugêre. Ibi cõgreſſi ſimul, ac paulò pòſt Piſis omnes recepti, conciliũ miſſis p̃ orbem terrarum nuntiis, & literis advocarunt. Gregorius interea Senas reverſus, paulò pòſt Ariminũ

petiit

petiit. Ego Pontificem ſecutus ſum potius familiaritatis gratiâ, quàm quòd ejus cauſam probarem. Quanquam fuit in Gregorio permagna vitæ, morumq; honeſtas, & priſca quædam (ut ita dixerim) bonitas, ſcripturarum quoq; ſcientia & indagatio ſubtilis, & recta. Deniq; in cunctis fermè rebus mihi ſatisfaciebat, præterquam in unionis negotio. Ego tamen, ut dixi, in cæterorum curialium fuga illum deſerere nolui, ſed & Senas, & Areminum ſecutus, non prius ab eo diſceſſi, quàm gravi præcepto civitatis meæ revocatus ſum. Arimino per id tempus præerat Carolus Malateſta Princeps illius familiæ. Huic viro nihil deeſſe videbatur ad excellentiã laudis: idẽ robuſtiſſimo ac pulcherrimo corpore: idẽ cõſilii maximi, ac magnitudine animi penè immensâ: idẽ egregiâ liberalitate: idem ſtudiorũ, literarumq; peritiſſimus. Cũ hoc ego viro familiaritatẽ maximã habui, nec tamen corrumpit me amicitia in laudibus ejus recenſendis, quas majores etiam merebatur, quàm à me prædicentur.

Carolus Malateſta Ariminiprafectus.

Dum Arimini commoratur Gregotius, concilium Piſis continuò aſſiduè cogebatur, convenitq; tandẽ in eo loco multitudo ingens. Cunctarũ verò nationũ conſenſu in eo concilio accuſati ſunt de colluſione Pontifices ambo, & pontificatu privati, & Alexander natione Græcus ad pontificatum adſumptus.

Concilium Piſis cogitur.

Alexander ad Pontificatum aſſumitur.

Per hæc tempora Ludovicus Andegavenſis filius ejus Ludovici, quem cũ Carolo de regno contendiſſe ſuprà ſcripſimus, Piſas veniens conceſſionẽ regni Apuliæ ab Alexandro recepit. Nã Ladislaus cuncta effecerat, quò conciliũ impediret. Qua etiã de cauſâ magno cũ exercitu circa Aretiũ conſederat, ſperans eam urbẽ per amicos paternos recipere, ac omnia turbare poſſe. Etenim erat alioq; unioni infeſtus. Romã certè, aliasq; urbes poſt receſsũ Gregorii nullo reſpectu Eccleſiæ occuparat. Itaq; Ludovicus cũ exercitu noſtrorũ contra Ladislaũ miſſus eſt, cũq; eo Baldaſar Coſſa ex latere legatus. Hæ copiæ quanquã ingentes, non multũ profecerunt, & ferè circa urbẽ Romã commoratæ, nec ultrà progreſſæ irrito cœpto redierunt. Alexander verò per autumni tẽpus abiẽs Piſis, Piſtoriũ conceſſit. Ibi hieme totâ cõmoratus, Bononiã petiit: nec multò pòſt Alexander moritur anno ferè poſtquã ſedere incœperat, in ejusq; locũ Johãnes XXIII. aſſumitur. Hic, dum in minoribus erat, Baldaſar Coſſa nominabatur, ſancti Euſtachii diaconus Cardinalis, vir in temporalibus quidem magnus, in ſpiritualibus verò nullus omnino, atq; ineptus. Qui anno ferè pòſt creationem ſuam Bononiæ commoratus, Romam tandem petere conſtituit. Fuerat enim illa prius aliquanto de Ladislai manibus, extorta. Iter ejus per agrum Florentinum, & Senenſem ad inferum mare, inde per Tarquinatem, & Ceretanum ad urbem fuit.

Ludovicus Andegavenſis ſecundus.

Ladislaus concilium impedit.

Baldaſar Coſſa.

Alexander Pontifex moritur.

Baldaſar Coſſa fit Pontifex & Iohannes XXIII. nominatur.

Bononia Ladislao extorta.

Poſt hæc apparatus facti, miſſæq; adverſus Ladislaum copiæ, Duces militiæ erant Paulus Urſinus, & Sfortia. Aderat quoq; Ludovicus Andegavẽſis, cui poſſeſſio regni quærebatur, jam pridem ab Alexandro Rex appellatus. Ab his commiſſo in finibus regni prælio Ladislaus profligatur. Quòd ſi Duces militiæ ſequi victoriam aut ſciviſſent, aut voluiſſent, actum quidem erat de regno. Sed in morando, ac tempus terendo, recipiendi ſeſe, ac reparandi vires facultatem victo Regi dederunt. Vox fuit poſteà Ladislai, qua die profligatus eſt, eâ die & ſui corporis, & totius regni poteſtatem in manibus hoſtium fuiſſe: Secundâ verò die corporis quidem ſui poteſtatem amiſiſſe, regni tamen adhuc dominos eſſe potuiſſe, ſi proſecuti victoriam eſſent. Tertiâ verò die nec jam ſui, nec regni capiendi habuiſſe poteſtatem, quoniam adverſus illorum vim remedia comparaſſet.

Paulus Urſinus. Sfortia.

Expeditio contra Ladislaum.

Ladislao Vallis dictum.

Poſt hæc fortuna varia fuit, ut modò pax inter Pontificem, & Regem: modò bellũ vigeret. Ad extremum verò ruptâ pace, ac Paulo Urſino cum Pontificis copiis in Picentibus obſeſſo, Pontifex Româ pulſus Florentiã venit. Factiones magnæ per id tẽpus in Florẽtinis vigebãt, aliis Põtifici, aliis Regi favẽtibus. Ob eas factiones Pontifex intra urbem invitatus non eſt, ſed in ſuburbano Epiſcopi reſedit, curia tamen intra urbem recepta.

Pontifex Roma pellitur.

Rex per hæc tempora urbem Romam, & alias omnes urbes uſq; ad fines Senenſiũ Florentinorumq; occuparat. Qui cum terribilis, ac præpotens eſſet, lateq; per Italiã dominaretur, nec ulla reſiſtendi cerneretur ſpes, Johãnem Pontificem impulit ad externa, tranſalpinaq; auxilia quærenda. Sigismundus per id temporis imperium ſuſceperat, Vincislao fratre turpiter adminiſtrante, ac omnium jã opinione principatu ejus antiquato. Ad hunc igitur, cum in finibus Italiæ eſſet, Johannes Pontifex Legatos miſit duos ex Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, jam pridem tamen agitatâ inter eos re literis, & nuntiis. Unicum quippe remedium & Imperatori, & Pontifici videbatur

Roma à Ladislao occupatur.

Sigismundus Imperator.

batur generale concilium advocari. Sed erant circa hoc ipſum conſtituenda per multa, ceu locus, tempus, modus. Miſſi ſunt igitur his de cauſis ad ſignificandum Legati. Horum miſſio Legatorũ ruinæ Pontificis initiũ fuit. Qua in re non videtur prætereundũ mirabile quiddã, quod tunc accidit, *ut omnia cælitùs gubernari cognoſcamus.*

Legati Pontificii ad Sigiſmundum imperatorem.
Ruina Pontificis initium.

Communicaverat mecum Pontifex arcanè mentem, & cogitationem ſuã. In loco inquit, concilii rei ſũma eſt, nec ego alicubi eſſe volo, ubi Imperator plus poſſit. Legatis igitur iſtis, qui à me mittuntur, mãdata ampliſſima, poteſtatẽq; maximã ad honeſtatis ſpeciẽ dabo, quæ palàm oſtẽtare poſſint, atq; proferre, ſecretò autẽ mandatũ reſtringã ad loca certa. Enumeravit mihi ſubinde loca. Cũ in hoc propoſito multos dies fuiſſet, tẽpus venit, quo proficiſci Legatos oportebat. Tũc remotis cæteris præter me unũ, Legatos ſecretò allocutus eſt, multisq; verbis cohortatus ad munus legationis diligẽtiſſimè obeundũ, oſtẽdens quãti põderis illa res eſſet, cujus rei gratiã mitterẽtur. Deinde cõverſus ad benevolentiã, cũ eorũ prudentiã, fidẽq; laudaret, ac meliùs illos cognoſcere quid factu opus eſſet, ꝙ ſe ipsũ, dicebar. Dũ iſta cõmemorat, atq; inculcat, affectus ipſe benevolẽtia, propoſitũ diu cogitatũ, momento tẽporis immutavit. Decreverã, inquit, loca quædã nomioare, à quib⁹ nullo modo diſcederetis, ſed in hoc tẽporis puncto ſententiã muto, ac veſtræ prudẽtiæ cuncta permitto, vos quid mihi tutũ, & quid formidandũ cogitetis, chartulamque in qua ea loca ſcripta erant, in eorũ conſpectu laceravit absq; ulla alicujus loci nominatione. Legati igitur ad Sigismundũ profecti, Conſtantiã ꝓ loco cõcilii delegerũt urbẽ, & transalpinã, & Imperatori ſubjectã. Quod ſimul atq; intellexit Johãnes, incredibile, quãtũ indoluit ſe ipsũ, ac fortunã ſuã deteſtatus, ꝙ tã leviter à cogitatione, propoſitoq; illo priſtino reſtringendorum locorũ deſciviſſet. *Sed voluntatem Dei nemo vitare poteſt.* Johannes principio hiemis Florentiâ Bononiã abiit, nec multo pòſt congreſſum Sigismundi petẽs, in Galliã Ciſalpinã profectus, Placentiæ primũ cũ illo cõgreditur, inde ad Laudẽsem urbẽ profecti ambo mẽſe ferè toto in ea urbe fuere. Ex Laude tãdẽ Cremonã petierũt. Cõditio Galliç Ciſalpinç mihi ꝑ id tẽp⁹ nõ peſſima modò, verũ etiã miſerabilis viſa eſt: Adeò quaſſatas urbes, ac regionẽ totã bello afflictam vaſtatãq; oſtẽdior.

Conſtantia urbs ad Concilium eligitur.
Dei voluntatem nemo vitare poteſt.
Gallia Ciſalpina conditio.

Dux Mediolanenſium erat Philippus Galeatii primi Ducis filius. Is juvenis tunc velut ex longo principatus morbo vires reſumere incipiebat, nec dũ tantũ poterat, ut cæteras urbes recuperare de manibus occupantium valeret. Itaq; ſingulis ferè civitatibus ſinguli dominabantur Tyranni, ubiq; magna pars civium pulſa, aut necata, ubiq; villæ, ædificiaq; exuſta Johãnes relicto apud Cremonã Imperatore, Mãtuã petiit. In ea urbe paulò longius commoratus, tandẽ exactâ hieme totâ, Bononiã rediit.

Philippus Galeatii primi Ducis Mediolanenſium filius.
Singulis civitatibus ſinguli dominantur Tyranni.

Eâ æſtate cum Bononiæ reſideret Johannes, ſuſpenſis omniũ animis, & ad Concilium ſe præparantibus, Laudislaus Rex præter ſpem, expectationemq; omnium moritur. Cum enim exercitu coacto magnis copiis Peruſiam usq; veniſſet, Florentiniq; conterriti, relictâ Pontificis ſocietate per ſe ipſi recepiſſent pacem, retrò cedens Rex non ſatis bonâ valetudine Neapolim rediit, ibiq; poſt paucos dies è vita migravit. Ejus mors Florentinos, cæterasq; liberas civitates magnis ſuſpitionibus, & maniſeſtiſſimo, certiſſimoq; periculo liberavit. Nullum enim diffugium erat eo vivente quin colla tandem ſubmittenda fuiſſent, præſertim cũ magna pars civium jã tunc ad illum inclinaret. Pontifex maximè illius morte relevatus eſt, ut jã nil eſſet, quod illũ cogeret ad Sigismundum reſpicere. Sed tamen quia concilium à Pontifice ſimul, Imperatoreq; in eorũ cõgreſſu illo Gallicano ſolẽniter fuerat publicatũ, & Conſtãtię indictũ, tempusq; præfixum, quo adeſſe oporteret, noluit Põtifex promiſſis deeſſe. Itaq; circiter Calend. Octobris Bononiâ movens per Veronensẽ, Tridentinũq; agrũ transmiſſis Alpibus Conſtantiã acceſſit. Eò & Imperator venit, & incredibili Principum, Prælatorumq; frequentiâ concilium celebratur, ut eſſent quandoq; in eo loco equorum ſupra triginta millia, ex quo multitudinem hominum licet conjectari. Diſcordiæ confeſtim inter Johannem Pontificem, Sigismundumq; exortæ, alterum alteri ſuſpectum planè, inimicumq; reddidere. Quæ cum procederent longiùs ac in dies magis pericula cernerentur, Johannes clàm abire conſtituit, adjutus ad hoc, & planè invitatus factione Moguntini Archiepiſcopi, & Federici Ducis Auſtriæ, qui cùm Imperatori adverſarentur, creſcere illius autoritatem ex oppreſſione Pontificis cõdolebant. Johãnes itaq;, cũ jã amplius quatuor mẽſib⁹ in cõcilio fuiſſet, tandẽ propter ſuſpitionẽ noctu incognitus cum paucis comitibus fugiens, Schaſuſiam abiit, Cardinaliũ nemo fuerat conſcius. Secuti ſunt tamen poſtea plerią; eorum, ſub ſpecie reducendi, reconciliandique. Qui cùm nihil proficerent, vim Concilii veren-

Laudislaus Rex moritur.
Concilium Conſtantiæ celebratur.
Johannes Pontifex & Sigismundi Imperatoris diſcordia.
Johannes Pontifex clam abire conſtituit.
Federicus Dux Auſtriæ.
Johannis Pontificis fuga a concilio.

tes Conſtantiam rediere. Johannes autem Burgundiam petere feſtinans, juſſu Federici Ducis per viam retentus, Imperatori traditur. Timuit enim magnitudinem rei Federicus, præſertim cum per id factum Imperatorem ſimul, & concilium in ſuam ruinam provocaſſet. Itaque ex protectore proditor factus, reducere illum ac tradere conſtituit. Non tamen Conſtantiam reductus eſt, ſed alia per opida captivus detentus, ſeu ſponte, ſeu invitus pontificatu ſe abdicavit. Lentum deinde negotium concilii fuit, cùm & corrigere in Eccleſia permulta, ac tollere penitùs ſchiſma niterentur. Vivebaur enim adhuc Gregorius, & Benedictus, ambo nuper in Piſano concilio damnati: Gregorius in Picentibus conſtiterat, & quanquam omnes Populi, præter paucula Malateſtarum opida, ab eo deſciviſſent, ipſe tamen ſe Pontificem nuncupabat. Is ergo Conſtantiam miſit, ſeq; penitùs abdicavit. Benedictus autem in Hiſpania conſiſtens, licet à cunctis deſtitutus, ſuâ tamen ſe pettinaciâ nutriebat. Hic ergo rurſus improbatus, ac damnatus eſt.

Iohannes Pontifex Imperatori traditur.

Iohannes Pontificatu ſe abdicat.

Gregorius & Benedictus Pontifices damnati.

Gregorius Pontificatu abdicatus.

Poſt multa concilli decreta, & longi temporis moram, ad creationē novi Pontificis intendeqres, Cardinales, & nationes ſingulæ ex autoritate concilii, Oddonem diaconum ad pontificatum delegerunt. Is fuit natione Romanus, ex familia Columnenſium, vir autea nequaquā ſagax exiſtimatus, ſed benignus. In pontificatu tamē ita opinionem de ſe prius habitam redarguit, ut ſagacitas quidem in eo ſumma, benignitas verò non ſuperflua, neq; nimia reperiretur. Peracto demum concilio in Italiam reverſus per fines Mediolanenſium, Mantuanorum, Ferrarienſium, Ravennatium, Forolivienſiū, Florentiā venit, Bononiam vitans, quæ ſe per id tempus in libertatem vindicarat. Florenriæ biennium ferè reſedit, petopportuno loco ad rem Eccleſiæ componendam. Nam & cum Braccio, qui eccleſiæ opida permulta occuparat, opitulantibus Florentinis, concordiam ſceit, illiusq; poſt hæc frerus operâ Bononiam redegit in ſuam poteſtatem, & cæteras urbes ubiq; reeepit, ex quo ejus plurimum crevit autoritas.

Oddo Diaconus ad Pontificatum deligitur.

Bononia ſe ſe in libertatem vindicavit.

Per hæc ipſa tempora Johannes, qui depoſitus in Conſtantienſi fuerat concilio, Florentiam venir. Magna profectò res, ac mirabilis, quam paulò altius reperam pro ejus cognitione: Johannes poſt captivitatem illam, & abdicationem in Bavaria carcere ſervabatur. Erat autem ſcrupulus quidam apud multos, quoniam depoſitio, abdicatioq; illius violēta fuerat, num jure ſubſiſteret. Quòd ſi illa dubia, Martini quoq; electio in ambiguum veniebat, quoniam *non vacanti Eccleſiæ provideri de novo paſtore non potuerit*. Ob hunc timorem Martinus, & ſimul ne Germaniæ Principes hoc habētes idolum, per eam occaſionem aliquid quandoq; molirentur, redimendum Johānem, & in Italiam reducendū providit. Igitur per hunc modū exemtus carcere cùm in Galliam perveniſſet, conſilio Martini cognito (id erat ut Mantuæ perpetuo carcere teneretur) antequam Mantuam venirer, rurſus aufugiens in Ligures abiit. Ibi cùm eſſet liber, ac ſui juris, ſive conſcientiâ ductus, ſive quòd deſperabat aliquid proficere poſſe, ſponte ſuâ Florentiam venit, & ſeſe pedib. Martini ſubjiciens, eum ut Pontificē verum & unicū recognovit. In adventu ejus tota civitas obviam profuſa multis lachrymis, & incredibili cōmiſeratione reſpexit hominē de tantæ dignitatis faſtigio in tantas calamitates prolapſum. Ipſe quoq; miſerabili propè habitu incedebat. His omnib. cōmiſeratio Populi augebatur. Suſcept⁹ à Martino tandē intercesſione civitatis primus Cardinalis efficitur, nec annū integrum ſuperſtes, è vita migravit. Martinus aurem pace cùm Braccio factâ cum & opida recepiſſet, ac omnia pacata viderentur, Romam petere conſtituit. Nec ſatis beneuolo erga Florenrinos animo decedere credebatur, carminib⁹ quibusdam, quæ de ſe vulgò circunferebantur, infenſus.

Iohannes Pontificis abdicatio num iuſta.

Martinus Pontifex.

Iohannes Pontificis liberatio.

Iohannes Pontifex Martino Pontifici ſe inclinatur.

Iohannes Pontificatu abdicatus primus Cardinalis efficitur, paulo poſt moritur.

Martini Pontif. pax cum Braccio.

Memini me non multis dieb. antè, quàm abiret Martinus, in cubiculo ejus fuiſſe, cùm unus, aut alter cubiculariorū adeſſent, præterea nemo: Ambulabat ille de bibliotheca ad feneſtrā, quæ hortos reſpicit, cum aliquot ſpatia tacitus confeciſſet, deflexit e veſtigiò iter ad me, cumq; proximè ſe admoviſſet, porrecto in me vultu, brachioq; molliter elato, Martinus, inquit, Papa quadrātē nō valet. Atq; ego ſtatim verba illa recognoſcēs (erat enim cātilena, quæ de illo dicebatur Italicâ linguâ, ſcilicet, *Papa Martino non vale un quatrino*) Quid eſt? inquā: nū ad aures quoq; tuas hæ puerorum nugæ pervenerunt? Ille verò nihil ad hæc, ſed eodem veſtigio conſiſtens iterato ſubjuuxit: Mattinus Papa quadrantem non valet. Tunc ego manifeſtiùs deprehensâ illius infenſione animi (refricabat enim verba de ſe vulgò cantata) ſtatui,

Leonardi Aretini verba ad Pontificem.

ſi quà poſſem, pro civitatis honore vulneri ejus mederi. Itaque, cùm alia nulla, in quam civitas, beatiſsime Pater, tibi & Romanæ ſedi tantas cõmoditates, utilitatesque attulerit, quantas, dum in ea reſediſti, Florentia contulit, nihil glorioſius, quàm pontificatus iſte tuus reperiri poterit. Veniſti Florentiam, cùm nihil temporalis dominii poſſideres, occupatis ubiq; per adverſarios opidis, Bononiâ quoq; parêre abnuente, ut tibi neceſſarium fuerit, cùm ex Ferraria Florentiã venire velles, per Ravennatẽ, & Foroliviensẽ agrum longo ambitu iter deflectere. Te Florentiæ cõmorante, & cætera opida in poteſtatẽ tuam redierunt, & Bononia ipſa, quam prius extulerat, cervicem ſubmiſit. Contulit verò ad hæc plurimum opportunitas hujus urbis, propterea quòd Braccius amicitiam, fidemq; Florentini Populi ſecutus, ad te venire non dubitavit, & intercedente civitate, diſcordias omnes componere, atque opida reddere, illiusq; tu poſtmodum fretus operâ Bononiam tibi parêre vi adhibitâ compuliſti, ut longè, lateq; nunc tua potentia dominetur: Te inſuper Florentiæ cõmorante cùm proſpera ubiq; de te, ac de ſedis tuæ loco circumferrentur, Cardinales ab Hiſpania deſerto Benedicto hunc ipſum ad locum venientes, te ut verum, atque unicum Pontificem recognoverunt. Quo facto tres obedientiæ dudum ſeparatæ, in te uno conglutinatæ ſunt. Ad hæc duo incrementa hoc in loco ſuſcepta, tertium illud præſtantiſsimum, excellentiſsimumq; omnium felicitate mirabili cumulatur: quòd qui dudum fuerat Johannes Pontifex, de cujus depoſitione propter vim adhibitam multi dubitabant, & ſcrupulus quidam relinquebatur in mentib⁹, ſecuritate, atq; fiduciâ hujus loci Florentiam venit, tibiq; ſe ſponte ſuâ ſubjecit, ac dominum, & Pontificem veriſsimum recognovit. Quo facto omnis penitùs eſt ſcrupulus, ambiguitasq; ſublata. Neq; enim de vi illa adhibita ſolicitus eſſe quiſquam poteſt, cum ipſius voluntaria in loco ſibi tutiſsimo ſit conſpecta ſubjectio. Et acceſsit, quòd paulò pòſt defunctus eſt, ut & admiratio, & querela, & (ut ita dixerim) fortunæ ludibriũ tolleretur. Illud certè conſtat, nullo alio loco illum ad te venturum fuiſſe, niſi in hac urbe, in qua permagnas amicitias privatim, & publicè ſe habere ſentiebat. Hæc ſunt, pro quibus gratiam tuam Florentia promeretur, cujus vel opportunitate, vel obſequio, vel auſpicio tanta põtificatui tuo ſuper acceſſerint incrementa. Nam puerilib. quidem nugis aures admovere, & quid ætas illa loquatur, attendere, vix tuæ videtur gravitatis. Martinus autem hæc audiens lætari admodum viſus eſt, meq; palàm multis verbis laudavit, ac veriſsima dicere cõſenſit. Quanti verò feciſſet verba mea, paulò pòſt oſtendit. Nam cũ abire ſtatuiſſet, vocato ad ſe Florentinorũ Magiſtratu: Valde obligor, inquit, huic civitati. Cognoſco enim quàm multa proſpera in illa, & per illã mihi cõtigerunt. Deinde illa ipſa enumerãs eodẽ ordine, quo à me dicta fuerãt, cuncta recenſuit. Florẽtiã tandẽ abiens Martinus Romã ſe cõtulit, ibiq; aliquot annos beatè regnavit. Præcipuè tamen poſt Braccii mortem ejus crevit potentia.

Martinus Pont. Romam ſe confert.

Braccius qui fuerit.

Braccius ipſe magnus profectò vir fuit. Nam & Dux rei militaris peritiſſimus habebatur, & magnitudine animi, conſilioq; pollebat, & aderat ei adumbrata quædã civili moderatione honeſtas. Hic ex opido Mõtone Peruſini agri nobilib. admodũ parentib. ortus, ſtatim ab adoleſcentia rei militari ſe tradidit, multisq; vulnerib. atq; laboribus peritiam tandem, autoritatemque boni Ducis eſt aſſecutus.

Braccius militũ Dux.

Exulabat per id tempus Peruſina nobilitas ferè omnis, inter quos Braccius licet admodum juvenis, conſilio tamen, & autoritate Princeps habebatur. Deniq; variâ militiâ per Italiã actâ, multisq; rebus geſtis in id potentiæ, autoritatisq; accreverat, ut Peruſinos diverſæ factionis, qui domi erant, vi & armis compulerit nobilitatem recipere, ipſe verò dominus Peruſinæ urbis à Populo ſimul ſit ac nobilitate delectus. Hinc ille magnificentiùs vires extendere cœpit, ac multas ſubinde urbes ſibi ſubditas facere, ut cùm venit Florentiam Pontifex, hic plurima poſsideret. Initâ deinde cum Martino concordiâ, cùm opidorum partem dimiſiſſet, partem concedente Martino retineret, non diu tamen in ea perſeveravit.

Braccius Peruſiæ dominus.

Sfortia militum Dux.

Erat per idem tempus Sfortia magnus & ipſe profectò vir, & in quo rei militaris peritiam alii majorem eſſe, quàm in Braccio, alii parem exiſtimabant. Hic quoque multas, ac magnas res geſſerat, & per omnes militiæ gradus ad famæ, atque gloriæ culmen aſcenderat. Inter hunc, & Braccium amicitia tandiu fuit, quandiu minores utrique fuerunt: auctos verò atque potentes æmulatio, atque contentio irritavit. Itaq; & prælia nonnunquam inter ſe commiſere, & cum inflammati plurimũ eſſent amborũ animi ad certamen, Sfortia tranſitu fluminis Piſcariæ ſubmerſus periit. Et Braccius paulò pòſt cum Aquilam urbem obſideret, Martino copias ſuas

Braccii & Sfortiæ æmulatio.

Sfortia ſubmerſus periit.

amicorumque ad liberandam obſidione urbem ſubmittente, præter ſpem omnium profligatur, atque occiditur.

Braccius occiditur.

Florentini per hoc tempus bellum reſumſerant adverſus Philippum Ducem Mediolanenſium. Creverat enim ille, ac vires paternas mirabili quadam felicitate reſumpſerat, & addiderat ad paternam dominationem Genuam urbem. Cum ergo jam terrâ, marique formidabilis eſſet, ac magnos Duces, magnumque equitatum haberet, & circa Forum Livii, Imolamque ſe inſerere videretur, ſuſceptum adverſus eum eſt bellum, miſſæque à Florentinis copiæ apud Sagonaram profligantur. Philippi autem Duces poſt victoriam multa loca Florentinæ ditionis per Apenninum montem occuparant. Adverſus hunc tumultum in dies creſcentem, Oddo Braccii filius: puer adhuc ſub gubernatione, atque cura Nicolai Picinini, cum magna paternorum equitum manu conducitur; Qui Aretium primùm, mox in agrum Mugellanum traducti hoſtiles impetus repreſſere, curſumque eorum victoriæ retardarunt. Sed poſt multa, atque egregia belli opera, cùm tandem in ſaltus difficiles ſe conjeciſsent, circum Monam fluvium profligantur, captuſque Nicolaus Picininus Faventiam ducitur. Nam Oddo in ipſa profligatione vulneratus obierat. Hinc vacillare civitatis res iterato cœpere, & in magno eſſe metu. Sed accidit percommodè Picinini captivitas, quoniam Faventinum dominum, in cujus manibus ipſe erat, ad nos traxit, conditionibus melioribus, utilioribusque oblatis. Itaque ſecutâ mox æſtate belli omnis impetus ad Faventiam conſtitit. Copiæ Florentini Populi intra urbem Faventiam, adverſariorum autem copiæ longè majores ad Imolam, Forumque Livii, circumque ea loca degebant, præliaque percrebra quotidiè gerebantur ad ipſas propè Faventiæ portas. Denique Faventia eo anno murus noſtræ fuit civitatis. Nec enim dubium erat, quin omnis impetus belli Florentina in mœnia recaſurus fuiſſet, niſi Faventia obſtitiſſet.

Belli inter Florentinos & Philippum Ducem Mediolanenſiũ. Genua à Duce Mediolanenſiu recipitur. Florentinorum copiæ profligantur. Oddo Braccii filius. Nicolaus Picininus. Mona fluvius. Oddonis mors.

Poſt longum certamen in agrum tandem Aretinum impetus belli redactus eſt ex hujuſmodi cauſa: Magiſtratus, qui pro Florentino Populo Anglare opidũ gubernabat, ſperans ſibi lucrũ fore, ſi ab ea parte turbationes concitarentur, Burgenſes quietos homines, nec hoſtile quicquam molientes, hoſtiliter ipſe invaſit, vaſtatisq; infeſtè agris, ac prædæ expoſitis, ſummis injuriis eos affecit. Illi tam inſigniter læſi, nulla fuit mora, quin copias hoſtium ad ſe convocarent. Hæ copiæ cum eò veniſſent, cuncta circum Anglare ferro, igneque populatæ ſunt, & copias Florentini Populi ſub ipſo opido ſtantes perfregerunt. Per hunc modum belli certamen, & impetus ex Faventino agro in Aretinum redigitur. Nicolaus Picininus per hunc tumultum in Aretinos tractus, non ſatis bono animo eſſe videbatur, & prædicabat obſequia ſua nequaquam gratè à Florentinis eſſe ſuſcepta, Tempus verò ſtipendiorum ſuorum ad finem deveniſſe, ſe jam alia ſibi cogitare. Hæc ab eo palàm jactata interpretabantur homines, quaſi vellet ille conſueto hoc militantium more ſtipendia ſibi augeri, & vulgò jactabant ab amicis ejus, qui non pauci Florentiæ, nec impotentes erant, hanc viam oſtenſam illi, quò majora conſequeretur. Ob hanc igitur opinionem nulla diligentia eſt adhibita, quò retineretur. Sed cùm finis ſtipendiorum veniſſet, ſecedens in Cortonenſem, & Peruſinum agrum, paucis pòſt diebus ſe ad ſtipendia Mediolanenſis Ducis conductum oſtendit. Subindeque conjunctus hoſtibus unà cum illis in agrum Aretinum regreſſus, Claſsium & Caſtrum novum, & Pontenanum, & quicquid caſtellorum eſt inter Bibbienam, & Aretium cepit. Hic tumultus plurimum turbavit noſtrorum mentes, nec ſolùm trepidare, verùm etiam diffidere, deſperareque coëgit. Erat enim multitudo hoſtium ingens, noſtri autem perquam pauci, inſuper imparati, & fracti videbantur. Cum ergo non immeritò trepidaretur, ad Venetos reſpicere Florentini cœpere, exiſtimantes illis quoq; formidandum eſſe Mediolanenſis Ducis opes uſq; adeo augeri. Nec falſa quidem erat exiſtimatio. Formidabant enim ac moleſtè ferebant, gravemq; illius propinquitatẽ futurã putabant civitati ſuæ. Quibus rationib. ad ſocietatem trahebantur. Philippus verò ubi hæc tractari ſenſit, ne coirent ſimul civitates, pacem obtulit Florentinis: prælata eſt tamen Venetorum ſocietas paci, cui non ſatis credendum homines arbitrabantur. Poſt eam ſocietatem contractã, repentè Brixiam urbem Veneti invaſere. Quare conterritus Mediolanenſis Dux confeſtim revocavit ex Herruria copias. Florentini quoq; bifariam partitis copiis earum partem in Galliã Ciſalpinã miſére, quò Venetis jungerentur, partem ad

Burgenſes à Magiſtratu Florentino aggrediuntur. Nicolai Picinini à Florentinis defectio. Florentinorũ cum Venetis concordia. Venetorum cum Duce Mediolanenſi Philippo pax.

recuperanda

recuperanda caſtella Aretini agri prius amiſſa retinuere. Et caſtella quidem illa non ſine difficultate recuperata ſunt, & in Gallia proſperè bellum eſt geſtum. Brixia quoque tota cum arcibus in poteſtatem Venetorum devenit. Pax deinde cum Mediolanenſi Duce facta, in qua inſuper Bergomum, & opida quædam Venetis dimiſit.

Brixia in poteſtatem Venetorum devenit.

Pòſt non integro biennio decurſo, aliud rurſus bellū renaſcitur, longè periculoſius, quàm primū. Fluxit verò ex hujusmodi cauſa: Nicolaus Braccii ſororis filius cū aliqua equitū manu inter copias Florentini Populi p Galliā militaverat. Hic finito bello in Hetruriam reverſus, cum ad cæterorum exemplar ſtipendia, utpote receptâ pace, ipſi minuerentur, non tulit ille quidem, neq; aſſenſus eſt, ſed per id ipſum tempus majores ſibi copias parare contendit. Et vulgabatur illum in Umbria, quoniā inde ipſi origo foret, aliquid eſſe moliturū. Cùm ergo ad aliquē modum auctus jam eſſet, repentè in agrum Lucenſem profectus, regionem totam ſubitâ clade involvit. Lucenſib⁹ per id tempus dominabatur Paulus Guiniſius, eratq; cum illo pax Florentinis. Odia tamen ſuberant, quod proximo bello cum hoſte ſenſiſſe ferebatur. Filium certè cum equitatu ad eum miſerat, eâ tamen lege, ne adverſus Florentinos, Venetosq; bello gerendo adeſſet. Itaq; etſi ignarâ civitate impetus erat factus, tamen quia cauſæ ſuberant, ac ex noſtris opidis moverant, ſuſpicionem præbuit, quaſi occultâ civitatis operâ factus impetus fuiſſet. Qua opinione multi noſtrorum his locis finitimi ad prædam, direptionemq; concurrerant, ut jam non integra res civitati, ſed cœpta quodāmodo videretur. Punire enim transgreſſores præ multitudine non licebat, & ſimul multitudo urbana mirabili ardore id bellum depoſcebat. Deniq; rejectis maioribus, gravioribusq;, qui diverſa ſuadebant, concurſu multitudinis bellum ſuſcipitur. Quo facto, ſtatim permulta Lucenſis agri caſtella ſeſe Florentinis dedidere. Luca deinde obſeſſa, & aggere circundata, adeò vanâ ſpe, ut ſibi ſuaderent ſtulti quidam aquâ per aggerem invadari poſſe. Id cum ſperare vanum eſſet, & in longum obſidio traheretur, veniens demum Franciſcus Sfortiæ filius, Lucam obſidione liberavit, noſtris bono conſilio ad Librofactæ mœnia ſponte ſuâ ſe recipientibus. Hoſtes autem paulò pòſt circa Nebulam fluvium profecti Piſciam oppugnarunt, & Buggiam vicum ceperunt.

Paulus Guiniſius Lucæ dominus.

Luca obſidetur.

Franciſcus Sfortiæ filius Lucam obſidione liberat.

Nec multò pòſt ipſe Paulus Guiniſius, qui Lucæ dominabatur, dolo ſuorum captus, Mediolanum transmittitur. Franciſcus autem Sfortia pecuniâ à Florentinis acceptâ Lucam deſtituit. Rurſus ergo majori vi obſeſſa à Florentinis, cùm jam ad extremum deveniſſet, adventu Nicolai Picinini obſeſſores profligantur. Miſſio Nicolai Picinini, & prius Franciſci Sfortiæ à Philippo Duce Mediolanenſi proceſſerat. Ob eamq; rem reſumptum fuerat adverſus eum bellum, flagitantibus Florentinis, ut Veneti per Galliam Philippum adorirentur. Inter hæc Senenſes apertè defecerunt à Florentinis, jam pridem illis infenſi ob Lucæ obſidionem, per quam nimia creſcendi, ac vicinis dominandi cupiditas deprahendebatur, ac ſuſpecta jam pridē illis erat civitatis potentia. Picininus ergo Piſanū, Florentinūq; agrū invadens, non prius deſtitit, quàm à Luca Senas uſque ſibi viam aperuit, ipſe quoque eò profectus Staggiam obſedit. Inde in Aretinos ſpe proditionis tractus, cum detecta proditio eſſet, caſtella in his locis ſubitâ, improvisâque vi complura cœpit.

Paulus Guiniſius dolo ſuorum capitur.

Luca iterū à Florentinis obſidetur.

Et liberatur.

Senenſium à Florentinis defectio.

Staggiam Picininus obſedit.

Hoc bellum maximè attrivit Florentini Populi opes, ac in ſummum diſcrimen adduxit, cum & Piſæ vix, & anxiè retentæ ſint in poteſtate, & omnia caſtella Piſani, Volaterranique agri fuerint amiſſa, & in Aretinis fluctuarent omnia, & in Florentino etiam agro caſtella quædam Senenſes occupaſſent, & intra urbem crebris, intolerabilibusque tributis cives exinaniti, & ærarium penitùs eſſet exhauſtum. *Querelarum itaq; plena erant omnia, ut fieri ſolet in Populo malè ſuccedentibus rebus*, nec quicquam erat odibilius, quàm ij cives, quorum operâ bellum Lucenſe fuerat ſuſceptum. Per Galliam quoque Ciſalpinam varia ejus belli fortuna modò Venetos, modò Mediolanenſem Ducem afflixit.

Hoc ferVente bello Sigiſmundus Imperator in Italiam venit, nec magnas copias ſecum adduxit, utpote qui in Philippi Mediolanenſis potentia, opibusque fundamenta ſui tranſitus collocaſſet. In Gallia longiori morâ per hyemem tractâ, cùm Mediolani primùm, deinde Parmæ ſediſſet, tandem ſecutâ mox æſtate in Hetruriā tranſiit. Ob ejus adventū civitates erectis animis vel timore, vel ſpe ſuſpenſæ perſtabant, magnū profectò aliquid molituræ. Sed imminuit ejus autoritatē, quòd

Sigiſmundi Imperatoris adventus in Italiam.

his ipſis

his ipſis diebus præmiſſi equites Philippi Mediolanenſis, magnâ ſtrage ab equitib. Florentini Populi ſub Toporio opido profligati ſunt. Qua noſtri victoriâ elati, ubi veniſſe in urbem Lucam Imperatorem cognoverunt, eò vadentes, ad ipſas propè portas poſuerunt caſtra, cũctaq; circa urbem populati ſunt, intus manente Imperatore, ac prohibere vaſtationem nequeunte. Hæc res & his, qui erigebantur ob ejus adventum, fiduciam eripuit, & his qui formidabant, metum ademit.

Philippi Ducis equites apud Toporium profligantur.

Sigiſmundus Imperator Lucæ obſidetur.

Poſt hæc in agrum Senenſem traductis copiis, quo illic quoque vaſtarentur ſegetes, Duces parum admodum circum ea loca commorati, in fines Aretinorum ſeſe receperunt, cauſantes commeatum Senenſi in agro ſibi deeſſe. Itaque per eorum abſentiam Imperator adeundi Senas facultatem nactus, eò feſtinavit. Senis aliquot menſes commoratus, tandem Romam profectus eſt de Pontificis voluntate. Pontifex erat Eugenius quartus, natione Venetus, qui Martino defuncto in Pontificatu ſucceſſerat. Ab hoc Imperator ſolenniter coronatus eſt.

Eugenius IIII. Pontifex.

Per hæc ipſa tempora pax recepta eſt cum Mediolanenſi Duce, ac bello finis impoſitus. Per eam pacem omnia caſtella reddita ſunt Florentinis, quæ in Piſano, Volaterrano, Aretinoq; agro hoſtis cepiſſet. Hoſtibus quoq; omnia caſtella Lucenſis agri, quæ prius ceperant Florentini, reddidere. Imperator demum Româ abiens per Tuterdinũ, & Peruſinum agrum profectus Ariminum petiit. Inde per Ravennatẽ, ac Ferrarienſẽ, & Mantuanũ trans Alpes abivit. Et quidem tantâ varietate vel animi, vel fortunæ, ut inimiciſsimus Philippo Mediolanenſi abierit, cujus favore, atq; opib. Italiam intraſſet, Venetorum autem, quibus maximè inimicus venerat, amiciſſimus recederet. Erga Florentinos quoq;, licet apud Lucam graviter ab his offenſus, non inimico eſſe animo viſus eſt, tentavitq; in receſſu illo ſuo Florentiã venire, ſed non recipiente Populo aliud iter ſecutus in Germaniam rediit. Nec diu ſupervixit. Nam trienniò fermè poſt reditum ejus in Ungaria defunctus eſt. Hunc Principẽ nos Placentiæ primum vidimus, & aliquem cum eo uſum, converſationemq; habuimus, dum Laudæ, Cremonæq; conſtitimus. Poſtea verò Conſtantiæ magis naturã illius, moresque conſpeximus. Fuit autem proculdubio vir inclytus, præclarâ facie, corpore tum ſpetioſo, tum robuſto, magnitudine animi ſive pace, ſive bello eximiâ, liberalitate verò tantâ, ut hoc unum illi vitio daretur, quòd largiendo, & erogando, ſibi ipſi facultates detraheret ad negotia, bellaq; obeunda. Huic ſucceſſit in imperio, ac regno Ungariæ Albertus Dux Auſtriæ, qui nec ipſe diu vixit. Sed hæc poſteo facta ſunt. Nos autem ad noſtra tempora revertamur.

Florentinorum Pax cum Duce Mediolanenſi.

Sigiſmundi Imperatoris ex Italia receſſus.

Sigiſmundi Imperatoris mors.

Sigiſmundus Imperator qui fuerit.

Albertus Dux Auſtriæ in imperio ſuccedit.

Poſt eam pacem, de qua ſuprà diximus, Franciſcus Sfortiæ filius, qui cum equitatu apud Mediolanenſem Ducem militaverat, per ſpeciem allevandæ militiæ dimiſſus, in Picentes devenit. Ibi cum dedentia ſeſe opida permulta ſuſcepiſſet, elatus ſucceſſu, iter in Apuliam ab initio deſtinatum omittere ſtatuit, ac circum ea loca vires extendere. Hujus propinquitas Eugenium intra urbem Romam trepidare coëgit, & accedebat terrori, quòd Nicolaus Braccii ſororis filius, qui modò ſub eo Pontifice militaverat, alienatus, atq; infenſus Pontifici, quaſi eum opprimere dolo tentaſſet, magno tumultu Tibur occupaverat, indeq; bellum Romæ graviſſimum inferebat. Intra urbem verò nihil ſani, neq; pacari videbatur, nec ſatis Eugenii proſpera fama, præſertim quia Pontificatũ tranquilliſſimum à Martino ſuſceptum, ipſe confeſtim magnis turbationibus involviſſet.

Franciſci Sfortiæ geſta quædam.

Tibur occupatur.

Concilium per id tempus Baſileæ cogebatur, & acceſſerant eò Cardinales quidam. Eugenius autem Romæ conſiſtens, magnis vexationibus premebatur, quibus tandem ex urbe Roma clàm fugere coactus, mari Piſas delatus, indeq; Florentiam veniens aliquandiu in eâ reſedit. Hoc quoq; in loco multa ab eodem Pontifice tentata, haud ſatis quieti, & paci congruentia, & illud in primis, quod Bononienſes vi, & armis cogere in ſua imperia perrexit. Ex quo turbationes ortæ graves, ac penè in bella reditum. Bononienſes enim ab illo vexati, Mediolanenſis Ducis auxilia confeſtim vocavere, copiiſq; hinc inde coactis, noſter, Venetorumq; equitatus Pontifici conceſſus, non longè ab Imola urbe, à Picinino profligantur, Duxq; copiarum Florentini Populi Nicolaus Tolentinas Mediolanum captivus transmittitur.

Concilium Baſileæ indictum.

Eugenii Pontificis fuga.

Nicolaus Tolentinus capitur.

Florentiæ quoque per hoc ipſum tempus vehemens in Repub. mutatio fuit, reductoq; Coſmo Medice, & agnatis, qui ſuperiore anno fuerant expulſi, diverſa factio ſatis magno numero in exiliũ agitur. Cõcordia deinde inter Eugeniũ, & Philippũ Mediolanẽſẽ ſecuta, Imola q; & alia quædã Flaminiæ opida Põtifici reſtituta. Stabilita

Coſmus Medices reducitur.

Concordia inter Eugenium & Philippum Mediolanenſem.

quoque pax iterum, in qua Veneti, & Mediolanenſis Dux, & Florentini compre- henſi ſunt, eo pacto, ut ſi quis eorum alterum offenderet, cæteri omnes adjuvare eam partem, quæ offenſa foret, tenerentur. Hæc & ſolenniter facta, & plena maxi- mæ ſpei durationem minimam habuere. Nam cùm haud multò pòſt Genua, quæ

Genua à Duce Mediolanenſis defectio.

ſub Imperio Mediolanenſis Ducis erat, ab eo defeciſſet, Florentini, & Veneti uſq; adeo gratè id ſuſceperunt, ut non abſtinerent ab auxiliis præſtandis, quò Genuenſes in libertatem ſe magis aſſererent. Et ſanè potentia Mediolanenſis Ducis eximia, & animus extendendi Imperii cupidus infidam ac ſuſpitioſam confœderationem red- diderant. Cauſa verò rerum novarum Genuenſibus fuit, quod cùm Aragonum

Aragonum Rex ſuperatur.

Regem non procul Gajeta navali prælio ſuperatum cum duobus fratribus, ac ma- gno procerum multitudine cepiſſent, Dux Mediolanenſis eum Regem, fratresque Mediolanum traductos, & humaniſſimè ſuſcepit, & liberaliſſimè dimiſit. Mirabili certè magnificentiâ fretus in duobus ſimul Regibus, ac tot proceribus liberandis. Sed ea liberalitas amittendi Genuam cauſa fuit. Genuenſes enim uſq; adeò indignè tulerunt, Regem ſibi inimicum abſque ulla ſui ratione eſſe dimiſſum, ut Mediola- nenſis Ducis jugo repulſo in libertatem ſe vendicarent. Florentini verò & annonâ primùm, & mox auxiliis militum eos juvarunt.

Per hoc ipſum ferè tempus baſilica Florentina ab Eugenio Papa ſolenniter de-

Baſilica Florentina dedicatio. Pons ligneus mirabili opere ædificatur.

dicata fuit. Cujus rei cauſa pons ligneus incredibili celeritate, ac mirabili opere æ- dificatus eſt ab Eccleſia prædicatorum, ubi Pontifex habitabat, ad ipſam baſilicam, quæ erat dedicanda. Is verò pons non ſolùm ad magnificentiam pertinuit, verùm etiam ad neceſſitatem. Tantus enim in ipſa dedicationis die concurſus hominum fuit ex agro, ac finitimis opidis, & ex ipſa multitudine urbana, ut complerentur o- mnes aditus, omnesq; viæ, nec Pontifex cum ſuis Cardinalibus, & Prælatis tranſire unquam præ nimia turba potuiſſet, niſi pons ad hoc ipſum ſuper injectus viam eis

Pontis latitudo & longitudo.

præbuiſſet. Incepit autem is pons à porta ipſa Eccleſiæ prædicatorum, inde novam plateam ſecans, uſque ad caput viæ, quæ ducit ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ majoris, perque ipſam viam ubique continuato ponte uſq; ad templum Baptiſtæ, proximam- que ſubinde baſilicam pervenit. Erat verò latitudo pontis circiter brachiorū qua- tuor, pedesq; lignei tranſverſa ſuſtentabant tigna. Super his verò tabulata erant. A lateribus verò columnæ paribus inter ſe diſtantes ſpatiis inſurgebant in altitudinē brachiorum ſeptem. Hæ ad pavimenti tigna infixæ aliis rurſus exilioribus tignis in extrema altitudine vinciebantur. Super his vela erant, quibus pons tegebatur uni- verſus, cum papilionibus utrinque pendentibus, pavimentum rurſus ab utroque latere uſque ad zonam hominis aulæis erat munitus. Per hunc pontem incedens Pontifex, magnâ & ipſe pompâ, magnoq; ornatu, cùm omnium Cardinalium, Præ- latorumq; multitudine ad baſilicam pervenit, ſpectante Populo de inferiore loco, & tantum pontis ornatum, ac tam venerabilem pompam cum lætitia intuente.

Haud multò pòſt dedicationem hanc, Eugenius Bononiam ſe tranſtulit, rece-

Luca tertio obſidetur.

ptâ jam pridem ea civitate poſt Mediolanenſis Ducis confœderationem. Luca de- inde rurſus obſeſſa eſt à Florentinis ex ejuſcemodi cauſa: Venerant in agrum Lu- cenſem permagnæ equitum copiæ Philippi Mediolanenſis. Ducebat autem eas co- pias Picininus, petebatq; à Florentinis, ut pacatè ſibi tranſire in Senenſium fines li- ceret. Florentini autem ſuſpicantes fraudem aliquam ſubeſſe, tranſitum negave- runt, ac, ne fortè vi tranſire adorirentur, Franciſcum Sfortiam celeriter vocatum (erat enim Venetorum, Florentinorumq; militiæ Dux) venientibus oppoſuerunt. Initium hiemis erat, cum hæc facta ſunt, ſtatimq; eſt per univerſam hiemem ambi- gua pace, cum à noſtris fines agri Florentini, Piſaniq; defenderentur, ab hoſtibus verò circum ea loca deſidentibus ſuſpiciones magis, quàm apertum inferretur bel-

Serezana.

lum. Serezanam tamen, & alia quædam Lucenſis agri caſtella per eam hiemem ce- perunt hoſtes, & duo parva loca in agro Piſano ad extremum occuparunt.

Tranſactâ demum hieme noſtros majori apparatu Piſis egreſſos non expecta- verunt hoſtes. Erant enim afflicti longâ hiemis militiâ, ſed trans Apenninum abe- untes, in Galliam ſe receperunt. Noſtri verò receptis omnibus caſtellis primo amiſ-

Florentinis materia belli deerat.

ſis, quandoquidem materia deerat belli, Lucenſes invadere conſtituerunt, eis ſuc- cenſentes quod hoſtibus auxilia præſtitiſſent, quodq; eos commeatu, cæterisq; re- bus, quæ ſunt ad uſum belli, ſuſtentaſſent. Itaque contra Lucenſes verſis ſignis cun- cta ferme eorum caſtella ceperunt, & Lucam ipſam obſederunt, ut parva admodū,

vel nulla

vel nulla ſpes evaſionis ſupereſſe videretur. Nam hoſtium copiæ per ſuperiorem hiemem diutius in agro Lucenſi commoratæ, omne quaſi frumentum ejus urbis conſumſerant. Nova autem frumenta, prius quàm matureſcerent, noſtri vaſtarant. Quare in extremo conſtituta civitas frumenti defectu, peritura videbatur. Nutriebat tamen eorum ſpem Nicolaus Picininus, qui ſe venturum ad obſidionem ſolvẽdam minitabatur, & apparatus quoſdam ad oſtentationem faciebat.

Cæterum ſocii magis, quàm hoſtes, Lucæ profuerunt. Veneti quidem antiqui ſocii, & Genuenſes nuper in ſocietatem recepti, bis, aut ter obſidionem interruperunt, cum aliàs Pontremulum, aliàs Parmam Dux, & copiæ traducerentur. Id Florẽtini perindignè ferebant, atq; ita alienationes quædam animorum exortæ ſunt inter Florentinos & Venetos, jactabantq; permulti, Venetis non placere, ut Luca in Florentini Populi poteſtatem deveniret. Ea ſuſpitio paulatim ſubereſcens, dividendæ ſocietatis cauſa fuit, præſertim poſtquam Duci copiarum tranſire Padum recuſanti denegata penitùs ſtipendia fuerunt à Venetis. Tunc enim quaſi deficiente ſocietatis fide Franciſcus Sforria de reconciliatione cum Mediolanenſi Duce agitare cœpit. Florentini autem, quò ſe verterent, neſciebant. Venerat enim Picininus cum magnis copiis per Flaminiam uſq; ad Forum Popilii, quaſi inde in Hetruriam tranſiturus. Veneti autem ſpectatores ſedebant otioſi, oratores noſtri Venetias miſſi non audiebantur. Ita cogente neceſſitate Florentini reconciliationẽ ſecuti ſunt, & cum Lucenſib. pax eâ conditione recepta, ut obſidio Lucæ ſolveretur, caſtella verò, quæ cœperat Florentinus, retineret.

Florentinorum & Venetorum diſſidia.

Franciſcus Sforsa Duci Mediolanenſi conciliatur.

His peractis, Picininus ſtatim retrò converſus Forum Livii, & Imolam, & Bononiam occupavit. Inde in Venetos tranſiens, omnes belli clades, quas Florentinis inferre paraverat, contra illos exercuit, multisq; opidis Venetorum captis, tandem Brixiam obſedit, atq; ita oppugnavit, ut mœnia urbis crebro tormentorum pulſu quibusdam locis everterentur. Hæc omnia mirabili celeritate Picininus effecerat.

Imola & Bononia à Picinino occupatur.

Brixia à Picinino obſidetur.

Proxima deinde hieme Eugenius Papa Florentiam rediit, adducens ſecum Imperatorem Græcorum. Quibus de rebus altiùs reſumpto principio eſt à nobis dicendum: Eugenius enim cum Florentiâ Bononiam ſe contuliſſet, de unione Græcorũ agitari cœpit. Mota prius hujúsce rei mentio fuerat in concilio Baſilienſi, deinde ab Eugenio recepta procuratio eſt, quò Baſilienſis concilii autoritatẽ minueret. Itaq; Græci prius autoritate concilii permoti, cum ad eum venire locum, in quo Papa, & concilium foret, ſpopondiſſent, indicto à Pontifice apud Ferrariam altero concilio, cum illuc Pontifex quoq; acceſſiſſet, Græcos eò pertraxit. Venerant enim jam Venetias Græci, qui etſi ab initio ambigui ſtarent propter Baſilienſium, Pontificisque diſcordias, præter eorum ſpem apud noſtros repertas, tamen viam Pontificis ad extremum ſecuti, Ferrariam ſe ad Pontificem contulere. Aliquot menſibus negotium unionis Ferrariæ agitatum cum eſſet, ſuperveniente peſte, Græci unà cum Pontifice Florentiam ſe tranſtulère, receptiq; benignè pòſt aliquot menſes, quàm Florentiam venerant, unitatem demum, & concordiam iniere, ſublatis quibusdam circa fidem erroribus. Fuit autem numerus Græcorum, qui Florentiam venerant, ſupra quingẽtos. In his verò Imperator, & frater ejus germanus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus cum multis Archiepiſcopis, & Prælatis, multiq; cum Imperatore proceres, ſecularesq; inſignes viri, ac literarum non ſacrarum modò, verùm etiam gentiliũ benè periti.

Concilium Ferrariæ indicitur. Græci ad Concilium veniunt.

Imperator Græcorum.

Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Florentiæ dum eſſent Græci, redintegratio fæderis noviter facta eſt inter Florentinos & Venetos. Picininus enim poſt Brixiam oppugnatam, transgreſſus Atheſim fluvium, circa Veronam, & Vicentiam terribilis imminebat. Capto Lignato, ac cæteris fermè omnibus illarum partium opidis, nullum remedium fore videbatur, quin Patavium uſq; cuncta pervaderet. Hæc pericula Venetos permoverunt ad Florentinorum ſocietatem, quam paulò antè ſpreverant, repetendam. Florentini quoque non inviti in ſocietatem redierunt, exiſtimantes, ſi deletæ forent Venetorum opes, nequaquam ab ſe victorem temperaturum. Ita conjunctio rurſus fit inter Venetos, & Florentinos, Franciſcusq; Sfortia Dux cum magnis copiis operâ Florentinorum ad Venetos transgreſſus, curſum victoriarum hoſtilium omnino repreſſit, eorumq; copias omnes trans Atheſim repulit. Secuta deinde permulta, ac præclara & circa Benacum lacum, & circa Veronæ recuperationem, quæ particulariter referre contra propoſitum eſſet noſtrum, cùm ſummam tantùm rerum notemus, non hiſtoriam deſcribamus.

Fœdus inter Venetos & Florentinos redintegratur.

Lignatum opidũ capitur.

Per hoc ipſum tempus à Baſilea nuntiabatur concilium, quod ibi diutiùs fuerat, privato Eugenio, alterum Pontificem creaviſſe Amadeum Subaudiæ Ducem. Id admirabile cunctis videbatur, tanti faſtigii Principem dubio Papatu ſe honerare voluiſſe, *cùm etiam certus Papatus magna ſervitus ſit exiſtimanda*. Nos quæ ſequentur videbimus.

Amadeus Subaudiæ Dux Pontifex creatur.

Cum per Hetrutiã quies eſſet à bello, omniſq; hominum cura in Galliam Ciſalpinam eſſet converſa, Nicolaus Picininus in medio fervore Gallici belli relictâ Galliâ, magnas ſuorum copias in Hetruriam rapuit. Cumque transmiſſo Apennini jugo in agrum Mugellanum deſcendiſſet, magnum terrorem intulit noſtris. Agmina ſuorum latronum ritu, uſque propè ad conſpectum urbis diſcurrebant. Fœdâ trepidatione, & fugâ circum urbem omnia complebantur, intra urbē verò magnæ ſuſpitiones erant, tum quòd infima plebs caritate annonæ premebatur, tum etiam quòd præſenti Reipub. ſtatu non omnes pariter cives gaudebant. Erat verò tota urbs plena colonorum, & agricolarum, cum conjugibus, & liberis, ac raptâ ex hoſtibus ſupellectile fugientium, boveſq; & pecora vias omnes urbis compleverant. In hoc ergo tumultu Decemvir iterum creatus ſum ad curam belli gerendi. Geſſeram enim ſuperiori æſtate eundem Magiſtratum per id tempus, quo reconciliatio facta eſt inter Florentinos, & Venetos. Sed premente civitatem maximo diſcrimine ob repentinum hoſtium adventum, rurſus decreto Populi Florentini Decemvir creatus fui, cum præſtantiſsimis quibuſdam viris. Neq; enim tunc imminens periculum mediocres hominos depoſcebat, ſed qui tantarum rerum molem perferre animo, & gubernate conſilio idonei eſſent, propterea data opera eſt, ut quoad fieri poſſet, optimi ſumerentur.

Nicolai Picinini in Hetruriam adventus.

Florentinorum trepidatio.

Leonardus Aretinus decemvir iterum creatur.

Hoſtes cum aliquot dies circa Politianum ſtetiſſent, tandem ex Mugellano in Caſentinatem agrum transierunt, quod quidem eorum factum mentes noſtras valde ſublevavit. Formidabamus enim ne per Marinum fluvium ductis copiis inter Pratum, & Florentiam deſcenderent, ubi & commeatum habere potuiſſent, & impedire tranſmiſsionem frumenti, quod à Piſis, atq; emporio Florentiam vehebatur. Nam ad cætera quoq; pericula frumenti indigentia per id tempus acceſſerat. Picininus igitur ſive non intellexerit, ſive non auſus fuerit, hac opportunitate relictâ, in Caſentinatem copias duxit, loca montana, & ſaltuoſa, & remotiora ab urbe, qua quidem in re ſecutus eſt (ut putant) conſilium, & ſuaſionem Franciſci Comitis Puppii ſecretò illum vocantis. Ubi ergo in Caſentinatem pervenit, Bibbienam, & Romenam cepit, & Franciſcus Comes cum Puppio, cæteriſq; caſtellis ſuis ad eum defecit, commeatuq; adjuvit. Inde ad caſtellum Sancti Nicolai poſitis caſtris, menſe integro circa illud deſedit. Poſtquam verò id quoq; ſuſcepit, ad Raſsinam conſtitit. Nos per hoc tempus caſtellum Sancti Nicolai paulò antè amiſſum recepimus, quæ quidē res adverſariorum mentes plurimum fregit. Munitiſsimum enim caſtellum, quod ipſi tormentis, & machinis vix uno menſe integro expugnarant, recuperatum à nobis intra paucos dies obſtupeſcebant. Jamque ex hoc noſtri meliore ſpe, illi deteriore cœperunt eſſe.

Franciſcus Comes Puppii.

Inter hæc Florentinis auxilia ſupervenerunt, ex Gallia equites ad ſeptingentos, ex agro Piceno totidem, quos ducebat Michelottus, ex Flaminia Petrus Jampaulus Urſinus cum aliqua manu redierat, pedites verò conduxerat civitas ſuprà quatuor millia, expectabātur præterea Eugenii copiæ. Erant verò hæ ſupra duo millia equitum, quæ cùm circa Aretium ſe noſtris conjunxiſſent, validi jam ac reſiſtere parati, ad Anglare opidum duxerunt. Nam Picininus ſuſceptâ in deditionem Raſſinâ, ad Burgum copias duxerat. Itaque illis in locis noſtræ copiæ hoſtibus oppoſitæ conſtitere. Non proſequar ſingulos actus. Nam id quidem (ut ſæpius jam diximus) hiſtoriæ foret.

Florentinis auxilia ſupervenerunt.

Michelottus.

Anglare opidū.

Picininus Burgum tenebat, inde Tifernum occupare tentavit, mox Peruſiū adiit, eamq; urbem celeriter in ſuos favores convertit, poſtea Tortonam per proditionem capere niſus eſt. Hæc omnia celeriter admodum fecit, inde ad noſtros reverſus inter Tifernum, & Burgum cum exercitu conſtitit. Noſtri hoſtium præſentiam veriti, caſtra, quæ prius erant longiùs, ad ipſa Anglatis mœnia conjunxerunt. Ea ſignificatio timoris audaciam Picinini adauxit. Itaq; non multis poſt hæc diebus repentè ſuperveniens totis copiis noſtros invaſit. Duæ res admodum noſtros juvabāt: una quòd ſub ipſo opido prælium committebatur loco percommodo ſibi, hoſtibus

adverſo;

adverſo: altera quòd hoſtes ex caſtris ſuis armati venientes propter maximos calores ipſi, & equi defeſſi prælium inibant, noſtri recentes, & tunc primum ſumptis armis, equisq; præliabantur. Itaq; tandem ſuperatus Picininus omnes ferè copias amiſit, ipſe vix, & anxiè ad Burgum ſe cum paucis recepit. Vexilla omnia exercitus hoſtium à noſtris capta, & Florentiam relata. Præterea tentoria, & cætera omnia, quæ fuerunt in hoſtium caſtris, noſtri cepere. Ex equitib. autem hoſtium pauci admodũ evaſerunt. Capti ſunt etiam ex Burgenſibus ſupra mille ducentos, qui fiduciam Picinini ſecuti, quem victorem fore haud dubiè credebant, populariter exierant in noſtros. *Sed qui alios capere ſperabant, ipſi capti ſunt.* Deniq; hæc maxima fuit victoria, finem bello impoſitura, ſi noſtri ſequi eam voluiſſent. Sed nec Dux erat unus, cui omnes parerent, nec militum cunctorum idem animus. Itaq; ad Burgum ducere, & Picininum circumſedere differentes, ſpatium abeundi illi dederunt. Tertia demum poſt pugnā die profecti, cum ille jam abiiſſet, ad Burgum duxere, Burgumq; ipſum, & Montерchium, & Valliallam in deditionem ceperunt. Fuit autem hæc victoria apud Anglare opidum parta tertio Calend. Julii quadrageſimo anno ſupra mille quadringentos. *Picininus ſuperatur.* *ANNO. 1440.*

Poſt hæc nos cum alia militum manu Bibbienam, & Romenam, ac cætera prius amiſſa, facilitet recuperavimus. Caſtella verò, quæ Comitum fuerant, cæterasq; arces per Caſentinatem obſideri fecimus. Maximum tamen circa Puppium fuit certamen. Opidum enim nobile naturâ, manuq; munitum, & defenſoribus plenum, haud facilè expugnabatur, niſi defectus rei frumentariæ nos adjuviſſet. Puppienſes enim jubente domino frumentum omne vetus Picinino, & ſuis tradiderant. Nova autem frumenta per bellum, & obſidionem colligere non potuerant. Ita deficiente ſpe Puppium deditur. Leoninum cum Mignario, cum Battifolle, & Prato veteri, ac cæteris omnibus caſtellis, quæ comitum fuerant, in poteſtatem noſtram venerunt. Totum deniq; Caſentinum, quod nondum fuerat Florentini Populi, in Magiſtratu noſtro, noſtræ civitati ſubjecimus. *Ita ex turbulentiſſima tempeſtate, qua creati fueramus, res proſpera, lætaq; ſunt ad extremum ſecuta cum ingenti gloria & exaltatione civitatis.* *Maximum certamen circa Puppium.* *Puppium deditur.* *Florentinorum victoria.*

RERUM ITALICARUM FINIS.

Digitized by Google

LEONARDI ARETINI COMMENTARIORUM RERUM GRÆCARUM AD ANGELUM ACCIAIOLUM EQUITEM Florentinum Liber.

ANimadverti nonnunquam, ô Angele! te admirari ſolere meam; ut ita dixerim, cunctationem, ac tardiratem, quoties aut de ſuſcipiendo bello conſultatur, aut de his rebus, quas bellum ſit faciliter ſecuturum. Ego autem, ſi quid eſt in me tale, illud volo ſcias, non tam ex natura mihi provenire; quàm ex eo, quia multa legiſſe mihi videor, per quarum rerum memoriam, atq; exempla, cunctationes omnes, atque pericula reformido. *Nulla enim fuit unquam civitas, neq; tam aucta opibus, neq; tam florens, qua non ex parvis interdum erratis in maxima inciderit pericula ſtatus ſui.* Nonnullæ etiam ex hoc ipſo in extremam ruinam devenerunt. Quare ſi cunctatores, & tardi, ſi deniq; timidi, ac diffidentes in hujusmodi rebus, aut tibi aut cæteris viſi ſumus, eam ſcias cauſam fuiſſe, quod exempla me revocant, & deterrent ab omni protinùs dimicatione. *Equidem civitati beata atq; felici quietem maximè complectendam puto,* & quò melius ſtat, eò minus fortunam experiendam, quæ mutabilitate gaudere dicitur. Sed eſt id quidem (ut opinor) non tam fortunæ culpa, quàm ſtultitiæ noſtræ. *Homines enim neq; à doctrina inſtituti, neque ingenio, voluntateq; moderati, multum nocuerunt hactenus, & nocebunt ſuis civitatibus. Majori enim ſpiritu, quàm prudentiâ, Rempub. gubernantes, neque fines rerum, neque pericula metiuntur.*

Prudentia Reſ. pub. gubernari debet.

Atque ego his conſiderationibus inductus, tibi Commentarium rerum Græcarum ſcripſi (malo enim aliorum errores narrare, quàm noſtros) in quibus videbis potentiſsimarum Græciæ civitatum, quæ latiſsimè dominabantur, varios caſus, atque ruinas, & mirificas fortunæ converſiones. Aggreſsus verò ſum non omnem hiſtoriam, ſed eam ſolummodo partem, quæ pertinet ad Græciæ principatum, in qua primum Athenienſium, mox Lacedæmoniorum, inde Thebanorum caſus referentur, usque ad Epaminundæ præſtantiſsimi Ducis mortem, & victoriam illam memorabilem apud Mantineam partam, per quam principatus Græciæ Lacedæmoniis ademtus eſt, cum ipſi primò illum Athenienſibus ademiſsent. Ut autem ſeriem rerum breviter attingamus, Bellum fuit longiſsimum, ac maximum inter Lacedæmonios, & Athenienſes, cœptum quidem per ea tempora, quibus Pericles Athenis Princeps erat civitatis, apud Lacedæmonios verò Archidamus regnabat, Id bellum per annos viginti & octo variâ ſpe, dubioq; eventu geſtum, cùm modò hi, modò illi ſuperiores haberentur. Tandem Athenienſes ſuperati, non modo autoritatem, verùm etiam libertatem amiſere. Incipiemus ergò ferè ab extremo hujus belli tempore, quo apud Argyruſas primò, mox apud Lampſacum navali prælio certatum eſt. Ex illo enim tempore declinare Athenienſium res, & ad ruinam tendere cœperunt. Hoc autem nobis commodiſsimum narrandi principium eſſe videtur, ad eas res, quas docere volumus, oſtendendas. Dicemus igitur hinc ſumto initio:

Epaminundas Thebanorum Dux.

Bellum inter Lacedæmonios & Athenienſes.

Pericles Athenienſium princeps.

Archidamus Lacedæmoniorum princeps.

Argyruſa.

Lampſacum.

NARRATIO

ATHENIENSES, ſimulac Mithylenam obſideri à Lacedæmoniis nuntiatum eſt, ferre auxilium properantes, centum & decem navibus tumultariè completis, in Samum navigarunt. Ibi coactis aliis, vel ſociorum, vel civitatis navibus, totâ ſimul claſſe ad hoſtem contenderunt. Habuit autem Athenienſium claſſis ſupra centum quinquaginta naves. Callicratidas verò Lacedæmoniorũ Præfectus, ubi adventare illos cognovit Etheonico Legato ad obſidionem urgendam relicto, ipſe cum centum viginti navibus obviam profectus, apud Argyruſas claſſem Athenienſium offendit. Eam cùm per noctem invadere ſtatuiſſet (neq; enim hoſtes adventum ejus cognoverant) magnis imbribus, ac terribiliſsimis fulgoribus prohibitus ab incepto deſtitit. Sub primam demùm lucem ſeſe mutuo conſpicientes, ad pugnã devenere. In ea pugna poſt longum certamen Lacedæmonii ſuperantur: Callicratidas Præfectus interiit, & ſupra naves ſeptuaginta ex claſſe Lacedæmoniorũ periere. Nec Athenienſibus incruenta fuit victoria. Nam eorum vigintiquinq; naves cum ipſis pugnatoribus fractæ, ac ſubmerſæ ſunt.

Callicratidas Lacedæmoniorũ præfectus.

Etheonicus.

Pugna Athenienſium & Lacedæmoniorum.

Athenienſium victoria.

Poſt

Poſt eam pugnam Athenienſium Præfecti, Theramene, ac Thraſybulo, cum quadraginta navibus ad colligenda ſuorum corpora, qui prælio interierant, relictis, ipſi cum reliqua claſſe Mithylenam petere perrexerunt, quò eos, qui in caſtris erant, Lacedæmonios opprimerent: ſed ventus inſurgens hæc utraq; fieri prohibuit. Itaq; in Argyruſas reverſi, trophæum ibi ſtatuerunt. Inter hæc qui in caſtris apud Mithylenam relicti erant, cognito ſuorum caſu deſertâ obſidione, ſe in tutum receperunt. Quare paulò pôſt eò profecti Athenienſes non valuerunt eos nanciſci, tamen liberatam obſidione urbem reperientes, hoſtes verò terrâ quoq; metu diſperſos, ac fugatos, proſperè ubiq; geſtâ re ingenti lætitiâ exultabant.

Theramenes, Thraſibulus.
Athenienſium Trophæum Argyruſis erigitur.

Præfectos hujus claſsis poſt tantam victoriam Athenas reverſos, quidam accuſarunt, quod corpora civium in prælio defunctorum colligere neglexiſſent. Erant verò hi præfecti ſex: Pericles, Diomedon, Lyſias, Ariſtocrates, Traſylus, Eraſinidas, qui cum ex vinculis (ſic enim lex jubebat) cauſam dicere cogerentur, ſe quidem Traſybulo, & Therameni idoneis hominibus, quorum jam uterq; Præfectus claſſis fuiſſet, negotium mandaſse dicebant, cùm ipſi ad perſequendas hoſtium reliquias Mithylenam properarent. Ad hæc probanda teſtes adduxerant gubernatores, & nautas. Per hunc ſe modum excuſantes multitudini ſuadebant uſque adeò, ut prima ſtatim concio abſolvere eos voluerit. Sed gravem, infeſtumq; adverſarium habebant Theramenem. Formidabat enim, ſi illi culpâ carere viſi eſſent, ne in ſe, ac Traſybulum crimen referretur. itaque eo annitente, in aliam concionem differre placuit. Nam tunc jam crepuſculum erat, nec manus, quas porrigere mos eſt Græcis in decernendo, ſatis diſcernebantur. Inter hæc ſupervenerunt feſta dies quæ ἀπατούρια Græci vocant: Ad ea defunctorum bello civium parentes, cognatique conveniunt. In quibus Theramenes, ejuſq; amici multos homines ſubmiſerunt nigras habentes veſtes, ac facies plagis lugubriter cōſciſſos, qui defunctos prælio (ut pote propinqui) deplorarent, & inſepultos lamentarentur. Per hunc modum invidia in reos conflata, rurſus advocata concio eſt, & cauſam dicere juſſi, qui accuſabantur, decreto conſilii recitato, ut per ſingulas tribus binæ ponerentur urnæ, abſolvendi una, altera damnandi. Si plures damnarent, quàm abſolverent, pœnam fore mortem, ac publicationem bonorum. Interceſsêre nonulli adverſus id decretum, utpote rem iniquā, & novam. Sed hi rurſus multitudinis, ac ſeditioſorum vocibus exagitati, ab incepto deſtiterunt, præter unum Socratem Sophroniſci filium, qui cùm eſſet Præfectus ſuæ tribus, & decretum improbaret, atque reprehenderet, nullo terrore de ſententia juſti, honeſtique potuit amoveri. Tandem verò fortiſsimi viri, paulò antè victores hoſtium, malignitate civium ſuorum damnati, necantur.

Pericles, Diomedon, Lyſias, Ariſtocrates, Traſylus, Eraſinidas præfecti.
Ἀπατούρια.
Theramenis aſtutia.
Socrates Sophroniſci filius.

Altero dehinc anno, Architâ Spartæ, Alexio Athenis Magiſtratum gerentib. Lyſander Dux Lacedæmoniorum Epheſi conſiſtens, Etheonicū cum his copiis, quas circum Mithylenam habuerat, ad ſe vocavit, ac cæteras naves, quæ ex prælio aufugerant, collegit, ac inſuper novas in Autandro fabricari fecit, quarum rerum gratiâ ad Cyrum, qui tunc erat Sardis, profectus, pecunias petiit. Cyrus autem regias quidē pecunias jam pridem fuiſſe conſumptas oſtendit, docens, quantas cuiq; Præfecto claſsis Lacedæmoniorū tradidiſſet, ſed tamē Lyſandro ſe dare velle. Suſceptis igitur pecuniis Lyſander claſſem inſtruxit, & nautis, militibuſq; ſtipendiū ſolvit. Athenienſes quoq; per hoc ipſum tēpus claſſem apud Samū paraverant. Præerāt autē claſsi Conō, & Adymanthus, & Philocles. Inter hæc Perſarū Rex adverſâ valetudine laborās, Cyrum filium ad ſe vocavit in Medos. Qui cùm abire ſtatuiſſet, accerſito ad ſe Lyſandro, beneficiis, quæ in Lacedæmonios cōtuliſſet, memoratis, hortatus eſt ad res præclarè gerendas, curamq; belli, & reditus pecuniarum omniū per Joniā, & Lydiam, & Cariam illi reliquit. Lyſander igitur poſt Cyri receſſum, ſtipendio iterum militib. perſoluto in Ceramicū ſinum navigavit. Ibi Cedrias urbem Athenienſium ſociam, atq; amicā, expugnare aggreſſus, cum eam vi cepiſſet, diripiendam militib. cōceſſit. Inde Rhodum petiit. Athenienſes quoq; ex Samo profecti, Aſiæ oram pluribus locis hoſtiliter invaſerunt. Circa Chium, & Epheſum navigantes, & ad pugnam navalem ſe præparantes, ad priorum præfectorum numerum tres inſuper Præfectos adjunxerunt, Menandrum, Tydeum, & Cephiſodotum.

Architas. Alexius. Lyſander Dux Lacedæmoniorum. Cyrus Perſa. Conon. Adymanthus. Philocles. Cedria oppugnatur. Menander. Tydeus. Cephiſodotus.

Inter hæc Lyſander ab Rhodo profectus, juxta Joniæ littus in Helleſpontū navigavit. Athenienſes verò ex Chio vitantes Aſiæ oram, quæ ſibi inimica erat, obliquis itinerib. Helleſpontū petiere. Lyſander Abydum prius, inde Lampſacū venit.

Lampſaci oppugnatio.

Erant enim Lampſaceni Athenienſium ſocii, atq; amici. Quamobrem claſſe quidē mari, Abydenis autem terrâ Lampſacum aggreſſis expugnatam demùm urbem Lyſander cepit, ac militibus diripiendam conceſſit. Erat enim divitiis referta, & omnibus rebus admodum copioſa, libera tamen corpora Lyſander inviolata eſſe juſsit. Athenienſes iter hoſtium conſecuti in Cheronneſum venerunt, claſsē habentes navium centumoctoginta. In eo cùm eſſent loco, captum ab hoſtibus Lampſacum audiverunt. Quare properantes Seſtum primò, inde ad Cupræ flumina navigarunt. Is locus eſt in conſpectu Lampſaci ex oppoſito protinùs littore.

Maris autem latitudo eſt in his locis ſtadia circiter quindecim. Cum ergo propinquæ eſſent claſſes, Lyſander alterâ mox die primâ luce corpora curare, ac naves cōſcendere milites jubet, cumq; omnia quaſi pugnaturus paraſſet, contra ſpem omniū intra portus munimenta naves cōtinuit. Athenienſes verò prope Lampſacū profecti magno pugnandi ardore contra portū ipſum aciē ſtruxerunt, nullā facturi morā, quin prælio decerneretur. Sed cùm Lyſander a pugna ſuos contineret, ac magna pars diei jam præteriiſſet, abeuntes retrò ad Cupræ flumina redierunt. Lyſander velociſsimis navib. poſt Athenienſes miſſis, quid agerent in eorum reditu ſpeculari juſsit, & ad ſe referre. Ipſe verò ut erat ſtructus, paratuſq; earum reditum expectavit, nec quenquam prius è navibus deſcendere paſſus eſt, quàm illæ reverſæ, quid agerent hoſtes, renunciaſſent. Hoc eodē modo fecit quatuor diebus continuis, cùm & manè cōpletis navib. ſe pugnaturū, ſimularet, & Athenienſes cōtra portū ipſum ſtructâ claſse pugnaturi adeſsēt, & Lyſandro pugnā detractante, demū reverterētur.

Alcibiades. Erat tunc Alcibiades in Cheronneſo, qui paulò ante id tempus ab exilio domum revocatus, ac Dux copiarum factus, cum magnas res terrâ, mariq; geſſiſſet, iterum contracta adverſus Populū offenſa in opido ſuo in Cheronneſo degebat. Is ergo cùm è mœnib. intueretur Athenienſes quidē non ad urbem aliquā, ſed nudo in littore ſtationem habere, commeatumque ab Seſto petere, quod aberat ab ſtatione navium duob. ferè paſsuum millib⁹, hoſtes verò in portu, & ad urbem cuncta opportuna habentem cōſiſtere, veniens ad Præfectos claſsis periculum oſtendit, hortatusque eſt, ut ex Cupræ fluviis Seſtum abirent. Habebitis, inquit, ibi portū, & urbem, in quo conſiſtentes loco pugnabitis veſtro, non hoſtium nutu. Præfecti autē, ac maximè Tydeus, & Menander abire Alcibiadē juſserunt, nunc enim ſe Præfectos, ac Duces eſſe, non illum, itaq; bellū ſuo, non illius arbitratu gerere velle. Alcibiades ergo his

Lyſandri victoria. dictis abivit. Lyſander verò cùm quintâ jam die idem feciſset, ac poſt expectationē pugnæ Athenienſes abirent, juſsit ſpeculatoriis navib. quæ de more illos ſequebantur, ut cùm deſcendiſse Athenienſes, ac diſperſos per littus viderent, è medio curſu de malo navis clypeum ſuſpenderent. Id enim fore ſignum ad rem gerendā. Athenienſes multo magis per ſingulos dies, quia detractabatur pugna, hoſtem contemnentes, ſtatim ut de navibus deſcenderunt, per Cheronneſum ſparguntur, alii ad cōmeatum petendū ex Seſto, alii ad alias res peragendas. Tum ſpeculatoriæ naves, ut præceptum fuerat, revertuntur: cumq; in medio eſſent freto, clypeum extollunt. Lyſander verò cōſpecto ſigno celeriter cum tota claſſe delatus, naves Athenienſiū alias omnino vacuas, alias ſemiplenas in ipſo littore nactus oppreſſit. Interea quoq; magnam partem hominum cepit, præterquàm ſi qui eorum in proxima opida refugerunt. Ita victoriam maximam, pleniſsimamque adeptus eſt. Capti ſunt etiā ex Præfectis Athenienſium Philocles & Adymantus. Nam Conon cum octo navibus

Conon ex tumultu aufugit. ex illo tumultu aufugit. Captivos omnes, & claſſem Lyſander Lampſacum duxit.

Poſt hæc ſocios in conſilium vocatis, quid agendum foret de captivis conſultatum, àſpereque in Athenienſes dictæ ſententiæ, eorumque ſævitia plurimum accuſata, quòd ſuperbè, crudeliterque in eos, quos ipſi ceperant, Græcos egiſsent, & quòd publico ſtatuiſsent decreto, ſi vincerent, dexteram ſingulorum captivorum manum incidere, & quòd paulò antè duabus triremib⁹, quarum altera Corinthiorū, altera Andriorum fuerat, captis, viros omnes præcipites dejecerant, ac ſubmerſerāt. Philocles fuerat hujus ſævitiæ autor. Objecta ſunt Athenienſibus & alia permulta: tandemq; cenſuerunt ſocii, cunctos Athenienſes captivos eſſe necandos, præter Adymantum, quem conſtabat nuper in concione decreto illi de incidendis captivorum manibus contradixiſse. Lyſander igitur Philoclem ad ſe perductum interro-

Philoclis mors. gavit, quid pati dignus foret is, qui Græcorum in corpora ſæviendi initium dediſſet, ipſumq; primum in ſuo cōſpectu mactari juſsit. Triremis una tantæ cladis nuntia continuato navigandi curſu tandem Athenas pervenit. Erat nox, cum portum in

greſſa eſt. Statimq; vociferatio, & gemitus ex Piræco per longa mœnia in urbem delatus, cuncta terrore, deſperationeq; replevit, nec eorũ modò, qui in claſſe perierãt, ſed multo magis ſe ipſos deplorabãt, illa formidãtes expectãteſq;, quæ ipſi crudeliter in multas Græcorum civitates effeciſſent. Et ea quidem nox inſomnis peracta eſt. Poſtridie verò concione habitâ, portus omnes, uno duntaxat relicto, obſtruere decreverunt: Præterea urbis mœnia curare, & cuſtodes imponere, & cuncta alia parare, ad obſidionem perferendam. Et Athenis quidem hæc agebantur.

Lyſander verò expeditis apud Lampſacum rebus, Bizantium, & Chalcidoniam navigavit. Utraq; civitas illum ſpontè recepit. Dimiſſis incolumibus Atheuienſium præſidiis. Muhylena deinde, cunctæq; urbes, & inſulæ ab Athenienſibus defecere, partim dimiſſis præſidiis Athenienſium, partim in Lyſandri manus illis traditis, præter Samum, quæ in tanto terrore perſeveravit in partibus, ac nobilitate omni, quia cùm Lacedæmoniis ſentire videbatur, oppreſſa adverſſatricem ſe Lyſandro pertinaciſſimè obtulit, Lyſander igitur ab Helleſponto cum ducentis navibus profectus, Athenas petere cõtendit. Cùm verò in propinquo jã eſſet, captivos omnes dimiſit, ita ut nuſq̃ aliò, quàm Athenas abirẽt, cogitãs, quòd quãtò major fuerit multitudo obſeſſa, tanto celeriùs fame laborabunt. Ipſe ergo cum tota claſſe ſociis navalibus cõtra Piræcũ ſtetit: ex alia verò parte Agis Lacedæmoniorum Rex cũ terreſtribus copiis in Academia poſuit caſtra. Ita ſimul terrâ, mariq; obſeſſa urbs, ab hoſtibus premebatur. Athenieſes igitur in his difficultatib⁹ cõſtituti, quò ſe verterẽt neſciebãt. Neq; enim naves habebãt, quib⁹ adverſus tantam vim niti poſſent, neq; ſocius quiſq̃ eis remãſerat. Prærerea defectus frumẽti aderat, nec importãdi ulla facultas, veniæq; deſperatio ingens propter multa, quæ ipſi prius cõtra homines parvarũ civitatũ ſuperbè, crudeliterq; effecerãt, nõ alia de cauſa, q̃ quòd cũ Lacedæmoniis in bello ſẽſiſſẽt. In has itaq; formidines cõſtituti obſidionẽ tolerabant. Quin etiã decreto publico vetuerãt loq; licere de pace, aut de cõventionibus ullis cũ hoſte, niſi ſalvâ libertate Athenieſis Populi, & incolumibus civitatis mœnib⁹. Nã fama erat cõſtituiſſe Lacedæmonios mœnia Athenarũ diruere. Poſt aliquot mẽſes, cùm extrema jã fames adeſſet, multiq; perirent ob frumenti defectũ, victa demũ pertinacia, oratores de pace ad Agim Lacedæmoniorũ Regẽ miſerũt, petẽtes uti mœnia urbis Piræcũq; retinẽtib⁹ in ſocietatẽ Lacedæmoniorũ venire liceret. Agis [illegible]ò negãs hujus rei poteſtatẽ habere ſe, Lacedæmona ire juſſit. Ea cùm Legati domũ renũriaſſẽt, Lacedæmona miſſi ſunt. Cũq; Selaſiã perveniſſent, q eſt proximus Laconicæ locus, interrogati, qualia petituri, venirẽt, cũ talia eſſe dicerẽt, qualia penes Agim prius dixerãt, reverti eos domum Ephori juſſerunt, & ſi pace indigerẽt, cõſideratiùs venirẽt. Legati igitur domũ reverſi cũ iſta retuliſſent, ceciderunt cunctorũ animi, extremã cladẽ ſibi, urbiq; adeſſe formidãtes. Necabat verò multos quotidie fames: Contra decretũ autẽ nemo cõſulere audebat.

Mithylena ab Athenienſibus defectio.

Lyſandri conſiliũ.

Piræeum promontorium.

Agis Lacedæmoniorum Rex.

Athenæ obſidentur.

Athenienſes oratores de pace ad Lacedæmonios mittũt.

Selaſia.

Fames necat multos.

Profectus erat jam pridem Theramenes ad Lyſandrum pollicitus in cõcione, ſi eò mitteretur, faciliter deprehẽdere, poſſe utrum delere urbẽ vellent Lacedæmonii, an gratiâ fidei, ac ſecuritatis mœnia dirui poſtularent. Miſſus igitur iſta de cauſa Theramenes, aſtuto conſilio morâ longius protractâ tempus expectabat, quo aures Populi Athenienſis ad audiendum ſaniora conſilia placatiores eſſent. Id verò fore arbitrabatur, cũ acriùs fame premerentur. Cũ ergo id tempus veniſſet, rediẽs tunc in urbẽ Theramenes, in concione inquit, detentũ ſe diutiùs à Lyſandro, tandẽ verò reſpõſũ accepiſſe, ſi quid velit, Lacedæmonẽ ad Ephoros iret. Nã eorũ, quæ petita eſſẽt, ſe poteſtatẽ nõ habere. Per hunc modũ Legati decẽ à Populo delecti, rurſus Lacedæmona mittuntur: quorũ unus Theramenes fuit. Hi cùm Selaſiã veniſſent, interrogati, quid afferrẽt? cũ plena poteſtate ad pacẽ petẽdã ſe venire dixerũt. Ita Lacedæmona introire juſſi, cum eadem illa expoſuiſſent, conſilio ſociorum advocato, quid agendum foret à Lacedæmoniis conſultabatur. In ea conſultatione Corinthii, & Thebani maximè, & alii quidam ſociorum, omnes conditiones repudiandas, penituſq; delendas Athenas cenſebant. Si enim ſtare civitas illa ſineretur, quãvis nunc afflicta videatur, atq; dejecta, tamen ſitus bonitate futurũ, ut iteratò in potentiã formidabilẽ ſibi, periculoſãq; evadat. Cõmemorabatur inſuper Athenienſiũ ſuperbia, atq; ſævitia, quã per ſuperioris tẽporis potentiã contra minores civitates edidiſſent; Quibus de cauſis delendam penitùs eam civitatem ſuadebant. Atqui Lacedæmonii nequaq̃ ſe paſſuros dixerunt, ut civitas, quæ dudũ tantas utilitates in maximis Græciæ periculis attuliſſet, deleretur. Atque ita pax Athenienſibus data his conditionibus: ut longa

Legati decem Lacedæmona mittuntur.

Corinthii & Thebani Athenas delendas cenſent.

Athenienſibus pax datur.

mœnia, quæ ab urbe ad portum quaſi brachia quædam extendebantur, diruerentur, atq; naves, præterquã duodecim, quas retinere liceret, omnes Lacedæmoniis traderentur, exules omnes reciperẽt, eosdẽ amicos, hosteſq;, quos Lacedæmonii, putarent, ſeq; Athenienſes terrâ, marique quocunque Lacedæmoniis placeret ducere.

Theramenes, ac cæteri Legati hæc reportantes, cùm Athenas rediiſſent, cõfeſtim multitudo Populi in eos circunſtitit ſollicita, atq; timens, ne re infectâ reverſi forent. Neq; enim ampliùs tolerare licebat ob multitudinem eorum, qui fame necabantur. Poſtridie verò concione advocatâ Theramenes verba fecit. Erat enim orator, & facundiâ eminebat. Qui cum oſtendiſſet quibus conditionibus Lacedæmonii pacem darent, exhortationem ſuper addidit, ſuadens ut pacem, qualis daretur, reciperent, ac mœnia potiùs, ſervato ab interitu Populo, dirui ſinerent, quàm Populum ſimul, ac mœnia eodem caſu interire paterentur: Satis diu etiam ſupra fidem, expectationemq; hominum difficultates omnes toleraſſe: Satis ſactum eſſe dignitati Atheniensis Populi: nunc jam de conſervatione cogitandum, ac miſerendum civium, qui fame interirent. Contradicentibus autem quibuſdam civium, ſed multo pluribus approbantibus, pax tandem judicio Populi recepta eſt.

Pax inter Lacedemones & Athenienſes.

Triginta viri Thebarum gubernatores deliguntur.

Critias & Theramenes.

Poſt hæc Lyſander in Piræeum venit, exuleſq; reduxit, & longa mœnia celeri opere diruta ſunt. Forma quoq; Reipub. gubernãdæ mutata, delectis triginta viris ad leges cõſcribẽdas, quib⁹ in poſterũ civitas uteretur. Hi fuerũt omnes ex eo numero, q Lacedæmoniorũ amici putabãtur, præcipui verò inter hos Critias & Theramenes.

His peractis Lyſander mari cum claſſe, Agis verò terrâ cum exercitu, abierunt, finiſq; fuit ejus anni, in quo Dionyſius Hermocratis filius tyrannidem Syracuſis primùm obtinuit, victis magno prælio Carthaginenſibus, & Agrigento urbe obſeſſâ, ob defectumq; frumenti ad extremum captâ.

Dionyſius Hermocratis filius, primus Syracuſanorum Tyrãnus.

Crocinas Theſſalus.

Evodius.

Pythodorus.

Ἀναρχία.

Sequitur alter annus, in quo vicit olympia Crocinas Theſſalus: Evodio Spartæ, Pythodoro Athenis Magiſtratum gerentibus. Hunc annum Athenienſes vocant ἀναρχίαν; id eſt, ut nos Romano more loquentes diceremus, interregnum. Neq; enim ut Magiſtratum nominare voluerunt, quoniam à triginta illis viris pernicioſis fuerat conſtitutus, de quorum geſtis paulò poſt à nobis dicetur.

Lyſander cum è Piræeo navigaſſet, rectà Samum petiit. Ea namq; urbs ſola reſtabat, quæ diverſas partes ſectaretur, & poſt victos Athenienſes pulsâ, cæsâq; nobilitate, quòd ad Lacedæmonios inclinare videbatur, contumaciùs, in feſtiùſq; perſeverabat in partibus. Ad eos ergo domitandos Lyſander profectus, urbem obſedit, ac demũ oppugnando urgẽdoq; eò neceſſitatis adduxit, ut deditâ urbe cũ ſingulis veſtimentis abire paciſcerentur. Lyſander urbem, & cuncta in ea relicta ei parti civium, qui prius fuerant pulſi, tradidit. Demum jam confecto planè bello, ſocios navales dimiſit. Ipſe verò cum Laconicis duntaxat navibus Lacedæmona petere contendit, exceptus ſummo gaudio, utpote apud quẽ belli cõfecti gloria nõ ambiguè foret. Retulit in publicũ argenti quadringenta ſeptuaginta talenta ex cõſignatione, quæ ſibi ſupererant. Retulit & captarum navium roſtra, & naves omnes Athenienſium ex pactione ſibi deditas. Coronarum inſuper aurearum magnum numerum, quibus fuerat donatus. Atque ita finis Peloponneſiaco bello impoſitus eſt vigeſimo octavo anno, & ſexto menſe, poſtquam cœptum fuerat.

Samum obſidetur.

Finis Peloponneſiaco bello imponitur.

Athenis verò triginta viri ad Rempub. inſtituendam electi, cùm ab initio magnã de ſe, legibuſq; ſuis expectationẽ dediſſent, procraſtinando, ac differẽdo rẽ in longũ protrahebant. Ipſi verò planè dominantes, pro arbitrio gubernabant, ac primò ſeditioſum quenq;, atq; improbũ, qui dudum in populari licentia calumnias adverſum bonos exercuerant, mactare cœperunt, non modò non repugnante, verùm etiam plaudente civitate. Deinde cum jam improbi deeſſent, contra bonos, innocenteſq; manus vertere, ac omnino id moliri, ut civitatem in ſua retinerent poteſtate. Cujus rei gratiâ duo ex ipſis triginta viris Aeſchynes, & Ariſtoteles Lacedæmona miſſi, Lyſandro ſuaſerunt, ut ſibi adjutor eſſet, quò Præfectum aliquem cum præſidio militum Lacedæmonii Athenas mitterent, qui urbi præeſſet, quoad ipſi pernicioſis hominibus, ac diverſa ſentientibus, civitatẽ purgarent, ac Rempub. in formam probabilem conſtituerent. Stipendium verò his, qui mitterentur, Præfecto, militibuſq; daturos ſe polliciti ſunt. Lyſandro igitur adjutore impetrarunt, ut Calivius Spartiata præſidium habens militum Athenas mitteretur. Cùm id præſidium ſuſcepiſſent, majora jam audentes, arma civibus ademerunt, præterquã iis, qui

Ariſtoteles, Aeſchines.

Calivius.

ſuæ

ſuæ, factionis erant. Hi autem in catalogo deſcripti ad tria hominum millia fuere. Quibus peractis jam ſecuri, ac neminem protinus formidantes, nullum poſthac modum habuerunt in civibus necandis, aut pellendis, quos vel privatum alicujus odium, vel rapinarum ſpes tollendos è medio ſuaderent.

Nullus modus in civibus necandis.

Hanc tandem improbitatem primus omnium Theramenes improbare auſus eſt, nam cæteri metu ſilere cogebãtur. Theramenes verò, quod erat ex triginta viris, collegas monere, obteſtariq; primus cœpit, ut ab hac improba gubernatione deſiſterent. Deniq; redarguens ſingula, atq; carpens, moleſtus tandem eſſe cœpit, & quaſi non eadem ſentiret, ſuſpitionem contraxit. Itaq; collegæ primò alius alibi conqueri, & calumnias jacere, ac uti caverent hominem diverſa ſentientem, monere. Ad extremum vocato ſuorum conſilio, ac datâ operâ, ut adoleſcentes audaciſſimi cum gladiis adeſſent, cum Theramenes vocatus in conſilium veniſſet, aſſurgens Critias in hunc modum locutus eſt: Si cui veſtrûm, ô viri! qui in conſilio adeſtis, forſan videtur plures civium per hoc tempus interiſſe, quàm oporteat, illud ſecum reputet, quia ubicunque ſtatus civitatis mutatur, hæc eadem, quæ nunc apud nos fiunt, conſueverunt & alibi neceſſariò fieri. Plurimos verò hoſtes habere rationabile eſt, qui ſtatum civitatis ex gubernatione multitudinis ad paucos traducunt; cumque ſit civitas noſtra populoſiſſima Græcarum omnium civitatum, & longiſſimo tempore libertati aſſueta, neceſſe eſt plura hujusmodi in ea contingere. Nos verò intelligentes quàm inimicum ſit rationibus veſtris, ſi popularis ſtatus in hac urbe reviviſcat, intelligentes etiam quia Lacedæmoniis ſervatoribus noſtris Populus quidem nunquam foret amicus, præſtantes autem viri ſemper in eorum fide, amicitiaq; perſiſtent, ex illorum ſententia hanc conſtituimus Reipub. formam. Et ſi quem ſcimus huic conſtitutioni adverſantem, eum, tanquam impedimentum ſalutis noſtræ, de medio tollere compellimur. Multò tamen maximè nobis juſtum videtur, ſi quis ex noſtro corpore hanc ipſam gubernandi formam à nobis conſtitutam delere pergat, eum pœnas dare debere. Compertum verò habemus Theramenem hunc, quibuscunq; poteſt modis, nos ſimul, ac vos evertere conari. Quòd autem vera dicam conſiderantibus ejus opera manifeſtiſſimè apparebit. Conſtat enim neque improbari ab ullo magis præſentem Reipub. ſtatum, quàm ab ipſo Theramene neque magis adverſari nobis, quoties aliquem ex adverſariis tollere de medio, ac removere properamus. Si ergo ab initio hæc eadem ſentiebat, hoſtis quidem jam tunc fuit ſtatus noſtri non tamen improbus appellari verò potuiſſet. Nunc autem cum ipſe Princeps fuerit, & autor fidei amicitiæq; cum Lacedæmoniis ineundæ, cum ipſe idem Populi diſſolvendi ſuaſor, cum idem impulſor maximus noſtri ad ſupplicia civium, videns nunc tandem nos apertè Populo inimicos eſſe factos, negat ſibi placere quæ fiunt, *videlicet ut ipſe in tuto ſit, nos verò eorum, quæ facta ſunt, invidiam ſubeamus*. Quare non ut hoſtis modò, verùm etiam ut proditor noſtri, ac veſtrûm digno ſupplicio affici meretur. Atqui tãto quòd pernicioſior eſt proditor, quã hoſtis, *quanto difficilius eſt cavere ab occulta, quã ab aperta peſte, tanto infeſtior, quanto hoſtes quidẽ & pacantur, quãdoq; & fides eis habetur, proditori autẽ nec pacari quisquã vult, neq; fidẽ poſthac adhibere*. Ut autẽ videatis, quia hæc non nova ſunt in eo, ſed jã pridẽ naturâ proditor eſt, commemorabo vobis iſtius acta: Hic ab initio apud Populum honoratus, quòd erat ſibi paternũ, ut popularis haberetur, maximus impulſor fuit, ut ſtatu populari depreſſo, quadringẽti illi crearẽtur ad Rẽpub. guberãdã, fuitq; ipſe in eo numero quodamodo Princeps. Deinde cùm videret eam rem ad paucorum potentiam ex eo ipſo quadringentorum numero declinare, Dux rurſus Populo fuit ad ſtatum popularem contra quadringentorum potentiã aſſerendum. Unde Cothurni cognomentũ huic inditum fuit. Nam cothurnus utriq; pedi congruere videtur, & ab utroq; tamen diſſentit. *Oportet autem, ô Theramenes! virum, qui dignus ſit vitâ, non id meditari, quo ſocios in pericula impellat, & ſi quid contra incidat ſtatim mutari, ſed tanquam in navi laborare, quò rectâ viâ feratur*. Quòd ſi quid obſiſtat, tamen ut illuc perveniat, unà cum aliis adniti. *Sunt autem omnes Rerumpublicarum mutationes morti adnexæ*. Tu verò toties mori dignus, quoties de populari ſtatu in paucorum gubernationem, ac rurſus ex gubernatione rei paucorum ad popularem ſtatum propter inconſtantiam, & inquietudinẽ animi tui mutare civitatem ſtuduiſti. Præterea hic eſt, judices, cui cum mandatum fuiſſet à Ducibus ſuis civium corpora navali prælio defunctorum colligere, id prætermiſit, atque neglexit, moxque Duces ipſos ſuis calumniis perſecutus, fortiſſimos

Theramenes improbitatem 30. virorum improbare audet.

Critiæ oratio.

Theramenes proditor reputatur.

Theramenes Cothurnus dictus.

viros,

viros, ac paulò ante maxlmi prælii victores, condemnari à Populo, ac ultimo ſupplicio necari fecit, quò videlicet ipſe millies perire dignus, ſervaretur. *Quiſquis verò ad ſe ipſum, atq; ad commodum proprium ſui cuncta, quæ agit, referre deprenſus eſt, nec ullam curam honeſtatis, amicorumq; habere, quomodo huic parendum foret, aut quomodo ab eo non cavendum, ne, quæ dudum effecit, rurſus nunc efficere contra vos, ſtatumq; veſtrum poſſit?* Nos ergo hunc deferimus ad vos, & tanquam inſidiantem, & tanquam proditorem, idq; quàm rectè faciamus, attendite: Optimam quidem eſſe Lacedæmoniorum gubernandi formam non dubitatis.

Lacedæmoniorum gubernandi forma optima.

Quòd ſi illam aliquis Ephorûm mutare aggrediatur, & vituperare quæ aguntur, & adverſari dum fiunt, nónne putatis illum ab Ephoris ipſis collegis ſuis, & à tota civitate morte eſſe mulctandum? Et vos ergo, ſi ſapitis, non huic, ſed vobis ipſis proſpicietis. Nam hic ſi evaſerit, multis aliis faciet animos diverſa ſentientibus. Damnatus verò eorum omnium, qui ſunt intra urbem & eorum, qui pulſi ſunt ſpem amputabit. Ea cùm dixiſſet Critias conſedit.

Theramenis oratio.

Theramenes verò aſſurgens: Equidem, inquit, ô viri! qui in conſilio eſtis, ad illud reſpondebo, quod poſtremo mihi fuit loco à Critia obſectum. Dixit enim Præfectos claſſis à me circumventos ultimo ſupplicio damnari feciſſe. Ego autem nec ab initio accuſavi eos, nec principium illius cauſæ à me eſt introductum, ſed cum ab aliis accuſati præfecti, pro excuſatione ſua adducerent, mihi demandaſſe civium corpora, qui navali pugnâ interierant, colligere, & à me vis tempeſtatis, per quam non colligere modò illa, ſed ne navigare quidē potuiſſe adduceretur, viſus ſum Athenienſibus rectè dicere, & illud imputare illis, qui fatentes corpora defunctorum prælio civium colligi poſſe, ad alia loca navigaſſent. Nec tamen admiror Critiam iſta neſcire. Nam cum hæc Athenis facta ſunt, in Theſſalia degebat apud Prometheum, popularem ſtatum conſtituens, ubi ſervos & agricolas contra dominos per tumultum, ac ſeditionem concitavit, & quæ iſte in Theſſalia effecit, Dii hinc repellant. Illud verò ipſe fateor, ſi quis ſtatum hunc mutare aggrediatur, & adverſariis faveat, eum maxima ſupplicia promereri. Sed quis ſit is, qui hæc agit, vos ex operibus ipſis judicare debetis. Ego enim quouſque vos in præſentem Reipub. ſtatum conſtitueremini, quouſque Magiſtratus, poteſtateſque nobis committerentur, quouſq; peſſimi ſine controverſia homines veſtris ſententiis ſubjicerentur, eadem ſenſi. Sed poſtquam iſti cœperunt viros optimos opprimere, ex eo incœpi diverſa ſentire.

Leuntes Salaminius.

Sciebam enim quia Leunte Salaminio interfecto, viro certè bono, & innocēte, ſimiles illius omnes in metu conſtituerentur, metuentes verò contraria ſentirent gubernationi noſtræ.

Niceratus. Antiphon.

Cognoſcebā quia Nicerato homine locupletiſſimo, qui nec ipſe, neq; ſui cū Populo unquā ſenſerant, oppreſſo, pares, ac ſimiles illius vobis inimici fierēt. Antiphonte quoq; à vobis interfecto, qui duas triremes ad bellū cōferebat, ſciebā omnes q ejus gradus forent, in maximas ſuſpitiones inciſuros. Cōtradixi & cū homines novi ſingulis ſinguli opprimēdi traditi ſunt, ſciens p hujuſmodi oppreſſionē cuctos incolas nobis inimicos fore. Cōtradixi & cū arma populo ademiſtis, nō exiſtimans oportere, ut civitas inermis, imbecillaq; efficeretur. Neq; enim Lacedæmonios conſpexerā ea de cauſa nos ſervare voluiſſe, quò imbecilles facti, nihil eos juvare poſſem⁹. Licebat quippe illis, ſi id cēſuiſſēt, civitatē totā delere, vel modico inſuper tēpore fame perimentes, neq; conductorū militū præſidiū habere placuit, cū liceret tot ex civib⁹ noſtris nobis cōjungere, ut nihil formidare haberemus. Deniq; cū viderē permultos præſēti civitatis ſtatui infenſos, permultos civitate pulſos, nō placuit rurſus mihi, neq; Traſybulū, neq; Anytū, neq; Alcibiadē pellēdo, cū exulib⁹ eos cōjungere.

Traſybulus, Anytus, Alcibiades.

Intelligebā enim quantū robur illis acceſſurū foret, ſi multitudini exulū Duces, quaſi de induſtria, præberemus. Hæc ergo q palàm, & in apertè monuit, utrū benevolus conſervator præſentis Reipub. ſtatus, an proditor eſt exiſtimandus? *Non enim qui inimicorū numerū augeri vetāt, hi robuſtos faciunt hoſtes, ſed multò magis hi qui per injurias, & rapinas, & cædes innocentiū, numerū hoſtiū adaugent.* Quod ſi nō aliunde, hinc intelligere poteſtis. Utrū exiſtimatis Thraſybulū, & Anytū, & alios exules fieri maluiſſe? Hæcne quæ ſuadebā, an illa, quæ iſti fecerūt, & faciunt? Equidē puto nihil magis eos optare, quàm quotidie ſocios, adjutoreſq; ſibi cōjungi. Quod ſi cives nobis retinere ſtuduiſſemus, deſperationē reditus ſibi propoſitam exiſtimarēt. Quæ verò de inconſtantia mea dixit Critias, ad ea qnæſo l dum reſpondebo, attendite: Quadringentorū poteſtatē Populus ipſe decrevit, cùm pacē jam optaret, ac ſibi ſuaſū eſſet, Lacedæmonios omni magis gubernationi, quàm populari cōfidere, tū cū illi nihilo magis ob eā

movetentu

Digitized by Google

moverentur, & Ariſtoteles, Melanthusq́;, & Ariſtarchus hoſtes recipere pro civium oppreſſione ſtatuiſſent. Si ergo illa ſentiens prohibui, id eſt, quæſo! proditorem eſſe? Appellat me cothurnum, quaſi ambobus ſimul congruere ſtudentem, ſed qui neutris congruit, hunc quē, per Deum! appellare debemus? Tu Critia in populari quidē ſtatu inimiciſſimus Populi repertus es, in optimatum rurſus gubernatione omniū optimorum civium manifeſtiſſimus hoſtis. Equidem ſemper illis adverſatus ſum, qui non putant civitatem populariter regi, niſi tunc demum, cùm tenues, & egeni, & omnis fex civitatis ad gubernationem Reipub. recepti ſint. At rurſus illis adverſor, qui non putant Rempub. prius ſub paucorum gubernatione eſſe, quàm ipſi illi, qui gubernant, tyrannidem exerceant. Eos certè, qui equitatu, & armaturâ, & pecuniis adjuvare Rempub. poſſunt, ſemper equidem optimos, aptiſſimosq́; putavi ad civitatis gubernationem, ac ſine ulla mutatione in ea ſententia perſevero. Quod ſi oſtendere potes, ô Critia! me ullo unquam tempore, aut cum popularium levitate, aut cum tyrānorum malignitate cōcurriſſe, ad optimos cives à Repub. dejiciendos, oſtende. Si enim reperiar aut nunc iſta faciens, aut in præterito feciſſe, non recuſo quin omni ſupplicio affectus interеam. Theramenes cum hæc dixiſſet, finem fecit.

Ariſtoteles, Melāthus, Ariſtarchus

Conſilium autem favere Therameni viſum eſt. Murmur certè poſt ejus orationem, quaſi probantis, emiſit. Quod cùm intueretur Critias, exiſtimaretq́;, ſi conſilii ſententiis experiretur, illum haud dubiè evaſurum, nec ſibi vivendum putaret, ſi hoc accidiſſet, contineri parumper juſſit, & ad collegas ingreſſus, cum illisq́; locutus, tandem egreſſus, adoleſcentes cum gladiis ſecum habuit. Quibus circa conſilium, quaſi in ſtationibus collocatis, ipſe rurſus verba fecit: Equidem, inquit, præſidentis boni opus eſſe exiſtimo, non permittere, ut decipiantur amici, quod nunc faciam. Scitote igitur, quia neq́; collegæ mei, nec ipſe, ut Theramenes evadat, paſſuri ſumus. Eſt autem in novis legibus proviſum, qui in catalogo trium millium ſint deſcripti, eorū neminem abſq́; judicio veſtro necari licere. Ex aliis verò licere triginta viris, quem velint, occidere. Nos verò, inquit, triginta viri conſentientes omnes Theramenem ex catalogo trium millium delevimus, atq́; eum morte damnavimus. Hæc audiens Theramenes, proſiliens, ſtatim ad aram Deorum, quæ in conſilio erat, confugit, atque aram tenens, Ego inquit, ô cives! in tutelam Deorum, quòd eſt legitimum nobis, & conſuetum, ſupplex confugio, providere monens, ne ſit in poteſtate Critiæ, nec me, nec quenquā alium veſtrûm ex catalogo delere, ſed quā legem iſti ipſi ſcripſere, de hoc ipſo, obſervent. Quamquam ne illud quidem ignoro, quia nec ara iſta, quam teneo, mihi ſat erit præſidiū, ſed palàm fieri volo, eos non ſolùm erga homines injuſtiſſimos, verū etiā erga Deos impiiſſimos eſſe. Illud tamē, ô cives! admiror, ſi nō vobis ipſis jā auxiliū paratis, ſcientes nō meū magis, quàm uniuscujusq́; veſtrū deleri nomen ex catalogo poſſe. In hunc ea dicentem miſſi ſatellites, ab ara ipſa per vim detraxere, ducente Satyro ſatellitum Principe homine peſſimo, atque impudentiſſimo. Eorum verò, qui in conſilio erant, maxima pars hæc improbabat, ſed quid agerent, cum inter ſubſellia verſarentur armati; & formidaret quisq́; ſibi, ne eadem pateretur? Per hunc modum Theramenes ab ara detractus, undecim viris ad ſupplicium traditur. Ille verò Deos, hominesq́; teſtatus magnâ vociferatione per carcerem trahebatur. Quo in loco facetum etiam quiddam ferunt ab eo dictū. Nam minante Satyro malum ſibi fore, niſi ſileret. Quòd, inquit, ſi tacuero, non erit mihi malum? In carcere quoq́; cum venenum potaret, reliquum ex calice quatiens, illud ſe Critiæ propinare inquit. Nec magnifacio hujusmodi dicta, ſed illud exiſtimatione dignum puto, quòd propinquâ imminente morte, nec mente concidit, nec remiſit jocandi conſuetudinem. Theramenes igitur per hunc modum interiit.

Concilium Therameni favet.

Theramenes ad aram Deorum confugit.

Theramenes ſupplicio traditur.

Theramenis facetum dictum.

Theramenes veneno interiit.

Triginta autem viri quaſi jam planè dominantes, cuncta pro libidine exequebantur, metuq́; conterriti cives, urbē ſponte relinquebant. Per agrum quoq́; multi civium, cum eò ſeceſſiſſent, capti, & in urbem reducti, necabantur. Itaq́; tandem fugâ longiùs arreptâ, alii Megaram, alii Thebas migravere.

Hæc animos fecerunt exulibus contra ſtatum civitatis inſurgendi. Itaq́; Traſybulus cum ſeptuaginta exulibus à Thebis movens caſtellum ſatis munitum, nomine Phylam occupavit. Ad recuperandum triginta viri cum ſuæ factionis hominibus properantes, cū expugnare locū aggrederentur, multis acceptis vulneribus repellūtur. Obſidere verò arctiùs volentes, continuæ nives prohibuerunt. Ex hoc jam concurſus eſt ad Thraſybulum factus, ut eſſent intra paucos dies exulum circiter ſeptingenti. Triginta viri, & ſuæ factionis homines ne diſcurſiones per agrum ab

Athenienſium exulum bellum.

Phyla caſtellum occupatur.

Digitized by Google

exulibus fierent, partem equitum, ac peditum ſuorum in præſidio regionis collocarunt. Delecto loco inter urbem, & Phylam, quò diſcurrere per Atticam, & abigere prædas exules prohiberentur. Ad hos ergò Traſybulus per noctem ducens, ſub primam lucem improviſò eos invaſit, interfecitq; eorum circiter centum viginti. Cæteri verò deſerto loco, commeatu, impedimentisq; relictis, nonnulli etiã amiſſis armis, trepidi in urbem ſe receperunt. Ex hòc Thraſybulus Piræeum acceſſit, aucto

Exules Piræeum ingrediuntur.

ſuorum numero, ut jam mille exulũ eſſent. Cum ergò in Piræeum veniſſent exules, triginta viri eò promptiſſimè auxiliũ tulerunt, cũ equitibus urbanis, ac ſuæ factionis peditibus, & cũ præſidio militũ Lacedæmoniorum. Thraſybulus verò ſtructâ acie, orationeq; ad ſuos habitâ, cùm aut glorioſam victoriã, aut glorioſã mortem propoſitã illis oſtendiſſet, tandem conflixit, licet cũ paucis adverſus multos. Sed juvabarut naturâ loci, quod unâ duntaxat viâ, & à fronte tantummodò pugna erat committenda.

Exulum victoria. Critiæ mors. Hippomachus. Charmidis mors.

Itaq; cum vehementer aliquandiu pugnatum eſſet, tandem majori vi enixi exules ſuperarunt: interfectiq; in eo prælio ſunt duo ex triginta viris, Critias ſcilicet, & Hippomachus, aliorumq; civium circiter ſeptuaginta, inter quos fuit Charmides Glauconis filius. Horum arma quidem exules ſumpſerunt, veſtes autem vel aliud quicquam eorum noluerunt attingere. Meminerant enim, etſi inimicos: tamen eos cives, non hoſtes eſſe. Quamobrem præter belli inſtrumenta, nihil eorum auferre ſuſtinuerunt. Trophæum tamen in eo loco, in quo primum illos verterant, ſtatuerunt, quaſi monimentum perpetuum virtutis ſuæ. Cum verò induciis de

Exulis cuiusdam oratio.

more factis defunctorum corpora ad ſepulturam conceſſiſſent, ac veniſſent propinqui, & agnati ad corpora deportanda, unus è numero exulum, vir magnæ vocis, magnæque audaciæ ſic eis locutus eſt.

Viri Athenienſes, pro certiſſimo habitote, quoſdam ex his, quorum corpora deportaturi veniſtis, non minori gemitu à nobis deplorari, quàm à vobis ipſis. Sunt enim in cœtu noſtro & cognati, & affines, & amici, & familiares multorum. Hi ergo, ut cæteros omittã, pariter cũ ꝓpinquis magno dolore ꝓ illorũ interitu afficiũtur. Ex quo calamitoſior noſtra cõditio redditur, quòd neq; victores neq; victi gemitu carere poſſimus. Sed quæ calamitas eſt hæc noſtræ civitatis? quis furor civiũ? quæ amẽtia? Nos enim domũ redeundi juſtum, ac legitimum deſideriũ habemus: vos autem cur nos proſequimini? quid impugnatis? quid tantoperè nos odiſtis? Nónne in eadem civitate geniti? Nónne in eiſdem templis, ſacrisq; initiati. Nónne in eiſdem ſcholis & gymnaſiis eruditi? Nónne parentes noſtri unà cum veſtris parentibus pro dignitate, ac libertate, & amplitudine communis patriæ pugnarunt? Nónne nos unà vobiſcum pro patria nobis chariſſima pugnavimus? Unde igitur hæc odia ſunt exorta? cum odiorum nulla ſit cauſa, multæ charitatis. An parére in hoc vultis triginta viris? nec illud conſideratis, longè plures ab illis interfectos fuiſſe civium noſtrorum menſibus decem, quibus Rempub. tenuere, quàm decem annis in bello fuerint interfecti à manifeſtiſſimis hoſtibus noſtræ civitatis? Præfectus equitum, qui unà erat, cum his, qui ad tollenda corpora venerant, hos ſermones interrupit. Sed nihilominus relati in urbem ſunt ab his, qui audierant.

Poſt hoc prælium reverſi domum, qui cum triginta viris exierant, valde ſegniores facti ſunt ad reſiſtendum, ac liberæ jam voces jactabantur, non eſſe triginta viris permittendum, ut civitatem per hunc modum evertant. In catalogo verò deſcriptorum civium variæ quidem erant voluntates. Quicunque enim illorum, aut cædibus, aut rapinis, aut perſecutione cæterorum civium ſe oneraverant, mutationem rerum formidantes, pertinaciter defendendam urbem adverſus eos, qui erant in Piræeo, prædicabant. Quicunque verò mediocritatem quandam ſecuti, nullas aliis civibus intulerant clades, ii & ipſi ſtatuebant ſecum, & alios cohortabantur has patriæ calamitates nequaquam eſſe tolerandas, nec parendum triginta viris, nec eis permittendum, ut everſores ſint civitatis. Triginta

Eleuſina. Tribuni decem creantur.

ergo viri hæc formidantes, relictâ urbe in caſtellum Eleuſina ſeſe trepidi receperunt, illiſque abrogatum imperium eſt, atque in eorum locum ſinguli ex ſingulis tribubus creati. Fuerunt ergo hi tribuni decem. Siquidem Athenis tribus erant decem, in quas tota civitas dividebatur. Hi ergo tribuni ſimul ac fuerunt creati, valde timidi, diffidenteſque videbantur, adeò ut quiſque ſuæ tribus equites per noctem in publico ſecum haberet, ac mœnia circuirent armati ſemper formidantes, ne improviſo invaderentur. Qui verò erant in Piræeo quotidie magis augeban-

tur

Digitized by Google

tur concurſu non modò civium, verùm etiam peregrinorum. Itaq; jam exire Piræco ac diſcurſiones per agrum facere, prædasq; abigere, & ſub mœnia ipſa urbis accedere non dubitabant. Ex urbe verò nulli penitùs exibant, præter equites ſolos. Et jam cædes quædã fieri cœptæ fuerant, cũ in urbe captivi quidã ex Piræco mactati forent. Et in Piræco vice verſâ quicũq; equitũ urbanorũ capti fuerãt, ſupplicio afficiebãtur.

Qui in urbe ſunt ab Lacedæmoniis auxilium petunt.

Inter hæc qui erant in urbe, legatione ad Lacedæmonios miſsâ ſibi ferri auxilium precabantur, oſtendentes plebem Athenienſium ſeceſſiſſe, atq; omnes, qui populares ſequantur partes, cõtra Lacedæmonios, eorumq; amicos inſurrexiſſe. Jã verò Piræcum ab his occupatum eſſe, ac niſi obvietur, majora continuò paraturos. Fautorẽ Legati habuerunt Lyſandrum, qui cum exiſtimaret eos, qui Piræcum invaſerant, faciliter expugnari poſſe, ſi mari ſimul, terraq; commeatu prohiberentur, autor fuit, ac ſuaſor, ut talenta centum mutuo traderentur iis, qui erant in urbe, ad militem conducendum. Ipſe verò Lyſander ſuſcepto negotio militẽ in Peloponneſo contraxit, & adverſus Piræcum duxit. Frater autem ejus Libis claſſi præfectus mari Piræo obſidebat, quò nihil eo deferri poſſit. Quibus difficultatibus circũventi, qui in Piræco erant nullam quaſi ſpẽ habere reliquam videbantur.

Lyſandri & fratris contra exules expeditio.

Pauſanias Lacedæmoniorum Rex.

Inter hæc Pauſanias Lacedæmoniorum Rex invidens Lyſandri gloriæ, veritusq; ne ſi illa perficiat, majorem in potentiam evadat, & Athenas omnino ſibi aſciſcat, tribus Ephororum in ſuã ſentẽtiam tractis, ſibi exercitum decerni fecit contra eos, qui erant in Piræco. Nã Lyſander non publico Lacedæmoniorum nomine, ſed quaſi ab Athenienſibus cõductus, illùc acceſſerat. Secuti ſunt & ſocii Pauſaniam Regem, præter Corinthios, & Thebanos, qui non rectè, neq; ex fide ſe facturos dixere, ſi contra Athenienſes mitterẽt, cùm illi nihil fecerint contra jus fœderis. Hæc prætexebatur cauſa, ſed reverâ graviter ferentes ſi Lacedæmonii Athenas ſibi penitùs ſubjicerent, huic profectioni adverſabantur. Pauſanias ergo Rex eò profectus, non longe à Piræco caſtra poſuit, cùm altera ex parte Lyſander eſſet, miſſisq; ad eos, qui in Piræco erant, legatis cunctos ad proprios labores abire juſſit. Cùm verò illi non parẽrent, vim, & arma oſtentare cœpit, quæ & ipſa cùm illi non expaveſcere viderentur, ſecutâ mox die cum duabus Lacedæmoniorum cohortibus, & turmis equitum Athenienſium tribus uſque ad portum, qui Surdus dicitur, progreſſus eſt.

Exulum cum Athenienſibus pugna.

Surdus Portus.

Inde ſpeculatus Piræci ſitum, ac naturam regionis, cum tandem reduceret, inſecuti è Piræco leves quidam, & expediti poſtremum ejus agmen laceſſere cœperunt. Qua indignatione permotus Rex, verſo celeriter agmine, equitatum ac levis armaturæ militem in eos miſit, ipſe verò cum reliquis ſubſecutus uſq; ad theatrum, quòd eſt juxta Piræcum, præcipites egit. Sed cum ad theatrũ ventum eſſet, reperit aciem armatorum opinione majorem, ac ſtatim in eum verſi ita preſſerunt Regem, & eos, qui ſecum venerant, ut neceſſe fuerit, citato gradu pedem referre. Et ceciderunt aliquot præclari viri ex his, qui erant cum Rege.

Pauſanias pedem referre cogitur.

Ipſe verò circa quatuor ſtadia pulſus, cum in tumulum quendam ſe recepiſſet, facto ſuorum globo, rurſus hoſtes invaſit, ac in fugam vertit, interfecitq; eorum centum quinquaginta. Rex igitur prælio victor in caſtra ſua rediit, nec ob hoc iram ſuſcepit adverſus eos qui obſidebãtur, ſed miſſis clàm nuntiis, monuit, quib⁹ verbis ad ſe oratores mitterẽt, pro rebus cõponẽdis.

Rex prælio victor in caſtra ſua redit.

Cõcitavit etiã eos, qui in urbe erãt, Athẽienſes, ut ſeditione factâ venirent ad ſe quàm maximo numero, dicentes non expedire ſibi, ut civibus, qui eſſent in Piræco, bellum inferretur, poſtulantesq; ut opera Regis ſublatis diſcordiis in urbem reducerentur, eſſentq; communiter omnes Lacedæmoniorum amici. Hæc non ſolùm Rex, verùm etiam duo Ephori, qui tunc aderant, non inviti audiverunt, factisq; inter eos induciis ſuaſerũt, ut hi, qui in Piræco erant, Legatos ſuos Lacedæmona mitterent pro concordia ineunda. Idem fecit ea pars civium, qui in urbe exiſtentes concordiam optabant.

Athenienſes concordiam optant.

Erant verò hi (ut ſuprà diximus) plurimum boni viri, & mediocritatem quandã in Repub. ſecuti, qui neq' cædibus, neq; rapinis, neq; injuriis in aliorum calamitatibus ſe oneraverant. Sed hæc pars civium privatim miſit, eadem illa dicens, & poſtulans, quæ prius apud Regem, & Ephoros poſtulaverat. Miſerunt etiam publicè, qui Rempub. gubernabant. Hi erant vel ex triginta viris, vel ex eorum ſinu, ac factione, homines partim inimici, aſſertores nobilitatis, partim ita coinquinati cædibus, rapinis, injuriis, ut ſi redirent exules, ſe incolumes fore deſperarent. Hi ergo mittentes, ſe dedere velle urbem, ac mœnia, & cætera omnia Lacedæmoniis obtulerunt. Quòd ſi amici Lacedæmoniorum eſſent, qui Piræcum tenent, idem facere debere. Non tamen hæc flexerunt Lacedæmonios à

diem cogi,ac Phœbidæ germano tradi terreſtri itinere ad Eudamidam fratrem perducendas.Cùm ergo perveniſſet in Thraciam Eudamidas,opida,& populos in fide continuit,Potideam verò jam ad Olynthios traductam,ab illorum ſocietate retraxit ac revocavit.Expectabat verò fratrem,& copias reliquas, ut majora aggrederetur. Phœbidas verò ubi convenerunt copiæ,eas accipiens terreſtri itinere duxit. In via autem,cum non procul à Thebanorum mœnibus caſtra feciſſet, rerum novarum ſemina in hunc modum concitavit.

Potidea.

Erant Thebis per id tempus factiones duæ,Principes verò earum Iſmenias,& Leontiades æmuli inter ſe,atq; diſcordes. Leontiades igitur ad Phœbidam profectus, docet ſe amicum Lacedæmoniis eſſe,Iſmeniã verò inimicum.Suadet ut ſuis copiis arcem occupare Thebanam velit.Viam,qua id fieri poſſit, oſtendit, ac ſe hujus rei Ducem,adjutoremq; pollicetur.Hac unâ re pelli adverſarios nullum eſſe negotiũ, ſe verò gubernante adverſariis oppreſſis,ad nutum Lacedæmoniorum cuncta fore ſucceſſura. Magnũ deniq; peditum numerum ſtatim ſibi contra Olynthios ſe daturum promittit.Phœbidas his pollicitationibus illectus(erat enim non tam prudẽs, quàm gloriæ cupidus)negotium ſuſcipit,juvanteq; Leontiade improviſo Thebarum arcem ſuis copiis juvadit.Inde diſcurſum per urbem eſt,& Iſmenias captus,nec multo poſt de eo ſupplicium ſumptum.Ex ea factione circiter trecentos metu conterriti in Atticam aufugerunt.Hæc ubi Lacedæmonii ſenſerunt, etſi primò vehementer ſuccenſebant Phœbidæ,quod abſq; civitatis decreto , cùm eſſet pax cum Thebanis,tantam rem attentaſſet,tamen,quia confecta res erat, & Thebæ in poteſtatem eorum devenerant,æquo animo pertulerunt. Ex hoc jã Thebæ ſub Lacedæmoniis erant. Leontiades autem,& ſui ad nutum Lacedæmoniorum gubernantes, magna illis auxilia ad bellum Olynthiacum præbuere,& bellum Olynthiacũ finem habuit optatum.Nam poſt varias belli vices,tandẽ ſuperati Olynthii,mittere Lacedæmona legatos,ac pacẽ expoſcere coacti,Lacedæmoniorum principatũ recognovere. Ageſilaus quoq; per media hæc tempora Phlixaſios non ſatis imperio parentes in Peloponneſo domuerat.

Factiones Thebanorum.
Iſmenias.
Leontiades.
Phœbidas.
Leontiades Thebas prodit.
Iſmenias capitur.
Bellum Olynthiacum.
Olynthii Lacedæmonibus parent.
Phlixaſii ab Ageſilao domiti.

Cùm eſſet hic ſtatus rerum,mirabile quiddam oritur apud Thebanos, pro cujus *exemplo maximo divinũ numẽ formidãdũ eſt ab his,qui contra jus, faſq; agere nõ verentur.* Lacedæmonii quidem Græciæ Principes,ac (ut verè dixerim)rerum domini, contra quos reliqua omnis Græcia nihil poſſe credebatur,ab illis ipſis Thebanis , quos jugo ſervitutis indignè oppreſſerant, ipſi oppreſſi,atq; everſi ſunt. Multaq; hujusmodi licet intueri & apud Græcos,& apud alias nationes,per quæ apparet *juſtitiæ,ac jurisjurandi transgreſſores puniri divinitùs.* Juraverant enim Lacedæmonii per extremam pacem nullius Græciæ civitatis libertatem impedituros. Contra verò jusjurãdum,ac promiſſa Thebanam arcẽ tenebant, permittentes,ut Leontiades, & ſui tyrannidem exercerent. Non tulit ergò divinum numen,ſed eos mirabiliter ultum eſt.

Erat quidem apud Thebanos Magiſtratus ſcriba nominè Philidas,is cùm aliis fortè de cauſis Athenas veniſſet,atq; eſſet ſibi jam pridem cum Melone, qui erat unus ex Thebanis exulibus ,familiaritas,interrogabatur ab eo,quid Thebis ageretur? ita reſpondit,ut appareret ſibi odio eſſe,qui tunc erat, civitatis ſtatum. Ex hoc requiſitus à Melone,ut adjutor eſſe vellet ad exules reducendos,nequaquã aſpernatus eſt , ſed operam ſuam pollicitus,non prius diſceſſit,quàm re tractatâ,atq; compoſitâ.Summa hæc erat,ut Melon ipſe cum quibuſdam exulibus ad diem conſtitutã Thebas clàm veniret,ipſe receptum eis,ac viã patrandæ rei præberet. Melon igitur ſex duntaxat exulibus ſibi cõjunctis exequi cõſtituta pergit. Ad diẽ enim,qua cõvenerat, Athenis moventes,nec ulla ſecũ ferentes arma,præter gladios,per ſpeciem venandi per Atticã profecti,cum tandem nox ſuperveniſſet, agri Thebani fines ingrediuntur, & quàm maximũ poſsũt,iter noctu cõficiunt. Advẽtante mox luce deſertis in locis requieſcunt. Per hũc modũ Thebis appropinquantes ꝑ id maximè tẽpus,quo tardiſſimi agricolarum regredi ab operibus ſolent,per ipſam portã unà cũ cætera turba ingreſſi,qua domo conſtitutum fuerat, delituerunt. Phylidas verò ſcriba jã pridẽ quaſi jocans Magiſtratui Thebanorum pollicitus erat formoſas mulieres unâ ſe nocte exhibiturum. Id cum ſæpiùs aſſeverat,eò deventũ erat,ut jam tanquã promiſſum ab eo Magiſtratus depoſceret. Tempus igitur veniſſe ratus,Magiſtratui denunciat,ſe mulieres,quas promiſerat,paraviſſe. Qui verò in Magiſtratu erant, id læto animo audiverunt,cænâq; hilariori inſtitutâ,mulieres expectabãt. Ille verò poſt cenam demum

Philidas Thebanus ſcriba.
Melon Thebanus exul.

bani cum ſuis copiis obviam profecti, in tumulo quodam non longè à Lacedæmo-
niis caſtra poſuere. Cum utraq; pars optaret prælium, ac victoriam ſperaret, non mul-
tos poſt dies ad pugnam deventum eſt, ſtructis aciebus, & cunctis apparatibus factis,
quæ fieri tali tempore conſueverunt. In ea pugna victores Thebani, Lacedæmonios *Thebanorum victoria.*
ſuperarunt, illosque diſſipatos, & fractos magnâ ſtrage occiderunt. Cleombrotus *Cleombrotus Rex interiit.*
Rex, & omnis nobilitas, quæ circa Regem erat, in ea pugna interiit. Atq; ita ſuperio-
res facti Thebani, non jam de tuenda libertate, aut de retinendis Bœotiæ urbibus,
ſed de principatu Græciæ, deque Lacedæmoniorum everſione cogitare cœperunt.
Ad hanc eorum ſpem fortuna viam ſtatim accommodavit. Poſt adverſam enim La-
cedæmoniorum in Leuctris pugnam, Arcades, gens magna quidem, & Lacedæmo- *Arcades.*
niis finitima, cervicem attollere cœpit, jam pridem infenſa Lacedæmoniorum po-
tentiæ. Itaq; communi gentis conſilio Mantineam urbem mœnibus cingere conſti- *Mantinea mœnibus cingitur.*
tuerunt, quod Lacedæmonii uſq; ad eam diem facere eos, propter egregiã loci illius
opportunitatem, vetuerant. Id igitur cũ Lacedæmonii etiam in illa fortuna graviter
ferre viderentur, & Ageſilaũ cũ exercitu mitterent ad opus impediendũ, nulla fuit *Arcadum bellum cum Lacedæmoniis.*
mora, quin Arcades omnes fœdere, & amicitia cũ Thebanis jũgerẽtur, eosq; vocarẽt
ultrò ad Lacedæmonios opprimẽdos. Thebani ergo impigrè cũ exercitu profecti ad
Mantineam ſe Arcadibus cõjunxere, inde magnâ multitudine copiarũ Lacedæmo-
nẽ ipſam petere contendunt. Lacedæmonii verò nequaquã obviam exire auſi ſunt,
ſed in urbe manẽtes eã cuſtodiebãt obſeſſorũ more. Adeò enim urbẽ Thebani preſ-
ſere, ut in Hippodromo ipſo, quod eſt theatrũ urbi cõjunctũ, prælia cõmitterentur. *Hippodromus.*
Profuit autẽ vehementer Lacedæmoniis, quòd Arcades, ut pote finitimi ad rapinã,
prædasq; converſi, dũ agunt, & ferunt, infrequẽtes ſtationes relinquebãt. Erat enim
regio opulenta, ut civitatis longè, lateq; dominantis, & quæ hoſtes jã diu nullos re-
gionẽ ingreſſos, cognoviſſet. Itaq; ne fugere quidem homines, vel aſportare ſua pro-
pter deſuetudinẽ ſciebant. His igitur rapinis intẽti Arcades minus frequentes circa
urbem ſtetere, Thebani quoq; hæc animadvertentes, cùm diffiderent expugnari
urbem poſſe, motis retro ad Seleſiam caſtris, id opidum expugnarunt. Gythum quo- *Gythum à Thebanis oppugnatur.*
que opidum maritimum in quo navalia Lacedæmoniorum erant, à Thebanis bi-
duo oppugnatum, ægrè defenditur. Inter hæc Lacedæmonii cum ſpes nulla ſatis re-
liqua videretur, legatione Athenas miſſâ, ſibi tantis in periculis auxilium ferre pre-
cabantur. Legati fuerunt quatuor, qui veterem amicitiam, & mutua beneficia me-
morantes, & quanta commoda univerſæ Græcorũ nationi ex cõjunctione ſua dudũ
pervenerunt, oſtendentes, converſis Athenienſium animis impetrarunt, ut auxilia
mitterẽtur, quib9 præfectus eſt Iphicrates. Et exierunt quidẽ Athenienſes prõptè, ac *Iphicrates tes Athenienſis.*
ferè populariter ad Lacedæmonios defendẽdos. Hæc Thebani, & Arcades ſẽtiẽtes,
cùm jã commeatus quoq; deficerent, Lacedæmone relictâ domũ copias reduxere.

Altero dehinc anno Lacedæmonii, & Athenienſes, & Corinthii cum aliis civita-
tibus, quæ Lacedæmonios ſectabantur, educto cõmuniter exercitu circa Corinthũ
aditus cuſtodire cœperunt, ne poſſent Thebani in Peloponneſo trãſire, quod tamẽ
aſſecuti nequaquã ſunt. Venientes enim Thebani ad ea loca, & per noctẽ eos, qui a-
ditũ cuſtodiebãt, aggreſſi p mõtẽ cui nomẽ eſt Onio, in Sicyonios deſcẽderũt. Ibi ſu- *Onio mons.*
ſceptis Arcadibus, & Argivis, & Elienſibus, omnibus ſimul copiis cõtra hoſtes ver-
tuntur. Venerunt quoq; per hoc ipſum tẽpus Lacedæmoniis à Dionyſio Syracuſano *Lacedæmoniis à Dionyſio Syracuſano auxilia mittuntur.*
auxilia naviũ longarum ſupra viginti, in quibus erant Hiſpani, & Galli, & inſuper eq-
tes quinquaginta bellandi peritiſſimi eiſdẽ navibus advehebãtur. Hæc auxilia mul-
tũ Lacedæmoniis profuerunt. Id bellũ ferè circa Sicyoniũ, & Corinthũ eſt geſtũ, ac *Hiſpani.*
vario quidẽ eventu. Sed tamẽ ea belli conditio fuit, ut Thebani longè potentiores *Galli.*
haberentur. Structa ſiquidẽ ſub ipſa Corintho acie, cũ ipſi fortunam pugnæ experiri
vellent, detractatũ à Lacedæmoniis eſt ad pugnam deſcendere, damna tamen variè
hinc inde illata ſunt, & accepta. Poſt hujus anni militiam Arcades, qui uſq; ad id tẽ-
pus ſecuti fuerant Thebanos, diverſâ opinione eſſe cœperunt. Cujus rei cauſa hinc *Arcadum & Thebanorum diſſenſio.*
fluxit: Erat Mantinæus quidam Lycomedes, vir genere, ac divitiis in primis clarus.
Hic de ſe, ac de gente ſua longè majora in dies ſentire videbatur. Cernebat enim La- *Lycomedis Mantinæi faſtum.*
cedæmonios quidẽ afflictos, Thebanos verò potentiores inſurgere. Utrunq; horũ
Lycomedes Arcadũ opus eſſe putabat. Itaq; gloriabundus apud ſuos hæc prædicare
ſolebat, atque caſtigare populariũ ſuorum ignaviam, quod excellentiã ſuam, vel nõ
intelligere, vel non exiſtimare viderentur, Solã enim Peloponneſũ primã, ac veriſſi-

Arcadum laus.

mam Græciam eſſe. Solos etiam Arcades nativos eſſe Peloponneſi homines, cùm alii omnes Populi eam incolentes ſint alienigenæ, & advenæ. Multitudine verò nullã totius Græciæ gentem cum Arcadum gente eſſe comparandam. Viribus quoq;, ac bellandi virtute cæteris omnibus Græcis lõgè Arcades præſtare. Neque Lacedæmonios unquam Atticam inrraſſe ſine Arcadibus, neque Thebanos unquã in Peloponneſum venire auſos fuiſſe, niſi confiſi eſſent Arcadum ſocietate. Debere quidem Arcades hæc attẽdentes non tàm facilè alios ſequi, ſed ſe quoq; Principes Græciæ meminiſſe. Hac, inquit, ignaviâ, & incuriâ Lacedæmonios dudũ ſuper cervices veſtras creſcere ſiviſtis, & nunc Thebanis, niſi caveatis, vos ipſos, Peloponnesũq; ſubjicietis alteros nimirũ Lacedæmonios illos facientes. Arcades verò hæc audiẽtes, elati ſunt animis, & Lycomedi, quãtos nulli unquã, honores tribuerũt, ejusq; ductu omnia miniſtrabãt. Cæterùm Thebani hæc ſentientes ſuſpectos Arcades habere cœperunt, ac ſegniores fieri ad bellum proſequendũ. Et ſimul diſcordiæ quædã Arcadibus cũ aliis Peloponneſi Populis, qui prius erant in fœdere, propter hujusmodi arrogantiã ſubortæ ſunt, maximè verò cùm Elienſibus, & Meſſeniis, quòd opida eorum Lacedæmoniis adempta, reddere ſibi Arcades noluiſſent. Nec multò pòſt Lycomedes autor fuit, ut Arcades cum Athenienſibus fœdere jungerentur, cujus fœderis ineundi gratiâ cũ Lycomedes ipſe Athenas pfectus eſſet, cõpoſitis rebus inde revertẽs ab exulibus interficitur. Fœdus tamẽ cũ Atheniẽſibus initũ duravit, licet autore ſublato.

Arcadum ab Eliẽſibus & Meſſeniis diſſenſio. Arcadum cum Athenienſibus concordia. Lycomedes interficitur.

Verùm hæc Athenienſium cùm Arcadibus inita conjunctio, aliud incommodum poſt ſe traxit: Nam Corinrhii, qui prius erant in Athenienſium, Lacedæmoniorumq; ſocietate, ſuſpicionibus conceptis præſidium Athenienſium commorari amplius penes ſe noluerunt, aperteq; tandem deficientes ad Thebanos inclinarunt eâ tamen lege, ne contra Lacedæmonios auxilia mittere cogerentur.

Achæi Thebanis junguntur.

Per idem tempus Epaminundas Thebanorum Dux Achæos, quorum magna erat autoritas, Thebanis conjungere ſtatuit. Cujus rei gratiâ cum exercitu profectus, civitates eorum omnes mirabili ſucceſſu in Thebani Populi poteſtatem redegit. Magna profectò res, ac præclara, & ingens acceſſio potentiæ, ſi modò conſervata eſſet. Sed poſtquam Epaminundas cum exercitu abſceſſit, Thebanorũ Magiſtratus ad civitates Achæorũ miſſi, dum populares contra nobilitatẽ fovent, ac ſeditiones cõcitant, cauſa fuere, ut à Thebanis deficerẽt, ac in Lacedæmoniorũ ſocietarẽ amicitiãq; concederent. Inter hæc Elienſes Arcadibus infenſi, quod opida ſibi non redderentur, deſciſcentes à communi ſocietate Thebanorum ad Lacedæmonios redierunt, ex quo mirabilis quædã rerum confuſio ſecuta eſt. Arcadibus enim adverſus Eliẽſes bellum gerentibus, Thebani, & Athenienſes inter ſe hoſtes auxilia ſubmittebant. Elienſibus autem Lacedæmonii, qui erant in ſocietare Athenienſium, copias ſuas præbebant adverſus Arcades. Certamen hujus belli maximũ fuit: primò circa Cromium, deinde circa Olympiam. Arcades enim magnâ vi recuperato Cromio, quod opidum paulò antè ſibi Elienſes abſtulerunt, tandem ipſi profecti per illud ipſum tempus, quo celeberrimum quinquennale certamen in Olympia futurum erat, occupato Jovis Olympii templo, pulſis ac deterritis Elienſibus, ipſi certamini præeſſe voluerunt, & apparatum fecerunt ad multitudinem recipiendam, exhibendaque certamina. Cum verò dies certaminum adveniſſet, Elienſes convocatis primò ſociis, & apparatibus palàm factis, in Olympiam venire conſtituerunt vi, & armis illegitimos templi occupatores expulſuri. Jam ludi fiebant, cùm Elienſium copiæ ſupervenire conſpectæ ſunt. Curſus enim equorum, quadrigarumq;, & hominum in ſtadio decurrere ſolitorũ peracta ſolennitas erat: pugiles ut in certamẽ deſcenderẽt, expectabatur. Inter hęc igitur Eliẽſes venire cõſpecti ſunt, & Arcades illis obviã facti, ſuper Cladaũ fluvium, qui nõ longè ab Olympia decurrens in Alphæũ cadit amnem prælium commiſerunt. In eo loco victi, ac profligati Arcades usq; ad templum Jovis Olympii præcipites aguntur. Templum quoq; ægrè defenſum ab iis, qui de muris templi telis, ac lapidib⁹ repugnabant. Atqui cu Arcadib⁹ erãt Archivorum quidem ad duo millia peditum, Athenienſium verò equites quadringenti, ipſorum verò Arcadum multitudo ingens, qui victi ab initio, atq; pulſi, cum ſe tandem circa templum conglobaſſent, pugnam adæquarunt. Elienſis igitur cùm pervincere templum nequirent, ac ſimul ab æde Veſtæ, & à theatro, cæterisq; cõtinentibus ædificiis telis, lapidibusq; ferirẽtur, ac ſol jã occideret, ſubductâ paulatim acie in ſua ſe caſtra recepere. Arcades verò tãtus terror ex hujus diei pugna pervaſerat, ut ſecutura mox die neq; defendere templũ, neq; præliũ ſuſtinere poſſe cõſiderent. Itaq; per noctẽ cæſis

Achæorum à Thebanis ad Lacedæmonios defectio. Arcadum bellum cum Elienſibus.

Olympiorum certamen.

Cladaus fluvius Arcades ab Elienſibus vincuntur.

undiq́; arboribus,aditisq́; præcluſis,intra munitiones conſiſtentes,nec uſquā exire auſi, obſeſſorū more Olympiā defenderunt. Et certamina quidem in Olympia per hunc modū tranſierunt. Poſtmodū verò diſcordiæ maximæ inter Arcades ipſos cōſecutæ ſunt,ob pecunias ejus templi,quas alii erogandas ad belli ſumtus,& cuſtodiā templi,alii nullo modo attingendas eſſe cenſebāt,ac potius reddendū Elienſib.templū.quàm ſeſe,natosq́; ſuus tanto belli ſacrilegio inquinarent.Hæ diſcordiæ longiùs agitatæ, ad extremū pacē inter Elienſes, Arcadesq́; pepererunt, pervincente ea parte,quæ ſalubriore conſilio non attingendas pecunias templi , *nec Deorū iram in ſe provocandam ſuadebant*. Quippe neceſſarium fore videbatur, diſſidentib, Arcadum animis aut pecunias illas in conductum militem erogare, aut templum deſerere. Atqui erogare templi pecunias plurimi Arcadum non ferebant, deſerere autem templum, alii non patiebantur. Media igitur via potior viſa eſt, pacis videlicet, atq; concordiæ. Hujus ergo pacis in eundæ gratiâ cum ſingulatum Arcadiæ civitatum legati apud Tegeam urbem conveniſſent,ac tandem pax recepta, jurataque foret, gaudio,& lætitiâ,feſtisq́; & conviviis Arcades exultabant.

Olympia obſidetur.

Arcadum cum Elienſibus pax

Tegeambs.

Erat in Tegea urbe Thebanus quidam Præfectus,habens præſidium copiarum ſatis magnū,cum quo urbem illam tutabatur.Is indignè ferens, quod abſq; cōmuni Thebanorū decreto,ipſi per ſe pacē iniiſſent,irritatus etiā ab ea parte Arcadum,qui paci adverſabantur:miſsis confeſtim per urbē militibus autores,ſuaſoresq́; pacis de mediis conviviis attripi juſsit.Studuit verò plurimū Mantinenſes Legatos capere: ſed illi, quod propinqua erat Mantinea,ſtatim juratâ pace domum abierant. Cæteri ergo detenti, & in cuſtodiam traditi cùm eſſent, Mantinenſes celeriter aliis civitatibus Arcadiæ hæc nuntiarunt,& in armis ſingulas eſſe juſſerunt. Ipſi autem legatione ad Præfectum miſsâ,ut nullum, neq; ex Mantinenſibus, neq; ex aliis Arcadibus, quos cepiſſet,abſq; judicio necaret,edixerunt. Paratos enim ſe fore ſuorum hominum delicta cognoſcere,ac pro meritis illa punire. Docuerunt inſuper Arcadiam totam eſſe in armis,nec paſsuram homines ſuos ludibrio haberi. Thebanus igitur Præfectus majorē formidans motum,captivos dimiſit,fingens deceptū ſe, quod Lacedæmonios audiſſet venire ad Tegeā capiendā operâ quorundā Arcadū,eaq́; ſuſpitione illos retinuiſſe,quoad videretur verúmne , an falſum eſſet , quod illi fuerat ſuggeſtū. Nec ſanè Arcades ob hanc Præfecti contumeliā à ſocietate Thebanorū deſciverunt,ſed Thebas miſsis oratorib. Præfectū accuſarūt,oſtēdentes, ultimo ſupplicio digna cōmiſiſſe,nec p cū ſtetiſſe, quò minus res ſociorū in Peloponeſo everteretur.

Thebani præfecti facinus.

Mantinea.

Epaminundas per id tempus Magiſtratū gerebat , qui auditis Arcadū querelis, non ſatis clementer Legatis reſpondit : Rectius, inquit, videtur feciſſe Præfectus Thebanus, cum autores pacis cepit , quàm cùm eos dimiſit. Nam cum veſtri causâ nos in bello ſimus, nonne proditioni ſimilimum eſt vos ipſos pro vobis pacem feciſſe, nos in bello reliquiſſe ? Abire igitur,inquit, atq; illud ſcitote : nos cum exercitu venturos eſſe in Arcadiam , atq; bellum unà cum illis, qui nobiſcum ſentiunt, geſturos. Hæc Epaminundæ verba cùm relata eſſent in cōmuni Arcadū cōſilio, Mātinenſes cum magna parte civitatum Arcadiæ ſtatim defecerunt à Thebanis , & ad Lacedæmonios miſſis oratoribus, ſeſe cum illis ſocietate, & fœdere conjunxerunt, eâ moderatione principatus,ut dum in Arcadia gereretur bellum, Arcades ipſi ducerent : dum in Lacedæmoniorum locis,Lacedæmonii Duces eſſent. Excitaverunt quoq; Elienſes , & Achæos , ut ad Peloponneſi defenſionem contra Thebanos inſurgerent. Neq; enim aliud moliri Thebanos, quàm ut civitates Peloponneſi adinvicem cōflictentur, atterāturq́;,quò ipſi poſteà non difficulter illis dominari poſſint.

Epaminundæ reſponſum Arcadibus datum,

Arcadum à Thebanis defectio.

Dum hæc in Peloponneſo geruntur,intereà Epaminundas Dux bello à Thebanis præfectus copias impigrè parabat. Ad domeſticum enim equitatum,peditatūq́;, inſuper ex Theſsalia, & Eubæa, & Bœotia ſatis magna auxilia ſupervenere. In Peloponneſo autem à ſociis ejus adventus expectabatur Erant verò Argivi,& Meſſenii, & Arcadum ea pars , quæ cum Thebanis remanſerat, in qua fuerunt Tegeatæ, & Megalopolitæ,& Aſteatæ,& Pallantes,& ſi qua parva opida inter hos conſtituta ſequi illos cogebantur. Epaminundas igitur cùm omnes conveniſſent copiæ, celeriter profectus in Nemæam duxit. Cum tamen eò perveniſſet , aliquot dies circum ea loca deſedit. Cauſa verò & properādi priùs,& poſteà cōmorandi,fuit : quòd Athenienſium copias Lacedæmoniis, Arcadibusq́; auxilio profecturas, ſi terrâ iter facerent, per ea loca tranſire neceſſarium erat. Itaq; magnam ſpem habuit oppri-

Tegeatæ, Megalopolitæ, Aſteatæ, Pallantes,

mere illas poſse, quod ſi contingeret, magnam belli partem confectam fore arbitrabatur. Dum in Nemæa commoratur Epaminundas, adverſarii omnes apud Mantineam convenerunt. Id cùm ille cognoviſſet, ſimulq; certior factus eſſet, Athenienſium copias terrâ quidem iter facere poſſe deſperaſſe, mari autem conſtituiſſe Lacedæmona petere, movens ipſe ex Nemæa in Tegeatas pervenir. Ibi ſuſceptis amicorum, ſociorumq; auxiliis, intra Tegeam urbem exercitum omnem induxit, nec primùm illius induſtria laudata eſt, quòd caſtra intra mœnia collocarit, ubi non ſolùm magis tutum ſibi fuit degere, verumetiam magis occultum quicquid facere moliretur, magisq; ſui conſilii, ac deliberationis, quando pugnam inire, aut differre vellet. Ipſe igitur cum exercitu intra Tegeæ mœnia conſiſtens, occaſionem rei benè gerendæ præſtolabatur, ad ſingula vigilans, atq; intentus, hoſtium conſilia, atq; progreſſus, ne quid ſe lateret, mirâ ſagacitate ſcrutabatur.

Cum hoſtes, aut diximus, apud Mantineam conveniſſent, nec longè ab eo loco Epaminundas cum exercitu eſſet, pugnamq; fore ſpectaretur: Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex crebris nuntiis evocatus cum Lacedæmoniorum multitudine Mantineam petere, ac ſeſe cum ſociorum copiis conjungere ſtatuit. Hæc igitur Epaminundas obſervans, poſtquam Ageſilaum egreſſum eum exercitu, & jam in Pellenços deveniſſe cognovit, repentè copiis eductis Lacedæmonem ipſam petere contendit, adeo celeri, & improviſo itinere, ut, niſi Deorum beneficio quidam ex Creta eques feſtinato curſu id Ageſilao nuntiaſſet, prius capta fuiſſet Lacedæmon, quàm venire hoſtes cognoviſſet, præſertim cùm eſſet defenſorum vacua, cunctis, qui militare poterant, in expeditionem egreſsis. Sed Ageſilaus intellecto periculo, ſtatim Lacedæmonem cum recurriſſet, ac præveniſſet Epaminundæ adventum, locaque opportuna properè occupaſſet, ex maniſeſtiſſima clade patriam ſervavit. Epaminundas, poſtquam rediſſe Ageſilaum, & urbem defendi poſſe cognovit, expectare noluit, dum copiæ hoſtium, quæ erant apud Mantineam, Lacedæmona venirent, ſed aptiorem ſibi locum ad bellum gerendum Tegeam arbitratus, unde profectus erat, copias reduxit.

Ageſilaus patriam ex clade ſervavit.

Cæterum ex hoc Lacedæmoniorum periculo in tantum ſtatim fama Epaminundæ crevit, ut hoſtes maximè illius ingenium, ac magnitudinem animi formidarent. *putantes neq; conſilium mirabile in rebus maximis, neq; audaciam in conficiendo illi deeſſe.* Itaq; & cavendum, & obſervandum hominem diligentiùs ſtatuebant. Sed cùm Athenienſium magna equitum auxilia superveniſſent hoſtibus, magnas inſuper Arcades ipſi, & ſocii copias haberent, magnas Lacedæmonii quoq; conjunxiſſent, hoſtes ſub divo caſtra faciebant. Epaminundas verò ab initio, ut conſtituerat, copias ſuas omnes intra Tegeæ mœnia continebat, nec longè aberant hoſtes, multitudine ſuâ confiſi. Cùm aliquanto per hunc modum ſtetiſſent, Epaminundas pugnare ſtatuit, jampridem apud animum ſuum conſtituto, quemadmodum pugnam committere deberet. Itaq; dixit militibus, ut ſe ad prælium pararent, intra paucos certè dies futurum. Illi verò læto clamore operam polliciti, ad apparatum belli convertuntur. Eratq; operæ pretium videre galeas alios tergentes, alios gladiorum, pilorumq; cuſpides acuentes, alios ſcuta dilucidantes, alios frena, & ornamenta equorum aptantes. Hæc enim Epaminundas fieri juſſerat, & inſpector aderat ſingulorũ, dum agerentur. Cùm ſatis apparata viſa ſunt omnia (quod bonum, fauſtumq; ſit!) arma capere, ſimulq; curare corpora milites jubet. Ea verò cum facta eſſent, copias educit, nec ad hoſtes rectâ contendit viâ, ſed relictis ad dexteram hoſtibus, ipſe aliâ viâ planitiem transgreſſus ad montes pervenit, ibiq; milites conſiſtere, & arma ponere juſsit. Qua ex re ſpem hoſtibus dedit quaſi caſtra metari eo in loco vellet. At ipſe per hoc maximè tempus aciem ſtruebat. Quicquid enim roboris in toto exercitu habuit, primâ fronte collocavit, exiſtimans id quod evenit, ſi primo impetu diſſipati forent hoſtes, necubi poſteà conſiſtere valere. Itaq; omne robur in frontem contrahens, ſolidiſsimam, ac robuſtiſsimam aciem fecit, quaſi roſtrum navis, quod impetu ſit perrupturum. Cæteras verò acies magis ad ſpeciem, quàm ad uſum aliquem ſtruxit. Quatum unam montem conſcendere, contraq; Athenienſes, qui ſeorſum caſtra fecerant, ſtare juſsit, quo metu circunventionis eos ſuo loco diſtineret. Cùm ſtructa eſſet acies, repentè movit, ac celeriter ad hoſtem ſtructus, paratusque magno pugnandi ardore contendit. Hoſtes verò, utpote qui primùm alio progreſſum itinere conſpexerant, ac poſteà munire caſtra illum credebant, expectationem

Epaminundas fama crevit.

Epaminundæ virtus in ſtruenda acie.

Acies inſtar roſtri navis inſtruitur.

nem

omnem poſuerant ea die præliandi. Itaq; cum ſupervenire illum cõnſpectum eſt, trepidi omnes, atq; incerti modò arma induere, modò equos frenare, modo ſuos vocare properabant, quaſi attoniti, ac de reſiſtendo potiùs, quàm de vincendo cogitantes. Occurſum eſt tamen, & quantum anguſtia temporis patiebatur, acies ab hoſtibus tumultuariè ſtructa, ſed nihil fefellit Epaminundam ex his, quæ cogitaverat. Nam cum in hoſtes magno impetu delatus fuiſſet, eos tandem poſt acrem,

Epaminunda victoria.

vehementemque pugnam vi, & armis, & pectoribus ipſis perfregit, diſsipavit, in fugam vertit. Fugientibus verò hoſtibus plurimum auxiliò fuit Epaminundæ vulnus, qui dum in prima fronte cominùs hoſtes frangit, haſtâ transfixus eſt. Itaque

Epaminundas vulneratur.

dum milites ſtudium, & amorem ſuum Duci præſtant, hoſtem perſequi deſtiterunt. Ex quo factum eſt, ut ex tanta victoria non magna ſtrages fuerit hoſtium. Præter illos enim, qui dimicantes in acie ceciderant, in ipſa fuga non ingens multitudo periit, negligentibus Epaminundæ militibus eos perſequi, ſed circa Ducem, tanquam apes circa Regem ſuum ſe conglobantibus. Epaminundas ex vulnere paulò poſt ſpiravit. Victoria tamen manifeſtiſsimè parta, Lacedæmoniis principatu ademto, & autoritate potentiaq; omni ad Thebanos victores traductâ. *Ita principatus Græciæ ab Athenienſibus ad Lacedæmonios, rurſus ad Thebanos mirabili fortunæ converſione devenit.*

Epaminundas ex vulnere ſpirat.

Principatus Græciæ ad Thebanos tandem devenit.

FINIS.

Area circa Baptiſteriũ Florentiæ exaltatur. 60. circa Palatiũ Florentiæ reficitur nova. 204
Aretii afflicti à Romanis. 1
Aretii arx in ſumma urbis parte à Florentinis extrui cœpta. 157. hoſtes dominantur, ſociis & amicis exulantibus. 94. ſeditio à Brandaliæ gente excitata. 157. Sexaginta viri Rempubl. regunt. 194. turbationum ſemina bellum movent 58
Aretini amplitudine territorii præſtantes. 18. bellum cum Peruſinis gerunt. 128 cum Florentinis conventa agunt. 131. fœdus cum Roberto rege ineunt. 94. Guelfarum partium bellum movent. 22. lætis animis in Florentinorum poteſtatem veniunt. 131. magiſtratum de Florentinis ſuſcipiunt. 22. Saconem in auxilium vocant. 130. Saconis familiæ reliquias delere ſtudent. 166. ſeditionibus agitantur. 250. ſocietatem ineunt cum Florentinis. 85. Tarlatum genus pellunt. 85. Guelfarum partium homines revocant. 85. veteres agri Senarum mœnibus penè contigui. 18. urbe pellunt omnes diverſæ factionis. 29
Aretino in agro cuncta prædis, rapinis & incendiis fœdantur. 229
Aretinorum in agro equites hoſtium magnas prædas multosq; captivos abigunt. 162. calamitas miſeranda. 196. civium in tutanda urbe ſolertia. 210. fœdus quinquennale cum Florentinis. 22. pugna cum Senenſibus. 60 ſocietas cum Florentinis. 145
Aretinos conjuratio concutit. 186
Aretio cives diverſæ factionis pulſi terribiles imminent urbi. 31. duæ factiones pelluntur 58. pelluntur cives cum conjugibus & liberis. 250
Aretinum bellum feliciter conficitur. 226
Aretium à Florentinis oppugnatur fruſtra. 64. capitur à Gallis. 251. civitas in Caroli regis partibus fidiſſima. 44. 45. cum omnibus opidis in Florentinorum poteſtatem devenit, 202. Florentinis à Sacone quaſi venditur. 131. fruſtra oppugnatur à Florentinis. 87. in Florentini populi poteſtatem venit. 157. 251. ob ſeditionem in extremum penè diſcrimen venit. 157. 158. urbs & arx Florentinis traditur. 202
Ariſtodemus rege adhuc puero gubernationi præeſt. 278
Arma equitum Florentinorum. 96
Armatura levis multis nocumento. 96
Arni fluvii inundatio. 46. 60
Arnulphus ultimus ex Caroli Magni proſapia. 17
Arnus fluvius Fluentiam alluens. 1
Arriges Hiſpanus perpetuâ captivitate damnatus. 46
Arrigus Sardiniæ regnum à Pontifice petit. 43. & Dominatum Romæ arripit ibid.
Aretinum caſtellum à Florentinis expugnatur. 111. 112
Aruns regis filius. 6
Aruſpices ex Hetruria vocabant Romani. 4
Aſculum florentiſ. Picentũ urbs vaſtata à Romanis. 1 cum arce capitur & ad ſolũ evertitur. 187
Athaulfus Gothorum Rex Romam prædatur. 12. Placidiam Gallam in matrimonium accipit. 12. interficitur ibid.
Athenarum civitas in decem tribus diviſa. 276. gravis obſidio. 271. Rempublicam inſtituendam ſuſcipiunt triginta viri. 272
Athenienſes à Lacedæmoniis pacem petunt 271 à Lyſandro vincuntur 270 cladem paſſi optant concordiam 277 cum Lacedæmoniis pacem ineunt 280 Eleuſina obſident & capiunt 278
Athenienſium fœdus cum Arcadibus 282 pugna cum Lacedæmoniis & victoria 268 trophæum Argyruſis 269
Atheſis fluvius 15
Attalaricus Gothorum rex 14
Attila Hunnorum rex nunquam intravit Hetruriam 17. Italiam irruit 12. omnia vaſtat 13
Attilæ interitus 13
Auguria belli prænuncia 135
Augurium Ciconiarum ab Attila obſervatum 13
Augus Florentinorum caſtris inopinato ſupervenit 176
Auguſto Imperante proſcriptio multos cives conſumſit 9
Auguſtulus ab Imperio dejectus 13. 16
Auſtria duces à Venetis & Florentinis ſolicitantur 235

B

Baldaſar Coſſa Legatus ex latere fit Pontifex 257
Baldus Agulio Juriſperitus 88
Baldus Ruffulus vexillifer juſtitiæ primus poſt novam legem 69
Baleares inſulæ 56
Balnei comites ad Mediolanenſem deficiunt 234
Barbadori Legati Florentini appellatio à Pontifice ad Chriſtum 185
Barbianenſis alium pro Actio necat 226
Bardorum familia locupletiſſima ſocietatum pecunias pedit 146
Barga ab hoſtibus obſeſſa Lucenſibus redditur 125. obſidetur à Piſanis 172. liberatur 17
Bartholomæus Pratenſis ob prædam abactam ſupplicio afficitur 232
Baſilica Florentiæ ab Eugenio Pontifice dedicatur 264
Baſilica ſanctæ crucis Florentiæ reædificata 70
Baſilienſe concilium 263. 266
Baſtia quid 227
Battifolle arx munitiſſima per proditionem occupatur 210
Benacus lacus 216
Benedicti Marigiadori audaciſſimũ facinus 230
Benedictus PP. Johanni Põtifici mortuo ſuccedit 127
Benedictus Pontifex in concilio Piſano damnatur 259. Pontifex moritur 82
Beneficentiâ cuncta moventur 97
Beliſarius adverſus Theodaſum Gothorum regem miſſus 14
Belli errata, quæ mala ſequi ſoleant 27 fides duo utplurimum requirit 36
Belli ſocietas origo 1
Bellorum eventus prædici nequit 93
Belloveſus dux Gallorum Ciſalpinam Galliam occupat 4

Bellum Arcadum contra Lacedæmonios 281. *Arcadum cum Elienſibus* 282. *Aretinum ab exulibus motum* 58. 59 *Aretinum à Florentinis continuatum* 61. 86. *Aretinum graviſſimum* 31. *Aretinum inter Peruſinos & Saconem* 128. *Athenienſiū cum Lacedæmoniis* 268. *Bibienenſe à Florentinis ſuſceptum* 169. *Bononienſe à Bernabove illatum* 170. *Bononienſe à Galeatio motum* 209. 246. *Bononienſe cum Faventino Aſtorgio* 239, 241 *Corradini cum Carolo rege* 46. *Caſtrutianum contra Florentinos* 97. 106. 107. *Catinenſe à Florentinis geſtum* 121. *Exulum adverſus Florentiam* 41. *Exulum Athenienſium contra triginta viros* 275. *Fighinenſe* 21. *Florentinorum adverſus Piſtorienſes* 20. *Florenti. adverſus Senenſes ob receptionem exulum* 24. 29. 41 *Florent. cum Piſanis* 22. 23. *Florentinorum cum Piſanis ob Lucam recipiendam* 136. *Galeatii contra Florentinos* 208. *Gallicum inter Robertum regem, Florentinos & Johannem regem Bohemiæ atq; Pontificem* 124. 126. *Herrici Imperatoris adverſus Florentinos* 90. *Hetruſcum cum Gallis* 4. *Hetruſcum cum Romanis* 4. 5. *Imolenſe, Præſule Mediolanenſi authore* 151. *Lacedæmoniorum cum Thebanis* 280. *Lucenſe à Florentinis geſtum* 123. *Lucenſe à Maſtino renovatum* 129. *Lucenſe Nicolao Braccii authore* 262. *Ludovici Andegavenſis adverſus Carolum* 251. *Manfredi Tarentinorum Principis cum Corrado, & Corradino* 23. *Manfredi cum Carolo rege* 27. *Mediolanenſe contra Florentinos omnium maximum* 209. *Miniatenſe ab exulib. illatum* 178. *Olynthiacum* 279 *Parthicum* 10. *Piſanum ab Ugolino excitatum* 60 *Piſanum à Florentinis veluti proprium ſuſceptum* 66. *Piſanum à Genuenſibus illatum* 57. *Piſanorū cum Florentinis* 21. 23. *Piſanum cum Florentinis ob Telamonis portum excitatū* 171. 173. *Piſtorienſe à civitatib: Hetruriæ illatum* 82. *Piſtorienſe à Florentinis ſuſceptum* 105. *Piſtorienſe inter Caſtrutium & Philippum Caroli regis præfectum* 114. 115. *Senenſium cum Florentinis* 252. *Senenſium cum Peruſinis ob Cortonæ obſidionem* 168. *Thebanum cum Lacedæmoniis* 280. *Thebanum contra Phocenſes* 278. *Vejentinum cum Romanis* 6. *Veronenſis cum Mantuano* 136. *Vulſinienſe.* 8

Bernabos Mediolanenſis capitur 251. *Rhegium Lepidum obſidet* 179. *capitur & vitam amittit.* 202. 203

Bernardus Arminiaci comes in Italiam à Florentinis excitatur. 235

Bernhardus Caroli magni nepos rex Italiæ. 17

Bettona per proditionem capitur. 161

Bibiena à Florentinis obſidetur & capitur. 63. 170

Biſſoli monomachia cum Gallo. 186

Biordus interficitur, ejus cædem ultio ſequitur. 234

Biordus diem obit Florentiæ & publico funere effertur. 169

Bizantium Imperii ſedes translata. 16

Bleda Attilæ regis frater necatur. 12

Bodelmontes eques Florentinus manu Ottonis occiditur. 40

Bogolenta ad bellum hoſti inferendum apta. 130

Bonifatius Lupus Florentini exercitus dux ſui animi, deponitur. 191

Bonifacius P P. Urbano ſuccedit. 207. 253

Bonifacius P P. Legatum mittit ad pacandam Florentiam & Hetruriam. 78. *Florentino Magiſtratui præcipit ne Janus Taldus aut Rainerius revocentur.* 72. *Peruſiam quaſi Eccleſiæ poſſeſſionem repetit.* 236

Bonifacius VIII. antipapa creatur. 70

Bonitium opidum Florentinis deditur. 21. *à Florentinis obſidetur.* 24. 42. & *deditur Regi. ibid. evertitur.* 47

Bononiæ gubernatio in duodecim annos Præſuli Mediolanenſi conceditur 161. *motus à Bernabove excitatur.* 170. *Reipubl ſtatus mutatur* 247. *ſeditiones oriuntur.* 51

Bononia ex Ladiſlai regis manu eripitur. 257. *in libertatem ſeſe vindicat.* 259. *in poteſtatem Pontificis venit.* 253 *Joanni Vicecomiti tyranno ſubjicitur.* 148. *Mantuano ſubjicitur.* 253. *occupatur à Picinino.* 265

Bononiam confugiunt exules Florentini. 34

Bononienſes bello petuntur à Galeatio. 210. *bellum ſuſceptum detrectant.* 213. *confirmantur ad perſeverandum in fœdere.* 214

Bononienſium laus & fortitudo. 213

Boſo præſul Aretinorum à Pontifice contra Guidonem conſtitutus. 111

Braccius Peruſiæ dominus qualis vir 260. *occiditur.* 261

Brandaliæ gens Aretii de invadenda Republ. conſilium capit. 157

Britones à Gebennenſi Legato in fines Bononienſium ducti. 185

Brixia à Maſtino deficit. 134. *in poteſtatem Venetorum venit.* 262. *obſidetur à Picinino.* 265. *in poteſtate Galeatii.* 242

Buccæ abbatis ſcelus. 30

Burgenſes à Florentino Magiſtratu aggrediuntur. 261

Bugianum caſtellum ad Lucenſes deficit. 123

Burgum à Sacone abſq; clade ulla occupatur. 158

C

CÆciliæ caſtrum à Senenſibus eur ad ſolum uſq; everſum 57

Cæleſtinus antipapa creatur. 70

Cæſareum nomen clades civitatis Romanæ. 9

Cajus Cæſar de conjuratione ſuſpectus. 2

Caligulæ Imp. crudelitas. 9

Callicratidas Lacedæmoniorum præfectus. 268

Cancellariorum genus florens Piſtoris. 73

Capenates Romanis ſubjugantur. 7

Capitolium Fluentiæ. 1

Capua in inferiori Italiæ parte. 3

Carcer ad portam Gibellinam ædificatur. 72

Carcer Volonianus. 41

Carceres Florentiæ effringuntrr & captivi eximuntur. 198

Carcianum ab Aretinis obſeſſum. 60

Cardinalium in eligendo Pontifice diſſenſio. 53. 82. 83. 256. *pervicacia ſede Apoſtolicâ vacante* 47

Caritas annonæ Senis. 213

Carminianum à Florentinis occupatum Piſtorienſibus redditur. 104 *fit ſedes belli Caſtrutiani.* 110. *unà cum arce à Florentinis expugnatur.* 117

Caroli exercitus in Hetruria. 193

Carolus

Carolus Francorum regis frater Romæ ornatur Senatoriâ dignitate 35
Caroli Malateſtæ laus 257 *Malateſtæ virtus in bello claret* 232
Caroli regis filius capite damnatus carcere honeſto aſſervatur 61
Caroli regis Victoriæ duæ illuſtres 57
Carolus à Populo Florentino petit fœdus 194 *auxilia promiſſa à Florentinis poſtulat* 195 *munera Florentinorum reſpuit* 194 *poſſeſſionem regni aſſequitur* 196 *Romæ à Pontifice benignè ſuſcipitur* 195
Carolus Joannis regis Bohemiæ filius in Italiam venit 125
Carolo Ludovici Francorum regis fratri offertur Regnum Siciliæ 35
Carolus Magnus Florentiam reſtituit 17 *Francorum rex devictis Longobardis Auguſtus appellatur* 16 *dignus Imperatoris nomine cur Magnus vocatus*, 17 *ejusq; res geſtæ ibid.*
Carolus regis Johannis filius ad Imperium electus 147
Carolus rex Caſinum ingreditur cum exercitu 37 *rex Gibellinos affligit* 47 *Rex Siciliæ moritur* 57 *dominatum Florentiæ dimittit* 53
Carolus rex Pontificem perſequitur 203
Carolus ex Ungaria in Italiam per Pontificem vocatus 249
Carolus rex ſecundus moritur 86
Carolus rex Ungariæ conſtituitur & dolo reginæ necatur 203. 251
Carolus Valeſianus ad placandam Florentiam à Pontif. miſſus parum efficit 75. 76
Carolus Roberti regis filius à Florentinis in Hetruriam vocatur 109 *diem obit* 117
Carolus Imp. in Italiam venit ſollicitatus ab inimicis Præſulis Mediolanenſ. 163. 164 *civitates quaſdam Italiæ in propriam adminiſtrationem reducit* 165. *exulum cauſam improbare videtur* 165. *pacem cum Bernabove init* 177 *Romam veniens populi tumultu penè opprimitur* 178
Caſca vir procero corpore & inſigni audaciâ occiditur 34
Caſelitis pugna 253
Caſentinum totum Florentiæ civitati ſubjicitur 267
Caſſianum opidum ab Herrico Imperatore reſtituitur 91
Caſſianus vicus muro cingitur 165
Caſtellatium opidum à Gallis expugnatur 216
Caſtrocarum opidum obſidetur 227
Caſtus horrendus intra urbem Florentinam 233
Caſtrutii filii obſides clam fugam arripiunt 126. *Piſas occupant* 117. *& Piſtorium* 118
Caſtrutii cum Guidone Præſule ſimultas & contentio 112. *jactantia* 108
Caſtrutiani milites ad internecionem à Bononienſibus occiduntur 106
Caſtrutius de pace cum Florentinis agere cogitat 109. *Florentinis illudit* 100. *Florentinorum agrū vaſtat* 103. *ineſtimabili rapina locupletatur* 107 *in pugna apud Fucetium vulnere accepta aufugit* 103. *in pugna contra Florentinos vulneratur* 106. *Legatos Ludovici Imperatoris contra fidem intercipit* 112. *Lucæ dominatur* 97. *Murlum opidum expugnat* 109. 110 *nullâ laceſſitus injuriâ Florentinum vaſtat agrum* 97. *Petrum Gallum ſibi inſidias ſtruentem capit* 110 *Piſtorium recuperare nititur* 115. *Pratum fruſtra oppugnat & omnia longè lateq; vaſtat* 108 *Romæ in ſummo honore* 113 *triumphi ſpeciem agit & numum victoriæ audit* 108. *moritur* 117
Catena portus Piſani juxta Martis templum Florentiæ ſuſpenſæ 172
Catilinæ conjuratio 2
Catilina in agro Piſtorienſi occiditur 2
Catinum opidum à Florentinis deficit, obſidetur 121. *vacuum Florentinis relinquitur* 123
Catinum Uguccius obſidet 94 *occupat* 95
Cenſura & Sententia Pontificum arma 18
Centum viri Florentiæ deliguntur ad emendandum magiſtratum 198
Certamen inter duos Britonum & Bononienſium 186
Ceſenates in furorem verſi Britonum octingentos interficiunt 186. *& viciſſim circiter tria millia occiduntur* 187
Cethegus ſupplicio affectus 2
Chryſoloras Byzantius Græcas literas docet in Italia 253
Ciceronis ſententia de Fluentinis 1
Ciconiæ augurium dant Aquilegiæ 13
Circulorum & Donatorum contentio 73
Circulorum fautores incendio ſuccumbunt 80
Ciſalpina Gallia Tuſcis adempta 4
Civem qui pellit aut necat patriam vaſtat 48
Cives in libera civitate benignè monendi non exagitandi 228
Cives mali in numero civium non habendi 50
Cives ſic odendi, ut cives illos eſſe meminerimus 135
Civibus nil magis formidandū quàm ſervitus 140
Civitella à Florentinis obſidetur & pactione recipitur 235
Civitas nil aliud quàm ipſi cives 48. *nulla tam florens quin ex parvis erratis interdum maxima incitat pericula* 268 *omnia poſſe debet* 101
Civitates Italiæ quæ poſt varias calamitates & everſiones ſuperſtites 18
Civitates quæ populariter reguntur celare neſciunt 260
Civitatis morbi conſueti 143
Civitatum Italiæ à Pontifice defectionem quis cauſarit 182
Civium Florentinorum uſitata præſcriptio 76. 77 *capita nonaginta millia reperta* 135
Clemens IIII. Pontifex creatur 35
Clemens Pontifex creatur 249
Clemens Pontifex ſuccedit Benedicto & duos ſimul Legatos in Hetruriam mittit 82
Clemens Pontifex Rom. Oratoribus civitatum tria proponit 160
Cleombrotus Lacedemoniorum rex exercitum ducit in Thebanos 280 *interiit* 28
Clericorum Gallorum ambitio intolerabilis 180
Cluſium urbs Tuſciæ à ſolo everſum 2
Colle opidum Senenſes & exules Florentini obſident 46
Collenſes in poteſtatem Florentinorum veniunt 148

Colonias quid Romani vocarint 1
Colonos deducendi quæ fuerit Romanis cauſa & occaſio 1
Columnenſes Romæ florent 254
Cometes 75. 135. per nonaginta dies emicat 35. regnorum mutationem denotat 35
Compitalia Florentiæ exercentur 56
Concilium Baſileæ indictum 263. Conſtantienſe 258. Ferrariæ indicitur 265. Lugdunenſe 48. Lugduni celebratur contra Federicum II. 36. Piſis cogitur 257
Concordiæ fructus 3. vinculum unicum apud plebem nobilitatis metus 64
Concordia inter civitates Italicas 18
Conjectura fallit in rebus humanis 256. 250
Conjuratio Aretii detecta 64. 186. Florentiæ deprehenditur 11
Conradus Lyndo Germanorum in Italia vagantium dux 167
Conſilii levitatem exitus arguit 227
Conſtantia Manfredi Siciliæ regis filia Petri Arragonum regis uxor 55. Caroli filium honeſto carcere aſſervari jubet 61
Conſtantia Siciliæ regni 19
Conſtantia urbs ad Concilium eligitur 258
Conſtitutio PP. ne regia ſtirpe oriundo ſenatorum dignitatem habere liceat 52
Conſulendi facultas libera eſſe debet 101
Corinthii ab Athenienſibus deficiunt 282. Athenas delendas cenſent 271
Corradus Federici. II. filius veneno extinguitur 23
Corradinus Federici II. nepos. 23. Siciliæ legitimus hæres 33 ad regnū paternū recuperandū expeditionem ſuſcipit 40. in Italiam venit 44. regios equites opprimit 44. Pontificia mandata contemnens Romam venit, & in Capitolium perducitur 45. fugâ elapſus, tandem capitur & ſecuri percutitur 46
Corradus Federici II. filius Imp. 20
Cortonæ Epiſcopus inſtituitur 109
Cortona à Pelaſgis condita 18. à Præſulatu Aretinorum abſciſſa per Pontific. 109 in Aretinorum poteſtate 18. ad ſolum evertitur 109
Cortonenſes ab Aretinis ſuperantur 24
Cortonenſes Tyranni ſe ad Florentinos convertunt 205
Coſmus Medices Florentiam cum agnatis reducitur 263
Creditorum acerbitas Florentiæ oppreſſa 147
Cremonenſibus Exulibus ſubſidia mittuntur 27
Culpa noſtra, eventus fortunæ poteſtatis eſt 120
Cunctatio potiùs quàm properatio victoriam pollicetur 28
Cunemundi calvaria in poculum efficta 15
Curia nihil neq; firmi neq; ſinceri habet 82
Curſius Donatus princeps familiæ Donatorum 73. Florentiæ ſeditionem movet 78. in exilium agitur 74. victoriam Florentinis parat 63. ſeditionem Florentiæ movet 84. Tyrannidis affectatæ criminatur 85. condemnatur 85. pugnat cum magiſtratu 85. occiditur 85
Curſii tota factio urbe Florentinâ profligatur 85
Cyrus Perſarum rex Lyſandrum claſſe inſtruxit 269

D

Damna quæ noſtrâ culpâ proveniunt omnium graviſſima 120
Dantes poëta in exilium agitur 76. in numero Priorum Florentiæ 74. in prælio adverſus Aretines 63. Petrarchæ pater 79
Dantis Poëta epiſtola contra Florentinos 88
Dealbatorum religio & frequentia 252
Decem tribuni Athenienſium 276
Decemviri Florentiæ ad belli curam creantur 225
Delationes civium Florentiæ 141
Deliberandi ratio libera eſſe debet 154
Dephon rex Longobardorum 15
Deſiderius Longobardorum rex ultimus 15
Diluvium aquarum Lucæ 126
Dionyſius Syracuſanus Lacedæmoniis auxilia mittit contra Thebanos 281
Diſciplina & Litera Hetruſcorum 4
Dominandi cupiditas infida 202
Domitius exulum Aretinorum princeps 58
Donatorum factio contra Circulos 73
Donatus Azarolus Florentiæ motum excitat 228. capitur & in exilium pellitur 228
Donatus Curſius aſtu Florentiam occupat 76
Dubitare de patriæ fide injurioſum eſt 101
Duces partium in civitate Florentina 41
Duces peregrini eliguntur Florentiæ & qui fuerint 41
Duodecim viri Reipubl. Florentinæ præfecti 20. qui Priorib. in cōſilio adſint Florētiæ creātur 58

E

Eccleſiæ duo capita 188
Eccleſiaſticis perſonis grandia tributa imponuntur à Florentinis 84
Eleuſina ab Athenienſib. obſidetur & capitur 278
Emporium civitas 31
Enſis fidejuſſor 220
Epaminundæ reſponſum Arcadibus datum 283. virtus in ſtruenda acie 284
Epaminundas Thebanorum dux 268. famâ fit illuſtris 284. patriam ex clade ſervat 284. victor vulneratur & expirat 285
Epiſcopi Jurinenſis in Aretines perfidia 196
Equeſtri dignitate ornantur quatuor ex Piſtorienſibus 110
Equi ab hoſtibus per inſidias Gallis abducti 216
Erariciis Gothorum rex occiſus 14
Eucherius Stiliconis filius 12
Eudoxia Valentiniani uxor per violentas nuptias Maximo jungitur 13
Eugenius IIII. PP. Martino ſuccedit 263
Eugenius PP. de Græcorum unione cogitans Concilium indicit 265. Româ Florentiam fugit 263. deponitur 266
Excellentia omnis in civitate libera moleſta eſt 228
Executor juſtitiæ noviter creatur Florentiæ 83
Exules Bononiam migrant cum conjug. bus & liberis 34. Bononiam revertuntur 247. captis Florentiam ducuntur 77. conveniunt magna manu Boniti 41. donantur à Pontifice inſigni 35. Figinum occupare tentant 192. Lucam redeunt 93. ſpe erecti ad Henricum Imperatorem confluunt 89
Exules Athenienſes bellum movent 275. Piræeum ingrediuntur & victoriam conſequuntur 276 277. concordiam ineunt 27
Exules ad bellum Aretinum ex omnibus locis confluunt 5

Aret

Aretio inferunt 20. 58. Aretinorum urbem intrant ſtatimque repelluntur 138. Florentinorum auxilia implorant 60. mœnia Aretii duobus locis conſcendunt & diripiunt bona 201. Mugellanum agrum occupant 77. noctu Aretium capiunt 251. reſtitutionem a Carolo flagitant 164

Exules Florentini ad Carolum confugiunt 249. à Senenſibus recipiuntur 24. armati urbem ingredi auſi prohibentur 100. bellum movent 20. Clementi PP. pollicentur operam contra Manfredum 35. apertis portis intrant 31. Florentiam irruentes à civibus depelluntur 81. Florentiæ gubernacula Reipubl. ſuſcipiunt 250. Legatum occidunt 195. ut redire in urbem ſatagunt 102. revocantur Florentiam 39. reſtituuntur 53. Signiam occupant 33

Exules Genuenſes bellum movent Gallicum 124

Exules Miniatenſium opido bellum inferunt 178

Exules Piſtorienſes redeunt 120. muros ſcalis aſcendunt & urbē occupant 114. urbē ſcalis admotis intrant & caduntur 149

Exulib. Cremonenſib. & Parmenſib. mittuntur auxilia 97

Exulum ingens manus opprimitur 41. præſidium oppugnatur ab Aretinis 87. quidam revocati in urbem Florentiam redeunt 88. Florentinorum Legati reductionē præmiſſam flagitant 101. Florent. odium in Manfredum 36. reductio Florentiæ agitatur 79. Florentinorum ſtatus qualis 35. Thebanorum inſigne facinus 279. 280

F

Fabiorum ex familia trecenti ſex ad unum cæſi 6

Factiones in Hetruria duæ 19

Factum perinde haberi ſolet, ubi propoſitum fuerit agentis 132

Factum quàm promiſſum robuſtius 101

Fagiola à Guidone obſidetur 99

Fagiolanus vide Uguicio

Faliſci in Romanorum poteſtatem rediguntur 7. 8

Fama loco probationis 68

Fames Athenis horrenda 271

Farinata eques Florentinus 24. ejus prudentia ſingularis 26

Farinate uno cive Patria Florentia ſtetit 32

Farnetius coronam lauream accipere renuit 173 nummos argenteos percudit 173. moritur ibid. temerario cœpto victoriam conſequitur 173

Faventia pecuniâ venditur Principib. Ferrarienſium 181. manet in fide Pontifices 181

Faventinus Aſtorgius Actium & ſuos profligat 226

Febris ſoporifera & inguinis tumor in Italia 147

Federici ſecundi, Imperatoris origo 19

Feder. II. Imp. crudelitas & obitus 19

Federicus II. Imperator quandiu regnavit 19

Feder. II. Manfredi pater adverſarius Pontif. 36

Federicus II. Imperator tres Pontifices perſequitur, concilia contemnit: ejusq; res geſta & conatus 19

Federici Siciliæ regis cum Herrico Imp. fœdus contra Robertum 92

Federicus dux Auſtriæ capitur & ſecuri percutitur 46

Federicus Manfredi Proavus carpitur 36

Feroci ultima pœna 31

Ferrariæ Concilium indicitur 265

Ferrariæ ſitus 125

Ferraria obſeſſa à Legato Pontificis 125

Ferrarienſe bellum feliciter conficitur 226

Ferrarienſes victoriam obtinent adverſus Legatum Pontificis 126

Feſula 1. Catilinariæ factionis ſedes 2

Feſulani agri pars Syllanis militibus attributa 1. montes 11

Feſtinatio nimia victoriæ obeſt 6

Fidenæ Tuſcorum colonia 5

Fidenates à Romanis deficiunt 5

Fides in ſocietatibus nullâ re magis, quàm voluntate & animo violatur 132. ſi violatur, nihil in vita ſtabile eſſe poteſt 132

Fighinum opidum nobile 21. à Piſanis captum 173. mœnibus cingitur 166

Flagellum dei Totila dictus 14

Flaminia deficit à Legato Pontificis 126

Florentia ab exulibus dolo capta 81. amicitiam pretio non emit 235. bello & fame premitur 77. caput diverſæ factionis in Hetruria 32. condita a Romanis 1. dicta pro Fluentia 1. diviſa in ſex regiones 20. diviſa in tribus quaternas 144. duo condidit opida everſa an ab Attila vel Totila 17. everſa quamdiu jacuerit 17. facta ſui juris præſidiis & Imp. ſpoliata remanet 142. fame & morbo graviter laborat 147. fruſtra Victolinum obſident 98. incendio ardet & vicatim oppugnatur 80. inermis inter ſpem & metum dubia 151. Interdicto Papali obnoxia 71. 74. Interdicto liberatur 52. Inundatione aquarum affligitur 127. Legato Rodulfi Imperatoris parere recuſat 58. occupata ab exulibus 31. quadrifariam dividitur 143. rebellis fit contra Gualterium 141. reſtituitur in antiquum popularem modum 39. reſtituta à Carolo M. 71. trepidat ob adventum Herrici Imperatoris 90

Florentiæ annonæ caritas 186. 146. aquarum inundatio 126. Baſilica dedicatur 264. carceres effringuntur 198. centumviri magiſtratum emendaturi deliguntur 198. cives quamplurimi ob ſuſpicionem capiuntur 192. cives ſecum ipſi pugnant 139. conjurationes & delationes variæ 197. conjuratio patefacta 118. 240. Conſilia duo, populare & mixtum conſtituuntur 118 contentio oritur inter cives 41. Decemviri ad belli curam creantur 225. Duodecimviri creātur 98. diſcordia civium oritur propter octovirorum potentiam 189. factiones Albitiorum & Riciorum incrementa ſumunt 179. Gualterius Athenarum dux aſtipulante civitatis fece tyrannidem exercet 139. 140. horrendus Caſus accidit 233. incendia uno anno bis oriuntur 59. ingens tumultus ubi Janus Labella capitis damnatur 71. in Republ. mutatio vehemens 263. interdicitur ſacris 83. 84. ludi aguntur ob honorem Francorū regis 222. metus à Nobilitate incidit 126. modo plebs, modo nobilitas prævaluit 65. murorum partes & turres quædam perficiuntur 98. Nobilitas cur ad Reſpub. magiſtratus recepta 142. Nobilita. Princi. de cōjuratione deferūtur 102. nonaginta millia civiū capita cenſita 135. nova ſortitio Priorum & Magiſtratuum 104. nova turbatio ob Circulorum & Donatorum factiones

73. Octoginta viri creantur 190. octoviri ad bel-
li curam ſuſcipiendam creantur 180. oritur ſedi-
tio inteſtina 24. peſtis graſſatur 253. peſtis inſi-
gnes viros abſumit 203. peſte ſedecim millia ex-
tincta 135. peſte ſexaginta millia defuncta 148.
Plebeii duo Nobilib. in magiſtratu addũtur 166.
plebs dominatur 190. penuria perducuntur 57.
popularis ſtatus contra nobiles confirmatur 144.
Principib. Familiarũ interdicitur Reip. admi-
niſtratione 180. Priores ſpoliantur authoritate,
vexilliferi & ſocietates tolluntur & pecunia pu-
blica in privatos uſus convertuntur 140. pu-
riſſimi latices totâ urbe 2. quinquaginta famili-
arũ inimicitiæ vigent 96. quomodo civitatis ſta-
tus reformatus 142. ſacra reſtituuntur & inter-
dictũ tollitur 86. Scribarũ fraus deprehenditur
163. ſeditionẽ movet Donatus Azarolus 228. ſe-
ditiones graves 84. 77. 135. ſeditio inter plebẽ &
nobiles 144. tres vici 57. tumultus ob Gualterii
tyrannidẽ 141. tumultus Moriale Gallo cauſante
163. turbationes oriuntur 204. turbatio exoritur
ex nova lege 166. turris ædiũ publicarũ muri ac
portæ fulmine tacta 135. viri creantur ad mœnia
urbis inſpicienda 108. urbi interdicitur ſacris 76.
urbis famæ ex tollitur 222. laus 237
Florentiam Albatorum agmina veniunt 238
Florent. civitatis conditio miſeranda 193 nobilitatis
facinora 67. Reip. confuſio 74 forma inſtituta
66. fundamentũ maximũ ex parvo principio
cœptũ 145. gubernanda nova forma à Latino in-
ſtituitur 53. Poteſtas ad Populum redit 69
Florentina plebs in viginti ſocietates diſtribuitur 78
Florentini adverſus Bibienam bellum ſuſci-
piunt 169. adverſus Caſtru bellũ gerũt 97. 111 ad
obſidendũ Barbia. mittunt doctores 226. Agna-
nũ capiunt 153. amittunt caſtra 174 Anglos ad-
verſus Piſanos pecuniâ ſolicitant 175. à Piſanis
deſperati abſcedere cogũtur 128. à Piſanis juxta
Bargã cæduntur 172 apud Regẽ Francorũ malè
diffamati 224. arbitri inter Florent. & Mediola.
46. Aretinorũ agros vaſtant 65. Aretiũ ſuſcipi-
unt 131. arma ſumunt contra Herricũ Imp. 90.
à trib. hoſtib ſimul petiti 116. à Venetis rogati fi-
dejubent 200 auxilia equitũ mittunt Peruſinis
128. bellũ adverſus Galeatiũ ſuſcipiunt 209. bellũ
inferunt Piſanis ob Petrabonã captã 171. bellũ
in Hetruria fortiter ſuſtinent 212. Bononienſibus
auxilia contra Galeatiũ mittunt 246. Carmini-
anum cum arce in poteſtatẽ redigunt 117. Carolo
denegant fœdus 194. caſtella quædã Aretinorum
occupant 129 caſtella quædã exulũ populantur
& Saconẽ fugant 161. Catinũ obſident 121. cir-
cũventi ab hoſtib. conciduntur 130. cives excluſi
ad Piſanos ſe conferunt 135. cives inſignes cur ci-
vitatẽ reliquerint 31. conſultant de Luca ſibi ob-
lata recipienda 119. copias in Gallia & Germa-
nia conducunt 175. cum Carolo concordiã ineunt
195. cum civitatib fœdus renovant 88. cũ Fran-
corũ rege fœdus quærunt 226 cum Galeatio pacẽ
ineunt 220. cum Mediolanenſi inducias ineunt
ſed plenas ſuſpicionũ 235. cum Peruſinis & Senẽ-
ſib. renovant ſocietatẽ 129. cum Piſanis pacem
perficiunt 69. 177. cum ſociis fœdus renovant 72
221. cum Venetis fœdus redintegrant 265. de A-
retina capienda cogitant 200. de pace cum Peru-
ſinis facienda ſolicitantur eorumq; reſponſio 255.
dolo Anglorum decepti 174. durius reſpondent
Literis Galeatii 208. Eccleſiaſticis perſonis gran-
dia tributa imponunt 24. egent pecuniâ 91. egre-
giè pugnantes contra Fgutiũ tandẽ vincuntur
95. equeſtrẽ dignitatẽ quatuor Piſtorienſib. con-
cedunt 120. exercitũ excitant ex Gallia & Ger-
mania 211. exercitũ mittunt in Urbinates 203.
exulib. promiſſã reductionẽ denegant 100. Ferra-
rienſib. obſeſſis mittunt auxilia 125. fluctuant in
reducendis exulib. 102. fœdus ineunt cum civita-
tib. 224. fœdus ineunt cum Veronenſiũ & Man-
tuanorũ tyrannis 125. Gallos in Italiam ſollici-
tant 215. Germanorum minis cedere neſciunt 168.
169. Jacobum Armeniaci comitẽ è Gallia in Ita-
liã vocant 210. induſtriâ in terris prævalebãt 18.
intermedii concordiã Lucenſib. & Piſa. ſuadent
230. implorant Roberti regis opẽ 91. Johanni Ben-
tivogle auxilia mittunt 241. jus quod in urbe A-
retio habẽt remittũt 145. Legatũ Pontif. nolunt
admittere 84. Lucenſem agrum vaſtant 133. Lu-
cenſes fugant 130. Lucenſib. auxilia offerunt 227
Lucenſib. mittunt auxilia equitum 229. Lucã
obſident 97. Lucam fruſtra obſident 123. Lucam
tertio obſident 264. Ludovicum Imperatorem
contra Robertum vocant 138. malunt eccleſiam
quàm Bernabovem in propinqua habere 170.
Mantuanis ſubſidia mittunt 232. miſſis ſæpẽ
oratorib. inter Bononiẽſes & Ferrarienſes trans-
igunt 72. mittunt auxilia Legato Pontificis con-
tra Venetos 86 mittunt auxilia regi contra Ge-
nuenſes 97. mortuo Ladislao rege magno liberan-
tur metu 258. nolunt recipere Florianum ca-
ſtellum 200. ob civitatum defectionem in peri-
culo conſultant de ſalute 236. oblatam à Rege
Francorum protectionem cur non admiſerint
208. ob victoriam ab Aretinis reportatam tri-
umphant 64. pacem cum Duce Mediolanen-
ſi faciunt 263. pacem cum Galeatio ineunt 207.
pacem inter Senenſes & Peruſinos pronunciant
168. Patavium conſervare laborant 214. pe-
riculum imminens conſilio depellunt 180. perpe-
tui Piſanorum hoſtes 47. per octo Legatos Ca-
rolo de regno ſuſcepto gratulantur 196. Picini-
num vincunt & vexilla omnia hoſtium in Ur-
bem inferunt 267. Piſanorum injuriis vexan-
tur 166. Piſanos mari vexant 172. Piſanos vin-
cunt 21 Piſanum agrum populant 136. Piſas ca-
piunt 255. Piſis relictis Talamonem ſe transfe-
runt 166. Piſtorienſes ſubjectas habent 124 Piſto-
rienſib. pacẽ concedunt & quib. conditionib. 120.
Piſtorien. agrum deprædantur 165. Piſtoriũ con-
tra Pontif. monitionẽ arctius premunt 83. Piſto-
riũ obſident 82. Piſtorium graviter obſident ſed
ſine oppugnatione hoſtili 151. pœnas & cenſuras
Pontif. incurrunt 131. Pontif. ſententiâ damnã-
tur 185. populi fama acereſcit 169. populi mens
nimis proclivis 128. populi nomen àchoneſtatum
139. populi ſocietates diminutæ 83. Pratenſes
præſidio firmant 149. pro exulib. apud Robertum
regẽ intercedunt 94. pro Luca venali haſtæ ſub-
jecta offerunt CCL. millium 136. quidã conju-
rant contra Gualterium 141. reſpiciunt ad Ro-
bertum Imp 241. Roberti Imp. adventum in Ita-
liam magna pecuniarum largitione paciſcuntur
241. Roberti Pupis comitis filium ſuſcipiunt &
educant 239. Robertũ regẽ cum auxilio adverſus

Piſanos poſtulant 137. Robertum Italia retinere conatur 242. ſeditionē movent 38. ſocietatē ineunt cum Aretinis 85. ſocietatē quærunt apud Pontif. & Venetos 247. ſpe potiundæ Lucæ excidunt 128. Stephanū Bavariæ ducē in Italiā cum exercitu vocant 210. Steph. Bavariæ ducis propoſitum conſilium non probant 211. ſubſidia in Aretinos mittunt 209. temeritatis dans pœnas in prælio adverſus Senenſes 30. 178. tentoriū amittunt 56. totâ urbe clauſis tabernis populariter contra Caſtrutiū egrediuntur 99. trepidant ob Picinini in Hetruriā adventū 266. vanâ opinione Lucā occupandā negligunt 120. Ubaldinorū caſtella in poteſtatē recipiunt 180. Venetis diſſuadēt pacē Lucenſib. dare 135. veteres agri Senarū mœnibus conterminì 18

Florēt. Caro. Imp. gratia accepta. pecuniæ indigētia ſuſpecta 177. materia belli deeſt 264. pax Lucēſibus data moleſta 96. traditur urbs Aretina 202

Florentinus populus aſſertor Romanæ Eccleſiæ præcipuus 183. gubernacula rerū capeſſere nititur 20 pacem cum Piſanis ægrè fert 177

Florētinorū ac ſociorū Pax cū Præſule Mediolanēſi, ejuſq; cōditiones 162. amicitia cum Mantuano pervetus 223. arrogantia arguitur 226. caſtra occupantur ab hoſtib. 246. cives in Manfredi nomē jurare coguntur 31. conſiliū maturū contra Maſtinū 129. copiæ apud Sagonarā profligātur 261. copiæ Piſtorii opprimuntur 104. cū Roberto Imp. controverſia pro pecuniis promiſſis 242. cum Venetis cōcordia 261. cum Vene. diſſidiū 265. duces contra Galeatiū 218. equitū in bellum proficiſcētiū arma 96. & Venet. transfugia ſupra quinq; millia equitū 133. Humanitas in hominib. tēpore famis alendis 147. Legati à Carolo Imp. poſtulata conſequuntur 165. legati in Galliā ad Pontif. cōtra Mediolanensē mittuntur 159. liberalitas in Scarpariæ defenſores 157. non ſatis felix pugna cū Caſtrutio 106. 187. potentiæ finis 31. potentia impeditur Romanorū magnitudine 2. querelæ contra Pontif. gubernatores 181. reſponſio gravis ad Peruſinorū querelā 131. Reſpubl. Alborū nititur authoritate cōtra Nigros 75. reverētia erga Sedē Romanā 127. Societas cum Aretinis, Peruſinis & Senenſib. 145. ſocietas cum Peruſinis pro Tiferni recuperatione 103. ſocietas cum Urbano Pontifice 179. victoria contra Aretinos 63. victoria in Piſanos 52

Florentinos inter & Piſanos pax conſtituitur 47

Florianum caſtellum Florentini recipere nolunt 200

Fluentiæ vetuſtorum operum reliquiæ 1

Fluentia nova urbs ubi ſita & unde dicta 1

Fluvii ex Alpibus fluentes 216

Fœdus cū Aretinis rex Robertus init & quib. conditionibus 94

Fœminæ montanorum Italiæ Germanos captivos trahunt 167

Foggiæ Calabriæ opido moritur Carolus rex 57

Foreſius Adimar dux Hetruſcorum ad Regium 34

Formula proviſionis circa exules reducendos 88. tradendi Imperium Florentiæ 92

Fortunæ luſus è victore faciens victum 45

Franciſ. Sfortia Duci Medi ola. conciliatur 265

Franciſci Sfortiæ geſta quædam 263

Franciſcus Sfortiæ filius Lucā obſidione liberat 262

Franciſcus Uguicionis filius interficitur 95

Francum opidum à Florentinis conditum 72

Fronzola arx à Guidone Præſule capitur 98

Fucetium dolo Caſtrutii captum viriliter hoſtes expellit 103

Furii Camilli virtus admiranda 7

G

Galeatii copiæ apud Senenſes coeunt 231. Legati Florentiā mittuntur ad ſuſpiciones diluēdas 222. querela adverſus Flor. 207 Pax cum Florentinis 220. ejus mors 253

Galeatius ad populos in benevolentia continendos mirabilis 234. apparatū aſtute molitur 222. conqueritur de Riccii invectiva, & Florent. per loca ſua verſari vetat 207. cum Florentinis pacē init 207. dominus Piſarum efficitur 236. Florentinis bellum indicit 208. in carcerē traditur ab Imp. Ludovico 111. Mantuā aquâ terrâ; obſidet 232. Mediolanēſis titulū ducatus ab Imp. ſuſcipit 228 pacem affectat & moritur 248. Patavium capit 206. Peruſinos ſibi ſubjicere tentat 236. Piſas in poteſtatē ſuā redigere ſatagit 235. Veronæ & Vincentiæ dominus fit 204. Vicecomes in Hetruria motus excitat 111. Vicecomes è vita diſcedit 117

Galeotus Malateſta dux exercitui Florentino præficitur 76

Galliæ ciſalpinæ conditio 258. deſcriptio 215

Gallia ciſalpina fluctuat 99

Galliæ Propontifex 256

Galli Aretinorum arcem oppugnant 201. calore magis quàm ferro victi equos amittunt 216. contumaciter de Florentinis loquuntur 201. Florent. agrū ſpoliant 201. plebē ſervorū loco habent 139. per totam Siciliam trucidantur 55

Gallorum avaritia & Libidines in Siculos 55. clericorum intolerabilis ambitio 181. familia Florentia expellitur 69. tranſitus in Italiam 4

Gambacurtæ familia opulenta apud Piſanos 153

Gargonſa caſtellum occupatur 225. Florentinis redditur 226

Gebennenſis legatus de latere 181. Pontifex eligitur 188

Geminianenſes Florentinis ſubjiciuntur 148. cum Volaterranis de finibus certant 86

Genſericus Vandalorum rex occupat Romam 13

Gentilis Urſinus Florentinorum dux 66

Genua à duce Mediolanenſi recipitur 261. à Mediolanenſi deficit 264

Genuenſes Præſuli Mediolanenſi dominationem tradunt 163. ſuperant Senenſes 56

Gepidæ à Longobardis victi 15

Gerardus Piſanus Tuſcorū dux ſecuri percutitur 46

Gerius Volonianus carcere maceratur 41

Germani appetentiſſimi vini opprimuntur 26. equites ab Imper. Ludovico deficiunt 118. equites Italicis longè inferiores 242. equites mille ad Maſtinum transfugiunt 233. equites pecunia corrupti fiunt ſeditioſi 127. ignominiâ dimittuntur à Florentinis 174. in Italia ab accolis mōtiū opprimūtur 167. Lyndone duce terribiles ſunt Ital. 168

Germanorum manus in Italia terrores excitant 167 mox ex cæſi calvaria poculum conficere 15

Germanum opidum Tuſcorum virtute capitur 37

Getæ gens Scytica 9

Gibellinæ factionis homines urbe pelluntur 139

Gibellini affliguntur à Carolo rege 47

Gibellinorum factio in urbem reducta 250
Gibellinarum partium homines recipiuntur in urbem Aretium 196
Gibellinos ſuperatos eſſe in monumentis ſcriptū 64
Gethi à Romanis pulſi & victi 10. deficiunt à Romanis, & quæ cauſa 10. Italiam pervadunt 8. 9 nefas ducunt pugnare Paſchæ ſacra die 11. olim Getæ dicti 9. quamdiu in Italia dominati ſint 16
Romam incendunt & diripiunt 12
Gothorum duces Italiam vaſtantes 9. finis in Hetruria 11. reges in Italia 14. ſtrages ingens à Stilicone illata 11
Gratianus cum Gothis pacem firmat 11
Gregoriana Baſilica Florentiæ à PP. dedicata 51
Gregorii PP. ingenium & mores 257
Gregorio PP. adverſatur Fridericus II. Imper. 19
Gregorius Pontifex damnatus Pontificatu ſe abdicat 259. difficili navigatione in Italiam redit 187.
Romæ moritur 188
Gregorius IX. PP. ſuccedit Urbano 179
Gregorius X Pontifex eligitur 48. Populo & Urbi Florent. interdicit ſacris 51. moritur & Aretii ſepelitur 52
Græcæ literæ in Italiam reducuntur 252
Græciæ principatus ad Thebanos devolvitur 285
Græci ad Concilium Ferrarienſe conveniunt 265
Gualterius Athenarum dux Florentiæ præficitur 139. ejusq; ſævitiæ 139. 140
Gualterius Florentinos de vi illata accuſat, & damnorum compenſationem poſtulat 145
Gualterius urbe emittitur 142
Gubernantur omnia cœlitus 258
Guelfarum partium duces Florentiæ 41
Guelforum & Gibellinorum nomina ne ipſis quidem qui proferunt nota 48
Guelforum factio Aretio pulſa 131. diviſa 73
Guelforum nomen in Arvienſi pugna deletum 131
Guelfus Aretinorum Prætor artium turbas movet 58. excæcatur ibid.
Guelfus Bondelmontes civibus arcem Aretii tradit 142
Guido Præſul Aretii dominatum ſuſcipit 97. coronat Ludovicum Imperatorem 111. Fagiolam & Rondineo obſidet & occupat 99. Florentinorum ſocios belli cladib. infeſtat 103. Fronzolæ arcem capit & Voconianum evertit 98. morbo interit 113
Guido cognomento Guerra diverſæ factionis homines expellit 22
Guido comes Florentiæ pacem & regis gratiam reſtituit 96
Guido Guerra exulum Florentinorum dux 35
Guidoni Novello poteſtas Florentiæ à Manfredo demandatur 31. 33
Guido Ferotrānus fit Piſanorum dux 61. caſtella amiſſa recuperat 65. Pontem ad Heram fluvium fraude capit 66. prælium detrectat 66. Romæ in præſidio a Corradino relictus 48. multa moliri audet 54
Guido ſcriba ordinem Magiſtratus Florentini aperit 228
Guglielmus Filibachius Germanorum dux 193
Guilgelminus Aretinorum præſul caſtrum Cæciliæ occupat 57. tyrannidem invadit 58. prælians occiditur 63. 131
Gythium à Thebanis oppugnatur 281

Hera fluvius 21. 61
Herba amaro ſucco aquam inficiens 134
Herrici Imperatoris Legati tria à Florentinis poſtulant 86
Herrici Imperatoris in Italiam adventus 89. obitus 92 corpus Piſas transfertur 93
Herricus Imper. caſtra habet apud templum Salvianum 91. edicta contra Robertum regem & Florentinos imponit 92
Herricus Federici filius perſecutor acerrimus 36
Herricus Imperator Laterani coronam aſſumit 89
Herricus Imperator ſingulis civitatibus Præſides imponit 89
Heruli Italiam irruunt 13
Hetruriæ civitates ſocietatem renovant 159
Hetruria diviſa in factiones 19. ferè tota Manfredo paret 34. in poteſtatem Romanorum venit 8 tota bello fluctuat 129
Hetruriam ſibi reſervat Pontifex 40
Hetruſca gentis initium vetuſtiſſimum 3. 4
Hetruſca diſciplina 4. gens in duodecim populos diviſa & unde dicta 3. virtus quando conſenuerit 8
Hetruſci Romanos vincunt & includunt 6. Romanorum ſocii appellati 8
Hetruſcis nimia feſtinatio victoriam perdit 6
Hetruſcorum clades apud Sutrium & Vadimonis lacum 7. laus 4. nomen ante Romanum Imper. inclytum 3. origo 3. pugna cum Romanis 7
Hetruſcos quæ res peſſum dedit 8
Honoris magis quàm utilitatis habenda ratio 154
Hildebadus Gothorum rex occiſus 14
Hippodromus Thebanorum 281
Hiſpani duo regii generis adverſus fratrem movent ſeditionem 43
Honorius PP. Roman. Martino ſucceſſit 57. ab Imperatore Friderico II. afflictus 19. obit 59
Horatii Coclitis factum & honores 6
Hoſtes ad invicem humanam ſocietatem obſervēt 7
Hoſtium numerum augere qui juſtè dicuntur 274
Hunni gens Scythica 12
Hunnorum gens opprimit Gothos 10

I

Jacobus Appianenſis ſcriba Imperium Piſis arripit 224. Piſarum dominus efficitur 255
Jacobus Stroza quatuor Piſtorienſium equeſtri ordine inſignivit 120
Jacobus Vermis dux militiæ in Piſanos movet 218
Janiculus mons à Tuſcis occupatur 7
Janus Labellus deformitatem Reſpubl. Florentinæ tollere nititur 67. in exilium Florentia pellitur 70
Ibor dux Longobardorum 15
Ignis medicatus Florentiæ 80
Ignota plura quàm cognita hominibus 27
Ildebrandinus Ottoboni filius pacem inter Florentinos & Piſanos firmat 28
Imola obſidetur per Johannem vicecomitem 149.
occupatur à Picinino 265
Imperandi cupiditas cuiq; celſo animo indita 154
Imperatores Romani illaudati qui 9. miſerè qui trucidati 9
Imperator Græcorum ad concilium Ferrarienſe venit 265
Imperatorum & Pontificum inimicitia multorum bellorum cauſa 18

Imperii

Imperii Romani diviſio 61
Imperium ad Germanos translatum 17. occidentale quando ceſſavit 16
Improviſa fortibus viris periculum afferre ſolent, proviſa nunquam 28
Incendia Florentia 59
Indagationi nunquam concedendum ubi utilitas perquiritur 26
Ingenium invictum multa reparat 134
Inimicos protegerent amicos impugnes nihil indignius 49
Injuriam ab hoſte quàm à ſocio æquiori ferimus animo 32
Innocentium PP. Frideric. II. Imp. perſequitur 19. fovit Manfredum contra Corradinum cujus tutores dejecit 23. moritur. ibid. ſuccedit Bonifacio 253. in ſummo periculo fugam capeſſit 255. à Romanis revocatur 255. moritur 256
Innocentius V. Pontifex creatur 52. moritur 52
Interdicto Florentia gravatur 74. 76. 83. 84
Interdictum Pontificis Florentia tollitur 52. 86. 191
Invidia & contentio conſueti civitates morbi 143
Inundatio Lucæ 126
Inundatio miranda 46
Johanna regina Andreã Caroli regis filium laqueo ſtrangulari procurat 148. à Carolo ſuperatur & necatur 250
Johannes Actius famam & potentiam ſibi comparat 204. obit 210
Joãnes Agnellus Piſanæ urbis dominatũ arripit 177
Joannes Agus dux Bernabovis Florentinos aſtu vincit 178. militiæ dux Florentiæ diem obit 225. hoſtes profligat 219. in periculo conſtitutus vincit 217
Johannes Aretinorum præſul Rempubl. affectat & pellitur 188
Johannes Barbiani comes Bononienſium dux exercitus 219. comes incredibili odio in Florentinos exarſit 229. vide Barbian.
Johannes Bentivogla in Bononienſibus dominationem ſuſcipit 240. fœdus cum Florentinis renovare recuſat 241. fortiter dimicans ſuccumbit & occiditur 247
Johannes Cambi falſo accuſatur de cõjuratione 197
Johannis Galeatii laus & connubium cum regis Francorum filia 202
Johãnes Galluira cũ parte civiũ Bononia pellitur 51
Johannes Medices Florentinus eques capitur 122. ſecuri percutitur 139
Johannes Medix armis per hoſtes viam aperiens, Scarpariam ingreditur 156
Johãnes Pontif. admiſcet ſe certaminib. 97. auxilia petit à Florentinis 99 Conſtantia aufugit 298. capitur, Imperatori traditur, & Pontificatu ſe abdicat, pœnitens moritur 259
Johannes XXI. PP. eligitur 52. moritur 127
Johannes XXII. Pontifex ab Imperatore factus Cardinales ſibi creat 115
Johannes XXIII. Pontifex creatur 257
Johannes rex Bohemiæ in Italiam vocatus Bergomates ſuſcepit & Lucam obſidione liberat 123. 124. item Parmam, Rhegium &c ibid. donat Lucam regi Francorum 127
Johannes Vicecomes Mediolanenſium Præſul imperat per Galliam 148. Legates ad Piſanos mittit ad ſuſcipiendum bellum contra Florentinos 153. quibus conditionibus cum Florentinis atq; ſociis pacem fecerit 162
Johannes Vicedomin. per media hoſtium caſtra Scarpariam ingreditur 156
Johannes Urſinus Pontificis Legatus in Hetruriam mittitur 118
Johanni Riccio poſt pacẽ additi compedes & 30000. florenorum redemtio indicitur 221
Joannis Barbiani cõtumelioſa verba in Florent. 226
Joannis Epiſcopi Aretini captivitas 251
Johãnis PP. & Sigiſmũdi Imperatoris diſcordia 258
Johannis Regini ducis prudens conſilium à civibus Florentinis exagitatur 178
Joannis Riccii oratio in Galeatium 205
Johannis Vicecomitis & Præſulis hypocriſis 151
Jordanus cum equitum copiis à Manfredo Senenſibus in auxilium mittitur 26
Jordanus Hetruſcorum dux capitur 37
Jottus inſignis pictor 127
Iphicrates Athenienſium exercitus dux 281
Iſmenias & Leontiades æmuli 279
Iſmenias Theban. capitur & ſupplicio afficitur 279
Italia à Gothis vaſtata 9
Italiæ civitates quando ad libertatem paulatim reſpicere cœperint 17
Italiam qui populi poſſederint 9
Italici equites quantum præſtent Germanis 242
Itali extero milite utuntur 252
Jubilæus annus à Bonifacio PP. inſtitutus 72
Jurisjurandi transgreſſores divinitus puniũtur 279
Juriſperitorum ingenium quale 88
Juſtitiæ ſplẽdor vincit, quos ignis & ferrũ nõ potuit 7
Juvenes plerumq; fervor & audacia præcipitat 218

L

Lacedæmonii à Thebanis victi amittũt Principatum 278. Athenienſibus pacem concedũt 272. ſemper duos habebant reges 278
Lacedæmoniorum gubernandi forma optima 274. pax cum Athenienſib. 280. res florentes fortuna ſubvertit 278
Ladislai regis Ungariæ ſumma calliditas 253. victõ dictum in hoſtes 257
Ladislaus rex Ungariæ Piſanum Concilium impedire conatur 257. Romã occupat 257. moritur 258
Lambertorum familia ſplendidiſſima Florentiæ 39
Lampſaci oppugnatio 269
Larius lacus 216
Laterinum ab Aretinorum præſule obſeſſum 108. Florentinis traditur 59
Latinus Legatus Pontificis civium pacem ac reductionem exulum Florentiæ obtinet 53
Latrocinia exercentur in agro Aretino 229
Latrocinii ſocietas 222
Legati exulum ad regem Manfredum miſſi, eorumque oratio 24. 25. Florentini in manus hoſtium deveniunt 216. Pontificis in Florentinos auſteritas & dolus 180
Legatus Pontificis caput omnium malorum in Flaminia & Hetruria 127. exules vi reducere præſumit 84. novũ tumultũ Florentia excitat 80
Leges viginti ſocietatum Florentiæ 79
Legibus & Judiciis libertas continetur 67
Lentulus ob Catilinariam conjurationem ſupplicio affectus 2

Leonardus Aretinis author, captivus abducitur 251. decemvir Florentiæ creatur 266. vocatur à Boniſacio PP. 254. magnũ periculũ adit 254
Leontiades & Iſmenias æmuli movent ſeditionem Thebis 279. Thebas prodit 279. ab exulib. Thebanis occiditur 280
Leopoldus Auſtriæ dux ab Imperatore recedit 242
Leo Pontifex Attilæ feritatem emollit 13
Levitatẽ conſilii non bonus exitus redarguit 227
Lex contra nobilitatem Florentinã exaſperata 145. contra potentiores familias Florentiæ lata 69. de vexillifero Juſticiæ Florentiæ lata 65. in cives ingrata 146. in Clericos Florentiæ lata 146. monitoria Florentiæ 189. non nominanda quæ Reipubl. infamiam parit 146. nova de Magiſtratu ſuſcipiendo 166. inquis Florentinus domo abſit 201. qua Principib. familiarũ Reipubl. adminiſtratione interdicitur 180. quibus opidorum domini à Magiſtratu cohibentur 170
Libertas duabus rebus continetur 67. non ſolùm pecuniis & opibus ſed vitæ etiam anteferenda 205. reprehendendi ſæpe obeſt 228
Libertate amiſsâ omnia id victoris transeunt poteſtatem 214
Libertatis duo maxima præſidia 143
Liburnum capitur & incenditur à Genuenſibus 65
Licinianum opidum à Senenſibus receptum 203. à Florentinis ad hoſtes deficit 209
Lictores duodecim unde Romanis 4
Lilium Inſula à Florentinorũ navib. occupatur 172
Literæ Galeatii ad Florentinis 208
Literarum bonarum incrementa in Italia 252
Longobardi Italiam opprimunt 15. quamdiu Italiam tennerint 16
Langobardorum interregnum 15. regnum quamdiu in Italia duravit 15
Loſole Caſtellũ à Florentini obſidione liberantur 160
Lotharius rex Italiæ 17
Lotharius Præſul 78
Lucæ dominantur hoſtes, cives exulant 94
Lucæ præſens à Tarlato præficitur 117
Luca à Florentinis pro certa ſummâ pecuniæ recipitur 136. à Piſanis occupatur 93. civitas Caroli regis amiciſsima 42. Florẽtinis oblata negligitur 120. in Piſanorum poteſtate exiſtens, proditione tentatur 172. occupatur à Germanis 119 obſidetur à Florentinis 264. obſidetur & à Sfortia liberatur 262. Piſanis à Præſidib. relinquitur 139. quibus conditionib. à Germani oblata Florentiæ Reip. 119. regi Francorũ donata 127. Spinulæ Genuenſi traditur 121. venali haſtæ ſubjicitur 136
Lucã capeſſunt Piſſani 121. obſeſſam à Florentinis liberat Joãnes rex Boëmiæ 124. obſidẽt Piſani 136
Lucẽſe bellũ Maſtino authore ex integro naſcitur 129
Lucenſes ad Galeatiũ inclinant 236. à Florentinis in fugã vertuntur 34. arcẽ à Caſtrutio ædificatã deſtruunt 179. cum Florentinis fœdus renovare nolunt 239. cum Venetis de pace agunt 135. deficiunt ab Uguicio Fagiolano 96. Florentinos infeſtãt 92. fœdus cum Florentinis faciunt 34. in fœdus Florentini populi concedunt 228. perpetui Piſanorũ hoſtes 47. Roberto poteſtatẽ ſui tradũt 93. Rudolfi Imp. præfecto parere nolunt 54. ſub tyrannis jura libertatis obliviſcuntur 179 urbe pellũtur 93
Lucenſibus libertas reddita 179. pax quibus conditionibus à rege data 96
Lucenſium ſeditio 93
Lucenſium ſuaſu novi Magiſtratus Florentiæ 78
Lucenſium victoria in Piſanos 52
Luceria urbs cauſa diſcordiæ inter regem & pontificem 203
Lucetium opidum fruſtra obſidetur 33
Luc. Brutus in bello cadit 6
Lucumones Magiſtratus 3
Ludicra in caſtris exercentur 215
Ludicra tria eduntur in caſtris Caſtrutianis 107
Ludicrum equorum curſu decertantium editur à Florentinis 59
Ludi in hoſtium caſtris 175
Ludi magiſtri ſceleſtium Conſiliũ 7. ejusq; pœna 8
Ludovici Andegavenſis adventus magnos rerum motus ſuſcitat 200. ejus mors 251
Ludovici Andegavenſis legati petunt auxilia à Florentinis 199
Ludovici regis Ungariæ mors 251. Legati Ungariæ petunt à Florentinis ſocietatẽ pro Carolo rege 199
Ludovicus Andegavius à Johanna regina adoptatus 249. cum ingenti exercitu ingreditur Italiã adverſus Carolum 250. ad reginam liberandam transit 198. in Apulia morbo interit 201
Ludovicus Andegavenſis ſecundus 257
Ludovicus Bavariæ dux Imperator in Italiã vocatur adverſus Pontificem 111. & coronatur ibid.
Ludovicus rex Italiæ & Imperator 17
Ludovic. Imper. Caſtrutii filios in privatã redigit formam 118. conventum indicit Urceis 112 coronatur Romæ à Sciarra Columnenſi 113. deſcendit in Galliam 119. ex Italia in Germaniam redit 123. Florentiam invadere conatur 116. Piſanis Tarlatum præficit 117. Piſas obſidet & pactione recipit 113. Pontificẽ Johannẽ XXII. creat. 115
Ludovicus Hungariæ rex Italiam intrat fratris necem ulturus 148 moritur 200
Ludovicus Marſilius Theologus 200
Ludovicus rex Galliæ moritur 47
Ludovicus Roberti regis nepos profugus in agrum Florentinum pervenit 147
Lugdunenſis ſynodus 51
Lugdunium Galliæ urbs 11
Lupus media die Florentiam urbem ingreditur 146
Lycomedes interficitur 282
Lycomedis Montinæi factum 281
Lyſander occiditur 278
Lyſandri & fratris contra exules expeditio 277. victoria 270
Lydi Italiam advecti 3

M

MAceretariæ aqua 92
Machinas ad expugnandum fabricans, bellum inferre dicendus 245
Mœonia Hetruſcis dat originem 3
Magiſtratuũ ſortitio Florentiæ inſtituitur 102. 103
Magiſtratus duo Florentiæ juri dicũdo præerãt 65
Magiſtratus Florentiæ laqueo ſuſpenditur 190
Malateſtæ ducis nomẽ Florentiæ minus acceptũ 139
Malateſta Verruchianus Florentiæ præficitur 41
Manfredi nomine cuncta geruntur Florentiæ 31
Manfredo tota ferè Hetruria paret 34
Manfredus Friderici II. filius Florentinorum princeps regni Siciliæ partes occupat 23. Florentinos diſſipat 37. Pontificibus inviſus 35. regium nomẽ invaſit 25 pugnans occiditur 37

Mantinea mœnibus cingitur 281
Mantua Hetruſcorum colonia 3. à Galeatio aquâ terrâq; obſidetur 232. auxilio Florentinorum liberatur. 233
Mare Adriaticum 3. Tuſcum 3. Tyrrhenum 3
Martini Pontificis abdicatio an juſta 259
Martino papa non valet uno quatrino 259
Martinus Pontifex Romam ſe confert 260
Martinus IIII. PP. creatus 54
Martinus V. Pontifex eligitur 189
Martis templum Florentiæ 1.17
Maſtini Luca capienda fraus, & in poſtulandis impenſis improbitas 128
Maſtinus Veronenſium tyrannus 125. Lucam venali haſtæ ſubjicit 136. oratores de pace tractanda ad mittit 134
Mattheus Oſtiẽſis Legatus fruſtrà Florẽtiã miſſ⁹ 74
Matronæ opidum dimittere Piſani coguntur 23
Maximianis bellum Parthicum ſuſcipit 10
Maximus Imperium occupat & Eudoxiam violentis nuptiis ſibi jungit 13
Mediolanenſis Legati accuſant Florentinos apud Venetos 244
Mediolanenſis potentia creſcit 241
Mediolanenſis Ducatus ab Imperatore conſtituitur 228
Mediolanum à Federico Imp. everſa. 19. 36. capitur ab Albuino 15
Menenius Conſul cæſus 7
Mens conſcia virtutis ſuperare hoſtem præſumit 22
Mens hominis ſibi ipſi nimis credula 19
Mercatura ad incrementum urbis attinet 2
Meſſana à rege Carolo obſidetur 55. terrâ mariq; oppugnatur 45
Metius Suffetius Albanorum Dictator 5
Metum oſtendere, cum alij non metuunt, turpe 220
Michael vexillifer ſupremum civitatis Florentiæ excidium avertit 190
Militaris diſciplina ad Italos redit 252
Milites exteri in Italia 252
Militum temerarius motus 219
Mincius amnis 13. in Padum influens 17
Minervæ templum Athenis 278
Minias opidum Florentinis deditur 147
Miniats per inſidias petitur, fortunâ ſervatur 231 *proditione capitur* 179
Miniatenſes inſciis Florentinis ſociis ſeſe Carolo Imp. tradunt 164
Miniatenſes opidum Bernabovi tradunt 178
Miniatenſis præſes nefariè occiditur 230
Mithylenæ ab Athenienſibus defectio 271
Mœnia Florentiæ ædificata 72. producuntur 57
Monomachia Britonum & Bononienſium 186
Mons opidum & arx Florentinis deditur 111
Montagnana Patavinorum opidum 217
Montauina arx per fraudem occupatur 239
Montarea caſtellum exulum diruitur 21
Montẽ quantitatẽ pecuniarũ vocant Florẽtini. 146
Morialis Gallus Umbriam & Hetruriam latrociniis infeſtat 163
Mori pro patria præſtat quàm infamiæ ſupereſſe 30
Munio fluvius juxta Florentiam urbem 1
Murlum graviter à Caſtrutio obſeſſum tandem deditur 109
Mutina inteſtinis ſeditionibus jactatur 34
Mutro caſtellum aſtu capitur 42

N

Nardus Bordo damnatur, unde tumultus Florentiæ 104
Narſes Eunuchus Gothos in Italia delet. 14 *ad penſa contumelioſè revocatus Longobardos in Italiæ pernitiem ſollicitat* 15
Neapoli Corradinus ſecuri percutitur 46
Neapolis Gothis favens à Beliſario expugnatur 14
Nepoleo Urſinus Card. componendam Hetruriam mittitur à Pontifice 83
Nerii Fagiolani verſutia 129
Neronis ſævities 9
Nerva Imper. primus ſibi conſortem Imperii delegit 16
Nicolai Picinini à Florentinis defectio 261
Nicolaus Acciaiolus militarum urbium dominator 170
Nicolaus Galeatii Legatus Florẽtinos diffamat 224
Nicolaus PP. apoplexia correptus moritur 53
Nicolaus III ad Pontificatum aſſumitur 52
Nicolaus Pratenſis PP. Legatus Florentiam miſſus plebi adhæret 78 de reducendis exulibus apud Pontificem acerrimè ſolicitat 83 Legatus dolo Florentiam exulibus tradere conatur 81
Nobiles Florentiæ videntur intolerabiles 143
Nobilitas in magiſtratu Florentino ſæviri deprehenditur 166 invidiâ concertans præeminẽtiam amittit 67
Nobilitatis Florentinæ potentia diminuitur 144 cum plebe acris concertatio Florentiæ 71 pars pulſa in urbem redit 104
Nobilitatis peculiare malum Superbia & Ambitio 58
Novelli cum plebe Florentina pugna 38
Novellus bello præficiendus in Hetruriam à rege mittitur 95
Novellus Lucenſium fines & agros vaſtat 33
Nuptiarum repulſa magni initium mali 39

O

Objecta atrociter, placidè repelli non debent 132
Occaſio frõte crines, ponè calvitiẽ habet 120
Octavianus Cardinalis adverſus Manfredum miſſus 23
Octoginta viri, qui audiant querimonias, Florentiæ creantur 190
Octo viri ad curam ſuſcipiendam belli creantur Florentiæ 180
Octo viri Florentiæ poſtulant ut Priores in ſua decreta jurent 191
Octoviris Florentiæ prorogatur imperium, unde civium invidiam incurrunt 187
Octovirorũ potentia ab optimatibus invaditur 189
Oddo Diaconus ad Pontificatum eligitur 259
Odoacer quamdiu Italiam poſſederit 16. ſuperat Oreſtem & Romam capit 13. occiditur 14
Odio qui conſulit nunquã non malè conſulit. 32, 154
Olegianus obſidionem Scarpariæ diſſolvere cogitur 157
Olegianus verſus Florentiam ducens loco quædam occupat 152

Olympia urbs obſidetur 283
Olympiorum certamen 282
Olynthii civitas Thraciæ magna 278 Lacedæmoniis parent 279
Oratio Actii Vicecomitis ad commilitones 107 Alexii Rentii Legati Florentini ad Carolum Roberti regis filium 109 Caroli regis ad Hetruſcos 36 Critiæ in Theramenem 273 exulum Aretinorum ad Florentinos 58. Exulis Athenienſis ad populum 276 Exulum Florentinorum urbem ingredi cupientium 100. Farinata de Florentia urbe non evertenda 32 Florentini cujuſdam diſſuadentis reductionem exulum 101 Florentini Magiſtratus Legatis Peruſinorum reſpondentis 132 Florẽtini magiſtratus reſpondentis Bononienſiũ legatis 219 Florentinorũ Legati reſpondentis Galeatii Legatis 245 Florentinorũ Gregorio X. PP. reſpõdentiũ 49 Franciſchini Gãbacurta ad populũ Piſanũ 254. Gregorii Pontificis querela Florentinorũ reſpondentis 184 Gregorii X. PP. ad Magiſtratus Principesq; Florentinos 48 Guidonis Guerra ad Carolũ regẽ nomine Hetruſcorũ 36 Iani Labelli ad cives Florentinos de reformãda republica 67 Johannis Riccii contra Galeatium, 205. Jordani ad Senenſes pugnã inituros 29 Legati Aretinorũ ad Carolũ Imperatorẽ 164 Legati Bononiẽſiũ ad Florentinos 213 Legati exulum ad Manfredũ regem miſſi 24 Legati Florentini ad Gregoriũ Pontificẽ 181 Legati Peruſini ad magiſtratũ Florẽtinum 131 Leonardi Aretini ad Martinũ Pontificem 259 Mediolanenſis Legati in Senatu Venetorum 244 Pini Toſa ad populum Florentinũ de Luca ſuſcipienda 119 Rainaldi Ianfiliaſtii ad magiſtratũ 236 Senis cujuſdam Piſtorienſis ad populum 150 Toglarii Aldobrandi filii Adimaris 27 Theramenis ſeſe excuſantis 274 Ugolini comitis de pacandis Florentinis 56
Oreſtes ab Odoacre ſuperatur 13
Oſtia urbs colonos è Sardinia accipit 17
Oſtina à Florentinis obſeſſa 46
Oſtrogotha 10
Otto Arrigini filius Fiſantii Bondelmontem miſerè trucidat 40

P

PAce exulante neq; civitas neq; domus ſalva eſſe poteſt 48
Pactii & Ubertini Hetruriam infeſtant 152
Pactiorum genus opprimitur 145
Pactius ſignifer ab abbate Bucca ſcelerate cæſus 30
Padus fluvius 3
Palatium Florentiæ fundatur 72
Pandolfus Malateſta copiis Florentinorum præficitur adverſus Germanos 169
Panormitani omnes Gallos occidunt 55
Papia à Carolo magno obſeſſa 16 Longobardis deditur 15
Papæ ingens magna Servitus 266
Patavina urbs Carrarienſi adjudicata 220
Patavinis penſio pecuniarum imponitur 220
Patavium ad Imperiũ additũ 252 a Florentino exercitu recuperatur 211. à tyranno liberatur. 134 captum à Galeatio 206
Patientia magnitudine, injuriarum in furorem vertitur 55
Parma capta, à Maſtino ſuſcipitur 128
Parmenſibus exulibus mittuntur ſubſidia 97
Paſcha ſacra die pugnare nefas ducunt Gothi 11
Paulus Guiniſius Lucæ imperium arripit 239
Paulus Guiniſius dolo ſuorum capitur 262
Pauſanias Lacedæmoniorum rex prælio vincit Athenienſes 277 in exilium agitur 278 & moritur ibia.
Pax affinitate & nuptiis firmata 39
Pax eſſe non poteſt ubi contentio de Regno eſt 21
Peccioli caſtellum Piſanis reſtituitur 70 opidum Florentinis deditur 172 Pecuniarum publicarũ ratio Florentiæ poſcitur 78
Pelaſgi à Lydis pulſi 3
Peloponneſiacum bellum finitur 272
Pennones minora vexilla Florentinorum 102
Perfido fides non eſt ſervanda 133
Pericles Athenienſium princeps 168
Periclitari malle quàm vincere, dementiſſimũ eſt 28
Perſarum regis factum 278
Peruſia in poteſtatem Pontificis venit 253
Peruſini ab Aretinis in fugam vertuntur 128 Bettonam occupant 162 Libertatẽ ſuſcipiunt 181 recedunt à ſudore Piſis illo 207 ſeſe Legato Pontificis dedunt 179 totos ſe permittunt Galeatio 238 vaſtant agrum Aretinum 129 ubertate ſoli potentes 16
Peruſinorum antiquiſſima potentia 18 equitatus à Sacone multâ cæde opprimuntur 155 motus pugna cũ Sacone 159 ſocietas cũ Florentinis 129. 145
Peſtis Florentiæ 135. 239. 253 inſignes viros abſumit 201 in Italia graſſatur 14. 15. 147. 148 populum Senenſem affligit 213
Petrabona caſtellum per privatos occupatur 171 Florentinis à Piſanis redditur 177
Petramala opidum ad ſolum evertitur 202
Petrarcha Poeta pater Dantes 79
Petrus Arragonum rex ad regnum Siciliæ vocatur 55 & recipitur. 56
Petrus Gallus necem Caſtrutii meditatur 110 capitur. ibid.
Petrus Gambacurta diſcurſiones facit in agrum Piſanum 171. Florentinis pacis ſuaſione arma manibus extorquet 207 gubernationem Piſis ſuſcepit 178 interficitur 223. 224. 255
Petrus Roberti regis frater in Hetruriam mittitur 94
Petrus Sacon tyrannidem Aretinorum ſuſcipit 115 dominatus Aretii poſt Guidonis mortem 127
Petrus Ubertus eques Florentinus longo carcere finit vitam 37
Petrus Vergerius Iuſtinopolitanus 253
Philidas Thebanus Scriba, ejuſq; audax facinus 271
Philippus Galeatius primi ducis Mediolanenſis filius 218
Philippus Mediolanenſis cum Pontifice redit in gratiam 263
Philippus regium nomen Galliæ ſuſcipit 47
Philippus Roberti regis frater exercitum Florentinorum ducit 96
Philippus Tydeius tyrannidẽ Piſtorii affectat 104
Philocles juſſu Lyſandri mactatur 170
Phlixaſii ab Ageſilao domiti 279
Phritigernus Gothorum regulus 10
Phyla caſtellum occupatur à Traſibulo 275
Picininus ſuperatur à Florentinis 267

Pipinus rex Italiæ 17

Piſana urbs in poteſtatem Mediolanenſis devenit: poſt traditur Florentinis 255

Piſani ad libertatem ſpectantes Tarlatum præſidem depellunt 121 à Florentinis profligati 52. à Florentinis victi 21. à Florentinis victi ad iniquiſſimam compelluntur pacē 23 adverſus Carolum regem ad populandam maritimam oram naves mittunt 44. 45. claſſe potentes 18. Anglorum gentes conducunt adverſus Florētinos 173. capiunt Figinum 173. capti ad ſpectaculum Florentiā per urbē devecti 176. caſtellū Petrabonæ capiunt 171. cum Florentinis de pace agunt 177. cū Gualterio Florentinorū præſide ſocietatē ineunt 140. defectionem ab Uguitione meditantur & interficiuntur 95. ducem quærunt 93. Florentinos profligant 137. in ſummo metu Lucā potiuntur 93 invitant homines ad delicta perpetrāda 171. Lucam oblatam capeſſant 121. Ludovicum Imperatorem excludere ſtatuunt 112. mari prævalent 47. pacem faciunt cum Florentinis 121 pacem cum Florentinis factam frigide ſovent 70 pacem poſcunt à Florentinis 22 ſeditione agitantur 51 ſubjiciuntur Galeatio 236. Telamonis portum impedire conatur 170

Piſanis innumeræ clades inferuntur 65 motus ingens oritur 223

Piſanorum civitas ſub Petri Gambacurtæ gubernatione 223 mari quam terrâ robur nobilius 18 portus fractis catenis & Florentiam deportatis expugnatur 172 prælium cum Lucenſibus 21 triremes quatuor capiuntur 56

Piſanum concilium 257

Piſanus populus nocendi avidus 176

Piſa obſidetur à Florentinis 56

Piſarū urbs ab Imperatore Ludovico occupatur 113

Piſas capiunt Florentini 255. occupant filii Caſtrucii 117

Piſis Jacobus Appianus ſcriba imperiū arripit 224 motus ingens oritur 234 tumultus ob Agni præſidis caſum 178

Piſcia oppidum ad ſolum evertitur 54

Piſtorienſes à Florentinis pulſi 20 expellunt Caſtrucii filios 118. in poteſtatem Florentinorum redacti 83. mœnia diruta reficiunt 86. pacem ineunt cum Caſtrucio 98. per Gualterii ruinam libertatem conſequuntur 142. quærunt pacem a Florentinis 120. ſubjecti Florentinis 124

Piſtorienſium ex familiis quatuor equeſtri dignitate inſigniuntur à Florentinis 120

Piſtorienſium Priores inhoneſtum conſilium ſuſcipiunt 149

Piſtorii ſeditio oritur 241

Piſtorium ab civitatibus Hetruriæ obſeſſum 82. à Florentinis obſeſſum 21. à Florentinis ſine hoſtili oppugnatione obſeſſum 151. Caſtrucio deditur 104. 116. diruitur mœnibus deſtructis & foſſis completis 83 fugatis Caſtrucianis expugnatur 114. obſidetur à Florentinis & Lucenſibus 77. oppugnatur ab Olegiano 152

Pœna in præfectos qui arces dederunt cōſtituitur 145

Policianum in bonis Florentinorum 206. Florentinis traditur 252

Pollentia urbs 11

Pomœria Florentiæ perducuntur 57

Pons ad Carariam dictus corruit 80. ad Herani fluvium à Florentinis egregie munitus fraude capitur 66. Igneus Florentia ad dedicationem Baſilicæ mirificè ædificatur 264

Pontifex Romanus an injuſſu Populi Imperatorem crearit 16. ab Imperatore conſtitutus 115. Romanus admiſcet ſe certaminibus Genuenſibus 124. caſtella quædam circa Florentiam ſibi reſervat 53. duodecim potentiſſimos cives Florentinos corripiendos citat 80. exules reducere & diſcordias Florentiæ ſedare conatur 48. 51. falſus ad verum ſe convertit pœnitens 123. Florentinis ſuſpectus 180. Hetruriæ gubernationē ſibi reſervat 40. Italia profugus 36. Rom. literas ad populum Florentinum ad augendam octovirorum invidiam mittit 187. Ludovicum Bavariæ ducem indignū Imperio cenſet 111. mavult metui quam diligi 188. molitur regiam amplitudinem deprimere 52 pacem ſuadet Piſanis & Florentinis 177. pœnas contra Florentinos promulgat 181. Romæ pellitur 257. Romā fugit revocatur 255. ſtudioſus factionis 41

Pontificatus ab Imperatoria autoritate pendebat 17. Romanus in Gallorum manibus quando fuerit 180

Pontifice mortuo contentio exoritur inter patres de electione 47

Pontifices duo per diſcordiam creati 70. 249. quatuor intra biennium moriuntur 52. tres a Federico II. imperatore afflicti 19

Pontifici negatur à Florentinis ſocietas 177

Pontificis autoritas Florentiæ contemnitur 188. electio contentioſa 256 contentio cum Carolo rege 203. & civitatum fœdus contra Johannem vicecomitem 148. gubernatorum facta indigna 182

Pontificis Johannis ruinæ initium 258

Pontificum contentio ob unionem 227

Pontificum contra Impp. arma qua 18

Pontificum & Imperatorum inimicitiæ cauſam bellorum dederunt multis civitatibus 18

Pontificum voluntates inſinceræ non pro ratione, ſed præſidentium voluntate mutantur 84

Popularis ſtatus civitatis nihil celare poteſt 200

Populi Florentini conſilium ſedandi diſcordias 39

Populi nimiâ quiete & indulgentiâ inſoleſcere ſolent 185

Populi Romani fuit Imperatorem creare 16

Populus non prius ſentit mala quàm incurrit 236

Porſena obſidet Romam. 4 6

Placidia Galla Theodoſii filia à Gothis capta 12. nubit Athaulfo Gothorum regi 12

Plebis conſilium quale plerumq; 27

Plebs apud Gallos penè ſervorum loco habetur 139. cum fortuna facilè mutat animos 30. dominatur Florentiæ 190. Florentiæ leges ferendas flagitat 191

Prælia & homicidia crebra in urbe Florentina 78

Prælii ineundi ratio 176

Pramalcore caſtellum obſidetur 210

Præmiorum ſuſpicio mentes hominum ſollicitas reddit 37

Præneſte Catilinariæ factionis ſedes 2

Pratenſes Legatum Pontificis expellunt 80. oppidi cuſtodiam Florentinis concedunt 149

Prati proditio detegitur 180
Presbyter Battifolle munitiſſimũ caſtrum prodit 210
Princivallis Fuſcanus ab Rodulſo Imp. in Hetruriam miſſus quid effecerit 58
Priores artium qui primi Florentiæ fuerint 54
Priores duodecim creantur Florentiæ 78
Priores Florentiæ omni authoritate ſpoliantur 140
repugnant Gualterii præfecti factis 139
Priores populi & vexilliferjuſticiæ in Republ. Aretina 131
Priores quatuor ex nobilitate, octo ex plebe ſortiũtur Florenti. 143
Priorum gubernatio qualis 65. quidam Florentiæ multatione affliguntur 104. nova ſortitio Florentiæ 104
Priſcus Tarquinius bellum Hetruſcum ſuſcipit 5
Procella in caſtris Senenſium 59
Proximi maximè diligendi 48
Prudentia levis quæ præſentibus tantũ medetur 25
Pugnæ fortuna anceps 28
Pugna Florentiæ inter Novellum & plebem 38. Florentinorum cum Uguitio 95. inter Aretinos & Florentinos 62. inter Carolum & Manfredum 37
Puppi comites ad Mediolanenſem deficiunt 234
Puppium deditur Florentinis 267

Q

QUantitatem pecuniarum montem vocant Florentini 146
Quatuordecim viri Florentiæ creãtur ad Rempubl. confirmandam 141
Quatuordecim virorum magiſtratus Florentiæ 53
Quatuordecim virorum officio antiquato Priores creantur 54
Quatuor Pontifices biennii ſpatio moriuntur 52
Quieti potius quã honeſtati cõſulere falſa utilitas 98
Quinquaginta Familiarum inimicitiæ Florentiæ vigent 96

R

RAdagaſus Gothorum dux à Stilicone ſuperatur 11
Raggiolum à Florentinis capitur & diripitur 215
Rancum caſtellum à Florentinis obſidetur 220
Rainaldus Urſinus apud Aquilam proditione interficitur 210
Ravenna Gothorum regia 15
Raymundus Cardonius exercitui Florentino adverſus Caſtrutium præficitur 104. ejus res geſtæ 105
Recoverino ex familia Circulorum naſus abſcinditur 73
Reges Italiæ 17
Reges Romanorum qui laudatiſſimi 8
Regis Frãcorum oratores petunt auxilia à Florentinis 199
Rhegium Calabriæ opidum 55. à Federici regis Siciliæ copiis occupatur 92
Rhegium Lepidum à Bernabove obſidetur 179
Regium Lepidum ſeditio permovit 34
Res facta caput habet 39
Reſpublica prudentia gubernari debet 268
Retinere parta alieno labore nihil iniquius 132
Rex Francorum duo poſtulat ad Florentinorum protectionem ſuſcipiendam 208
Rex Hungariæ fratris necem perſequitur 147
Ricaſolani familia de vi publica accuſata 160
Roberti Imperatoris caſtra Italis cedere coguntur 242. controverſia cum Florentinis pro pecuniis promiſſis 243
Roberto regi in quinquennium traditur Imperium Florentiæ 92
Roberto regi filius & duæ filiæ genitæ 147
Robertus Caroli regis filius quibus conditionibus ab Hetruriæ civitatibus dux bello præfectus 82
Robertus Siciliæ rex, Princeps ſocietatis civitatum Hetruriæ 89
Robertus autor eſt renovandi fœdus adverſus Herrici Imperat. potentiam 87
Robertus rex Lucam à Florentinis repetit, & Piſanos ab oppugnatione dehortatur 137
Robertus rex poſtulat ſtipendia pro militibus à Florentinis 91
Robertus rex quomodo Siciliam obtinuerit favore populi 147
Robertus regnum & coronam à Pontifice ſuſcipit 87
Robertus Bavariæ dux Imperator eligitur 340
Robertus Caroli regis filius ſuccedit in regno 86
Rodulfus ad Romanum Imperium deligitur 51
Rodulfus Imperator Florentinis & Lucenſibus bellum commovet 54
Rodulfus Varanius Bononienſibus præeſt 186. ejuſq; vox prudens & urbana, ibid. Florentini exercitus dux in Piſanos ducit 171. Florentini exercitus dux ad hoſtes deficit 188
Romæ aqua gypſo corrupta 2. cives tumultuantur & quidam interficiuntur 254. conditio qualis tempore Bonifacii PP. 254. mercatura ſtrenuè exercebatur olim 2. ſeditiones ob Herricum Imperatorem & Robertum regem ortæ 89
Roma à Gothis incenſa & deprædata 12. à Ladislao rege occupatur 257. capta à Vandalis 13. florens alias civitates exhaurit 3. nunquam in poteſtatem Longobardorum venit 15. vaſtata à Totila rege Gothorum 14
Romana plebs Pontificem ex civibus Romanis debere creari poſtulat 188
Romana magnitudo potentiã Florẽtinorũ ꝓhibet 2
Romana ſedes à Federico II. Imperat. afflicta 19
Romana ſedes vacat 47
Romanum imperium à quo inſtitutum 16
Romani Imperii declinatio 9
Romani milites jurant ſe nõ niſi victores redituros 6
Romani quid ab Hetruſcis ſumpſerint 4
Romani ſortitionibus uſi in Magiſtratib. eligẽdis 103
Romanorum coloniæ 1. fœdus cum Gothis 10. ſub Cõſulibus, Dictatoribus & Tribunis potentia 16
Romulus Fidenas capit 5. primus Hetruſcos bello attigit 4
Rondine opidum Aretinis redditur 99
Rondinum caſtellum Aretini agri 20
Roſemũda maritũ ob contumeliã illatã occidit 15
Ruſſi Parmenſes tres fratres Parmã & Lucã hoſtibus coacti dant 128. à Maſtino ingrato obſidetur 130
Ruſſus bellum adverſus Maſtinum recipit & optime gerit 130. haſta tranſfigitur 134
Rufus Mugellani præfectus in inſidias principatus non exiguam copiarum partem amittit 160

S

SAbinum opidum deſtruitur 109
Sacerdos conjurationem ex privata confeſſione auditam refert magiſtratui 64
Sacõ Aretinorũ tyrãnus 142. à Peruſi. ꝓfligatur 142

Arni opida infeſtat 153. Florentinorum agrum vaſtat 162 in opido Bibiena moritur 165 Peruſinorum caſtella expugnat & incendit 160. Peruſinorum equitatum opprimit 155.
Saceri & agnati carcere eximuntur 140
Saconis flagitia enumerantur 164
Samum obſidetur à Lyſandro 272
Sancti Nicolai caſtellum munitiſſimum à Florentinis recipitur 266
Saxones cum Longobardis Italiam petunt 15
Scævola manus foculo injicitur 6
Scarperia opidum conditum 82. improviſo caſu ferè amittitur 150. præfecto Florentino firmata ab Oleggiano oppugnatur 152. 155. 156
Scelus emergit unde petita ſalus 18
Schiſma papale ortum 189
Scrutinantur tribus Florentiæ 65. 78
Scribarum fraus Florentia deprehenſa 163
Scrutarii montis comites 229
Securitas periculoſa ferocia præferenda 28
Seditio Bononiæ ubi diverſa factio depellitur 51 Florentia 73 84. Florentia à Lambertis excitatur 38 Florentiæ ex conjuratione duarum familiarum 135. Florentia ob quendam ex minima plebe interfectum 70. Florentiæ ubi multi cives in exilium pelluntur 190. inteſtina Luca 93. Piſis 51. Pratenſiū 85 Roma oritur 43. Romæ ob Ludovici Imperatoris adventum 113
Sena Galliæ urbs 4
Senæ ſplēdor urbanarū rerū & familiæ nobilitāt 18
Senenſes ab Aretinis profligati 60. à Florentinis obſeſſi 26. à Florentinis victi 21. à Genuenſibus victi 56. Carolo Imperatori ſe committunt Florentinis invitis 164. contra fœdus exules Florentiā pulſos recipiunt 24. controverſias poſt inducias renovāt 235. cum Florentinis pacem ineunt 46 fame. peſte & ſeditione laborant 213 fœdus Piſis iclum caſſant 207. in fugā profligantur à Florentinis 46 in ſocietatē Florētini populi deveniunt 47. oratores mittunt Florentiam ad controverſias ſopiendas 206 poſt pacem contumaces 221
Senenſium civitas non admodum vetuſta 18. defectio à Florentinis 262 fœdus cum Florentinis 23 pervicatia & diritias 223 pugna cum Florentinis 29. ſocietas cum Florentinis 145
Senis annona caritas cives premit 218
Senis in Republ. motus graviſſimi. 178
Servius Tullius cum tota Hetruſca gente bello contendit 5 regium nomen adeptus 5
Sexaginta viri Rempub. Aretinam gubernant 194
Sfortia militum dux ſubmerſus perit 260
Sibincius lacus 216
Siciliæ regni ſucceſſio ad quem pertineat 53
Sicilia ad defectionem compellitur 43. ob quā cauſā à rege defecerit 55. tota à rege Carolo deficit 54
Sigiſmundi Imperatoris in Italiam adventus 262. ingenium & mors 263
Sigiſmundi Imperatoris & Johannis PP. diſcordia 258
Sigiſmundus Imperator ab Eugenio PP. ſolenniter coronatur 263 cum Pontifice de Concilio generali agit 257. Lucæ obſidetur 263
Signa Imperatorum ante Carolum magnum 16
Signa populi Florentini ad publicas ædes ſculpta ſpontè decidunt 146
Signia ab exulibus Florentinis occupatur 33 & ſtatim recipitur. ibid.
Signia à Caſtrutio incenſa & relicta 110. reſtituitur. ibid capitur à Caſtrucio 107.
Silveſter Medix vexillifer Florentia legi monitoriæ frenum imponere conatur 189. 190
Simon Curſii filius Nicolaum Circulum occidens vulnere accepto perit 76
Sociale bellum ejuſq; cauſa 1
Sociorum bonorum eſt nihil diſſimulare ſed bona fide incedere 213
Socium à ſocio contemni durum, deſtitui ſceleratum oppugnari ſacrilegium 131
Sortis inconſtantis exemplum 12
Sortitio magiſtratus tertio Calend. Maii fiebant Florentia 204
Sortitio quantum Reipubl. prodeſt, tantum etiam obeſt 103
Sophia Juſtiniani uxoris in Narſetem ſcemma 15
Spem in turbatione ponere periculoſum & vanum 2
Spinetta Princeps regionis Lucenſis 97
Stephanus Bavariæ dux à Florentinis movetur tranſire in Italiam 210. deſertorum cuncta belli incepta minatur 212. excuſat tarditatem ſuam 211. & conſilium belli Florentinis aperit ibid. redit in Germaniam 214
Stilico Honorii dux Gothos vincit 11. 12
Stiliconis interitus 12
Strategema Ageſilai in vincēdis Atheniēſibus 284 Anglorum quo tutius tranſire poſſint 174. Aretinorū in occupanda arce Mōtanina 239. Regis Caroli in expugnando Mutro caſtello 42. Caroli Regis in vincēdo Corradino 45. Caſtrutii in hoſte remorando 106. Guidonis Feretrani in occupando ponte ad Heram 66. Johannis Augi in Atheſi flumine tranſmittendo 217. Johannis Augi, quo Florentinorum caſtros inopinatè ſupervenit 176. Johannis Augi quo Florētinos vicit 178 Mediolanenſium in Gallis cædendis 216. Melonis exulis Thebani 279. Senenſium 44
Superbia quando Pontificatum irrepſerit 13
Suſpicio ad malum proclivior 30
Sylla militibus agros viritim dividit 1

T

Taciturnitas conſcientiam arguit 207
Tarlatum genus ab Aretinis pellitur 85. in urbem redit 86. Aretii gubernationem ſuſcipit 138
Tarlatus Aretii gubernationem ſuſcipit 64
Tarlatus Saconis frater capitur & ad Piſanos tranſfugit 137
Tarquinienſes Hetruriæ populi 5
Tarquinius regno pulſus ad Hetruſcos confugit 5
Teglarius Aldobrandini filius Adimar primus à Florentinis Aretium miſſus magiſtratus 22
Teglarius Aldobrandini filii Adimaris oratio ad magiſtratum 27
Telamonem Florentini emporium conſtituunt 166
Temeritatis pœnæ exemplum in Florentina plebe 30
Temeritatis punitæ exemplum 178
Templum Martis Florentiæ 1. 17. Minervæ Athenis 278. Victoria Florentiæ 18

INDEX.

Tempus vetitum quid Florentinis 65
Tenedos Inſula à Venetis occupata 200
Theba in poteſtate Lacedæmoniorum 279
Thebani Boetiæ urbes in poteſtatem redigunt 280 *Gythum opidum maritimum oppugnant.* 281 *in libertatem reducuntur,* 280. *magiſtratus occiduntur à fictis mulieribus.* 280. *præfecti facinus* 283. *ſuadent Athenas eſſe delendas* 271
Thebanorum bellum contra Phocenſes 278. *factiones* 279. *victoria adverſus Lacedæmonios* 281
Thebanorum & Arcadum ſimultas 281
Thebarum Rempub. triginta viri gubernant 272
Thebis mirabile quid accidit 279
Theodaſius rex Gothorum Amalaſuntam ingratus occidit 14
Theodoricus Gothorũ rex cũ Etie adverſus Attilã 13. *Odoacrẽ occidit, Italiã liberat* 13. *Occiditur* 13
Theodoſius adverſus Gothicum tumultum Imperator creatur 10
Theramenes Cothurnus dictus proditor reputatur. 273. *triginta virorum improbitatem arguit* 273 *ad aram confugiens ad ſupplicium traditur,* 275 *veneno necatur, ibid.*
Theramenis aſtutia 269. *facetum dictum* 275
Thermæ publicæ Fluentiæ 1
Tiberius abominandæ mentis homo 9
Ticinum ab Attila captũ 125. *regia Longobardorũ* 15
Tiſernates inſurgẽtes iugũ ſervitutis excutiunt 180
Tiſernum à Guidone Præſule occupatur, per prodi- [illegible] 129
Ti[illegible] *caſtellum à Florentinis occupatum* 21
Tolomeorum & Salimbenium inimicitiæ dividunt Senenſem urbem 98
Tolpaſium munitiſſimum caſtellum Florentini obſident & occupant 105
Toralingi Italiam occupant 13 16
Torniamentum ludorum genus quale 222
Totila rex Gothorum crudeliſſimus 14. *cur Florentiam delendam ſibi ſumſerit* 17. *deſevivit contra Hetruriæ civitates* 17. *flagellum Dei appellatur* 14. *Romam deſtruit* 14
Transarnina tribus Florentiæ 65.78.143
Transpadana regio ab Hetruſcis occupata 3
Tribuni decem Athenis creantur 276
Triginta ſex viri Reipub. Florentiæ præficiuntur 38
Triginta viri Athenis eliguntur 272
Triginta viri in caſtellũ Eleuſina fugã capiunt 276
Triginta viri Thebarum gubernatores 272
Tullius Hoſtilius Fidenates debellat 5
Tumultus Florentiæ & incendiũ 80. *Florẽtiæ ob Alborũ & Nigrorũ factiones* 75. *Florẽtiæ ob prædæ diviſionẽ* 127. *Romæ* 254. *Romæ ob Herrici Imperatoris adventũ* 89. *Romæ ob Pontificẽ creandũ Senæ ob Salimbeniũ & Tolomeorũ inimicitias* 98
Tuſcus vicus Hetruſcis Romæ conceſſus 6
Turris marmorea Florentiæ ad Reparatæ templum fundari cœpta. 127
Tyberini gurgites Romam ſervant 6
Tyranni periculoſum ſed ſtrenuum conſilium 134
Tyrannorum conditiones quæ 67
Tyrrhenia unde dicta 3
Tyrrhenus rex 3

V

V*Adimonis lacus* 8
Valaſcus Hiſpanus inducias Florentinis indicit 52
Valens Imp. Gothos intra Mæſiam recipit 10. *una cum caſa crematur* 10
Valentinianus Imper. à quibus genitus 12
Valentiniani fœdus cũ Vandalis: ejuſq; interitus 13
Valeria Publicolæ Conſulis filia 6
Vandali Romam vaſtant 13
Vandalorum in Africa & Europa furor 13
Varietas ſententiarum diſcordias parit 100
Varicũ opidũ ab Herrico Imperat. expugnatur 90
Varicum opidum ab Aretinis obſeſſum 60
Vaticana Baſilica Romæ coronandis Imperatoribus deſignata 89
Ubaldina gentis caſtella diruuntur 204
Ubaldini à Florentinis oppugnantur 77
Ubaldinorum caſtella in poteſtatem Florentinorum deveniunt 180
Ubertina gentis domus evertuntur ab Aretinis 109
Ubertini cũ omnibus caſtellis ad Mediolanẽſẽ deficiunt 234. *infeſtant Hetruriæ loca* 152. *ſeditioſi in urbe Aretio* 196
Ubertorum familia potentiſſima Florentiæ 24.39
Ubertinus Carra Patavinorum tyrannus liberat 134
Vejentes Hetruriæ populi 5. *agrum Romanum infeſtant* 5. *bellum movent* 6
Vejorum obſeſſio & oppugnatio 7
Venceslaus Imperator ad Mediolanenſis potentiam retundendam in Italiam cogitat 225
Venetiæ peſte inanita 65
Veneti ab Legato Pontificis cæſi 86. *ad cõmune Florentinorum & ſociorũ fœdus accedunt* 234 *arbitri inter Florentinos & Robertũ Imperatorẽ* 245 *cũ Florentinis fœdus renovant,* 265. *Galeatiũ legatione terrent.* 234 *in ſocietatẽ belli contra Aretinos cũ Florentinis veniunt* 129. *inter Florẽtinos & Mediolanenſẽ inducias faciunt* 235. *quibus conditionibus Maſtino dederint pacem* 134
Venetorũ cũ Florentinis concordia. 261. *cũ Florẽtinis diſſidiũ* 265 *cũ Mediolanẽſi pax* 261 *nõ ſatis æqua pacta in ſocietate cum Florentinis firmanda* 247
Verbanus lacus 216
Verborum levitas nõ mutat factorum gravitatẽ 232
Veritas non omni tempore ſilenda eſt 136
Verius Circulus princeps ejus familiæ 73
Verona ab Albuino rege occupatur 15 *Imperio additur* 252 *invocat antiquos dominos* 218
Vertina caſtellum à Florentinis ex qua cauſa obſeſſum 160 *ad ſolum evertitur* 161
Vexillationes extra urbem Florentiam inſtitutæ 79
Vexillifer juſticiæ primum Florentiæ creatus 64.65
Vexilliferi ſingulis tribubus Florentiæ & Vexilla tradita 79
Vexilliferi & Societates Florentiæ tolluntur 140
Vexillum rubrum cum aurea aquila Imperatorum ſignum 16
Ugolini ſententia in pacandis Florentinis 56
Ugolinus comes cũ reliqua factione Piſis pellitur 51 *in urbem recipitur* 52 *ſuo nomine Piſas gubernat* 57 *fame necatur* 61
Ugolinus Gallura Judex Piſanis bellum movet 61
Uguicio Fagiolanus Lucenſes infeſtat 93 *apud regem de tyrannide accuſatur* 96. *Florentinos profligat & cruentã victoriã potitur* 95. *Piſis excluditur* 96, *terribiliter captã Lucã efficitur* 94

Vicentia

INDEX

Vicentia occupatur ab Albuino 15.
Vicisse non ſatis eſt, ſed refert quibus cum viceris 32
Vici tres Florentia 57
Victolinum obſidetur à Florentinis, ſed fruſtra 98
Victoriæ templum Florentiæ 11
Victoria apud Campaldinum parta eadem hora & die Florentia miraculo quodam nunciata 63
Victoria explorata dubia prælianda fortuna non committenda 178
Victoriam non tam properatio quàm cunctatio pollicetur 28
Victoria quæ magis luctum quàm triumphum parat 6
Vincislaus ab Imperio per Electores removetur 140
Violenta non diuturna 96
Viterbienſes ab Aretinis orti 18
Viterbienſes duos Cardinales Urſinos è conclavi abducunt 54
Vitiges rex à Gothis creatur & Theodaſum occidit 14
Umbri gens potentiſſima victa ab Hetruſcis 3
Volaterrani à Florentinis ſuperantur 22. cum Geminianenſibus de finibus contendunt 86. in Florentinorũ poteſtatem redeunt. 170 inſciis Florẽtinis ſeſe Carolo Imp. tradunt. 164 per Gualteri ruinam libertatem conſequuntur 142
Volaterrarum vetuſtiſſima origo 18
Volonianus carcer 40
Voluntatem Dei nemo vitare poteſt 258
Vox miraculoſe Florentiæ de victoria parta auditur 63
Urbani PP. ingenium inquies & protervum 203
Urbanus Pontifex Italus Romæ eligitur. 188. 249 *à Florentinis pecuniarum ſubſidia poſtulat.* 200 *Carolum contra Johannam excitat.* 192 *interdictum Florentiæ tollit.* 191. *moritur.* 179. 207
Urbanus IV. Pontifex regnum Siciliæ Francorum regi concedere cogitat 35
Urbevetani mittunt equites Florentini 22
Urſini Romæ dejecti 254
Vulſinii lacus inſula 14
Vulſinienſium bellum 8
Zeno Imperator Orientem regit 13

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

Digitized by Google